VITA, ET RES GESTÆ PRÆCIPUORUM THEOLOGORUM,

Quorum ministerio DEUS, postremâ hac Mundi senescentis ætate, Doctrinam Ecclesiæ, corruptelis & erroribus Pontificiis obliteratam, & penè oppressam, repurgavit & restituit,

Ex innumeris eruditæ literaturæ locis & regionibus, in quibus tanquam in exilio palabunda vagabantur, collecta, & in unum quasi justum opus digesta, magnaq; ex parte coram Dominis fr. Coll. Alvenslebiaci recitata,

à JOHANNE BISMARCO, *Ecclesiaste Minoris Ammenslebii, in Archiepiscopatu Magdab.*

Cum censura Rev. Clariss. & undiquaq; Excellentissimorum Virorum, Dn. FRIDERICI BALDUINI, Theol. D. Profess. & Sup. Viteberg. nec non Dn. LUDOLPHI RÖLEVINCI Th. D. Comitatus Barbyensis Superattend. & Concionatoris Aulici, &c. fidelissimorum.

LIBER PRIMUS.

Continens vitam & res gestas Theol. Viteberg.

Cum Gratia & Privilegio Elect. Sax.

HALÆ SAXONUM,
Typis exscripsit CHRISTOPHORUS BISMARCUS, *Anno 1614.*

Digitized by Google



Über dieses Buch

Dies ist ein digitales Exemplar eines Buches, das seit Generationen in den Regalen der Bibliotheken aufbewahrt wurde, bevor es von Google im Rahmen eines Projekts, mit dem die Bücher dieser Welt online verfügbar gemacht werden sollen, sorgfältig gescannt wurde.

Das Buch hat das Urheberrecht überdauert und kann nun öffentlich zugänglich gemacht werden. Ein öffentlich zugängliches Buch ist ein Buch, das niemals Urheberrechten unterlag oder bei dem die Schutzfrist des Urheberrechts abgelaufen ist. Ob ein Buch öffentlich zugänglich ist, kann von Land zu Land unterschiedlich sein. Öffentlich zugängliche Bücher sind unser Tor zur Vergangenheit und stellen ein geschichtliches, kulturelles und wissenschaftliches Vermögen dar, das häufig nur schwierig zu entdecken ist.

Gebrauchsspuren, Anmerkungen und andere Randbemerkungen, die im Originalband enthalten sind, finden sich auch in dieser Datei – eine Erinnerung an die lange Reise, die das Buch vom Verleger zu einer Bibliothek und weiter zu Ihnen hinter sich gebracht hat.

Nutzungsrichtlinien

Google ist stolz, mit Bibliotheken in partnerschaftlicher Zusammenarbeit öffentlich zugängliches Material zu digitalisieren und einer breiten Masse zugänglich zu machen. Öffentlich zugängliche Bücher gehören der Öffentlichkeit, und wir sind nur ihre Hüter. Nichtsdestotrotz ist diese Arbeit kostspielig. Um diese Ressource weiterhin zur Verfügung stellen zu können, haben wir Schritte unternommen, um den Missbrauch durch kommerzielle Parteien zu verhindern. Dazu gehören technische Einschränkungen für automatisierte Abfragen.

Wir bitten Sie um Einhaltung folgender Richtlinien:

+ *Nutzung der Dateien zu nichtkommerziellen Zwecken* Wir haben Google Buchsuche für Endanwender konzipiert und möchten, dass Sie diese Dateien nur für persönliche, nichtkommerzielle Zwecke verwenden.

+ *Keine automatisierten Abfragen* Senden Sie keine automatisierten Abfragen irgendwelcher Art an das Google-System. Wenn Sie Recherchen über maschinelle Übersetzung, optische Zeichenerkennung oder andere Bereiche durchführen, in denen der Zugang zu Text in großen Mengen nützlich ist, wenden Sie sich bitte an uns. Wir fördern die Nutzung des öffentlich zugänglichen Materials für diese Zwecke und können Ihnen unter Umständen helfen.

+ *Beibehaltung von Google-Markenelementen* Das "Wasserzeichen" von Google, das Sie in jeder Datei finden, ist wichtig zur Information über dieses Projekt und hilft den Anwendern weiteres Material über Google Buchsuche zu finden. Bitte entfernen Sie das Wasserzeichen nicht.

+ *Bewegen Sie sich innerhalb der Legalität* Unabhängig von Ihrem Verwendungszweck müssen Sie sich Ihrer Verantwortung bewusst sein, sicherzustellen, dass Ihre Nutzung legal ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass ein Buch, das nach unserem Dafürhalten für Nutzer in den USA öffentlich zugänglich ist, auch für Nutzer in anderen Ländern öffentlich zugänglich ist. Ob ein Buch noch dem Urheberrecht unterliegt, ist von Land zu Land verschieden. Wir können keine Beratung leisten, ob eine bestimmte Nutzung eines bestimmten Buches gesetzlich zulässig ist. Gehen Sie nicht davon aus, dass das Erscheinen eines Buchs in Google Buchsuche bedeutet, dass es in jeder Form und überall auf der Welt verwendet werden kann. Eine Urheberrechtsverletzung kann schwerwiegende Folgen haben.

Über Google Buchsuche

Das Ziel von Google besteht darin, die weltweiten Informationen zu organisieren und allgemein nutzbar und zugänglich zu machen. Google Buchsuche hilft Lesern dabei, die Bücher dieser Welt zu entdecken, und unterstützt Autoren und Verleger dabei, neue Zielgruppen zu erreichen. Den gesamten Buchtext können Sie im Internet unter `http://books.google.com` durchsuchen.

INDEX HVIVS LIBRI,

Prolegomena,
Epistola dedicatoria.
Epistola ad R. & Cl. Frider. Baldvinum Th. D. quâ petit A. ipsius judicium de hoc ipso opere.
Responsio Dn. Baldvini.
Epistola R. & Clar. Viri, Dn. Lud. Rolevinci Th. D. ad Autorem,
Proœmium ad Lectorem,
Epigrammata nonnulla ad Autorem.

Orationes de vita & rebus gestis,
Johannis Reuchlini,
Martini Pollichii Mollerstadii,
Johannis Stupicii,
Simonis Heinsii,
Matthæi Aurogalli,
Martini Lutheri,
Andreæ Bodenstenii Carolostadii Calviniorum antesignani,
Johannis Fôrsteri,
Johannis Bugenhagii Pomerani,
Philippi Melanchthonis,
Johannis Sturionis,
Johannis Draconitæ,
Caspari Crucigeri,
Pauli Eberi,
Criptocalvinianorum Vitebergensium,
Georgii Majoris,
Abdiæ Prætorii,
Caspari Eberhardi,
Pauli Crellii,
Davidis Voiti,
Johannis Georgii Volckmari,
Ægidii Hunnii,
Davidis Rungii,
Salomonis Gesneri,
Georgii Mylii.

SERE-

Digitized by Google

SERENISSIMO, ILLUSTRISSIMOQUE Principi ac Domino,

Dn. JOHANNI GEORGIO, DUCI SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ ET MONTIS, SACRI ROMANI IMPERII ELECTORI ET ARCHIMARESCALLO, LANDGRAVIO TÜRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ & BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, &c.

Domino suo Clementissimo.



SERENISSIME ET ILLUstrissime Princeps, Domine Clementissime, quòd miſellus Eccleſiæ miniſter ego tanto Heroi, plurimis maximisque Imperii negotiis occupatiſsimo, jam obſtrepere audeo, veniam non ſolùm humilimè peto, ſed me quoq; impetraturum ſpero. Nam cùm Illuſtriſs. T. Celſitudo verâ in DEUM pietate, præclarisq; animi dotibus ac virtutibus prædita ab omnibus bonis & rectè judicantibus conſtantiſsimè prædicetur: nullus dubito, ab eadem ſinceros & fidos Chriſti

Digitized by Google

miniſtros diligi,& antiquitùs receptam non improbatum iri conſuetudinem, quæ obtinuit, ut literarum monumenta propediem evulganda non duntaxat illuſtres Regum & Principum titulos & nomina,tanquam faces quaſdam præluc entes, in frontiſpicio præfixa,oſtentarent; verùm Regibus & Principibus ipſis etiam ad acris judicii normam, ceu lapidem Lydium, aut ignis examen, applicanda, legenda & cenſenda exhiberentur. Fatebitur ſiquidem ipſamet T. C. intereſſe Reip. quàm plurimùm, ut hi, qui ſedent ad rerum gubernacula,inſpiciant ſtudia ſubditorum,ac dent operam, quô ſuppreſsis inutilibus,obſcœnis,vel errorum labe ſqualentibus, aut obtrectatoriis libellis,frugifera,&quæ aut neceſſariarum artium præcepta, aut honeſta vitæ exempla continent, commentaria in civium manibus verſentur. Quocircà cumprimis offerendi ſunt libri his,qui aliis præſunt,maximamque hominum partem(ſi cum Quintiliano loqui libet,)infra ſe vident, hoc eſt,qui ingenio & judicio plus valent, quàm reliqui,ut eorum cenſurâ & authoritate commendatiores evadant, habeantq; patronos & vindices adverſus ſycophantas. Has rationes, Illuſtriſsime Princeps ac Domine Clementiſsime,ſecutus ſum,quando meorum laborum primitias,de vita & rebus geſtis præcipuorum Theologorum, per quos Deus

ter

Digitized by Google

ter Opt. Max. Ecclesiæ doctrinam, corruptelis & erroribus Pontificiis obliteratam, & penè oppressam, repurgavit, & pristino nitori restituit, non sine Illustrissimæ T. Celsitudinis nomine & auspicio publicandas esse censui. Quæ cujusmodi sint, meum non est dicere. Legendo quisq; facilè deprehendet. Quia verò Historiarum suprema lex veritas & candor: Ego sanè ea in parte ne quid posset in me desiderari, diligentem navāvi operam. Neq; enim ex vano quicquam hausi rumore; sed scribendi materiam suppeditārunt mihi Intimationes, ut eas vocant, declamationes, epitaphia, generales & speciales catalogi librorum in nundinis Lipsensibus & Francofortensibus expositorum, & ejus generis alia scripta, quæ studiosè collegi, quorumque de fide nemo dubitare debet. Funebres orationes falsosq; imaginum titulos totam historiam Romanam reddidisse mendosam & suspectam, tàm Ciceronis, quàm Livii querela est justissima. Magnam quoq; in scriptoribus Græcis discrepantiam, & mentiendi fuisse licentiam, ex Iosepho Eusebius tradit. Idem ne de meis orationibus pronunciaretur sedulò cavi, exhibendo eas & subjiciendo non tantum præstantissimorum quorundam Theologorum, verùm Illustriss. T. Celsitudinis quoq; limatissimo judicio. Et multi boni & sapientes viri adhuc vivunt, quibus

Digitized by Google

cùm sciam seriem harum rerum notam esse: utiquè ridiculum fuisset, alienum quid ab historia, ut fit interdum in poëmatis, comminisci. Cùm etiam veritatis historicæ signum sit non leve, si de iisdem rebus eadem omnes scribant: sæpè integras aliorum orationes, aliquando particulas saltem, meis inserui: sed ita tamen, ut non diffiterer à quibus mutuata desumpsissem, malens dignos suâ laude non fraudare, quàm alienum decus mihi usurpare. Accedit & alia inscriptionis causa privata, ut nimirum Illust. T. Celsitudini reverenter ostenderem, memetipsum, fratremque Christophorum typographum Halensem, nec non affines meos, Paulum Clasingium p. r. & Matthiam Singerum, debitores esse Illustrissimæ familiæ Saxonicæ, utpote, qui per aliquot annos usi sumus munificentiâ & beneficiis Seremissimorum Electorum, T. Celsitudinis Antecessorum, non tàm publicâ tutelâ, pace & tranquillitate, communiq; mensâ, in Vitebergensi Academia fruendo, quàm liberales artes, veram pietatem & emendatam Evangelicæ doctrinæ sinceritatem, hauriendo & imbibendo à fidelibus præceptoribus, quibus velut uberibus maternis affixi fuimus, animique nutrimentum attraximus, id quod jam aliis quasi recoctum vicissim communicamus. Hæc ubera etsi multi Cyclopicè fastidiunt: tamen nos D. o, & Illustriss. Saxoniæ

Digitized by Google

xoniæ Principibus Electoribus, piorum Doctorum nutriciis, maximas, quas linguâ & mente concipere valemus, agimus gratias. Totiquè posteritati testatum facimus, T. quoque Celsitudinem à piorum Antecessorum vestigiis ne latum quidem, ut dicitur, unguem recedere, sed summo studio spectare, quærere, & promovere conservationem, & genuinum ꝛpurgatæ doctrinę sensum, atque consensum. Documenta sunt leges honestæ, ac servioris disciplinæ in Ecclesia & politia; documenta sunt itidem scholæ & Academiæ Electorales florentissimæ. Hoc tuum, Illustr. Princeps, tuorumq; Antecessorum, optimorum Christianissimorumque Principum, officium silentio involvere, nec permittit pietas, nec honestas. Quâ igitur possum & debeo, reverentiâ & subjectione, rogatam volo Clementiam T. ut quæ eidem offero, omnium fermè scripturientium exemplo incitatus, sereno vultu accipiat, oblatâ occasione legat, & suo calculo patrocinioq; privilegio aliquo mea studia ornare & promovere non dedignetur, mihiq; sic animum addat & calcar ad reliqua exequenda & perficienda, in quibus me quotidiè exerceo. Quandoquidem juxta Ovidium 3. de Ponto:

Scribentem juvat ipse favor minuitq; laborem
Cumq; suo crescens pectore fervet opus.

Quod unicè possum, T. Celsitudinem & Cl. Deo ter Opt. Max. commendo, & quàm diu in hoc fragili

corpore

corpore hoſpitabor, commendabo, talibus conceptis & ſæpè iteratis precibus: Omnipotens & Æterne DEUS, Rex Regum & Domine Dominantium, qui regna ſtabilis, & confers cuicunq; volueris, te ſupplex oro; largire Sereniſsimo Illuſtriſsimoque Principi ac Domino, Dn. IOHANNI GEORGIO Saxon. Duci &c. Sacri Romani Imperii Electori &c. Principi ac Domino Clementiſsimo, vitam longævam, bonamque & proſperam valetudinem, conſiliarios fideles, ſatellites cordatos, & fortes, ſubditos probos, orbem denique quietum, & alia corpus & animam ſpectantia dona, ac frenum injice populis, qui bella minus bella volunt, paciſque præferunt. Dabantur literæ ex Ammenslebio minore, pridie Calend. Sept. Anno M.DC.XIV.

Sereniſs. & Illuſtriſs. T. Celſitudinis

ſummâ animi devotione
ſubjectus

JOH. BISMARCUS, verbi divini miniſter ibidem.

Reve-

Digitized by Google

Reverendo, Clarissimo & undequaq; Excellentissimo Viro,

Dn. FRIDERICO BALDVINO, Th. D. &c. Patrono suo reverenter colendo.

Salutem & Vitam in Christo.

REverende, Clarissime & Doctissime Dn. D. Patrone reverenter colende, Descripturus, aut saltem ex aliis collecturus sum, (si Deus voluerit, Tuaq; R.D. & viri boni, quibus lucubrationes meas reverenter subijcio, quorum judicio, aut cadam, aut stabo, mea scripta luce digna censuerint,) vitam & res gestas præcipuorum Theologorum, per quos Deus ter Opt. Max. hac postremâ Mundi ætate doctrinam Ecclesiæ, corruptelis & erroribus Pontificiis obliteratam, & penè oppressam, repurgavit & restituit. Atq; hoc opus meum in tria volumina, sicut & personas Theologorum, in tres quasi classes distribuam, ita ut primi ordinis sint Academici, conficientes mihi volumen primum, quod in tot libros iterum dispescam, quot Academiæ sinceriores in Germania mihi sunt cognitæ. Secundum volumen Aulicos continebit, quod itidem certis libris distinguam secundum Imperij ordines. Alii enim sunt Theologi Electorales, alij Ducales: Alij Episcopales: nonnulli Comitibus: nonnulli

Digitized by Google

Baronibus: Quidam Nobilibus &c. operam suam addixerunt, & navârunt. Tertium deniq; volumen recensebit Doctores, Ecclesiis magnarum urbium inservientes, quos in hunc modum discernemus, ut alij sint Augustani, alij Ratisbonenses, alij Noribergenses, &c. Lubeccenses, Hamburgenses, Brunsvicenses, Magdæburgenses, &c.

Sed nimium properas, & adhuc tua messis in herba est,

fortè dices. Id quod lubens tibi largior, vir Clarissime, dummodò & mihi largiaris illud Poëtæ:

Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.

Feci igitur huius rei periculum à Vitebergensibus, quibus non tantùm ego, sed tota Germania ob Evangelij restitutionem plus debet, quàm persolvere potest unquam, initium sumens. Quale quale autem hoc est, T.R. Dignitati legendum tradidi atq; cognoscendum. Plus etenim vident oculi, quàm oculus. Et mihi (quod non diffiteor) ingenium est obtusum, mens segnior & consilium tenue. Imò, dicam quod res est: mihi ipsi diffido. Cumq; videam ingenitum esse universis penè mortalibus cœcum sui amorem, sibi persvadentibus, se nihil non posse: metuo ne mihi sim suffœnus. Fortè & FRATER, typographus Halensis, quanquam aliud quippiam prætendens, hûc respexit, dum instanter & urgens monet, ut à Domino Professore aliquo

Digitized by Google

liquo Vitebergensi prafatiunculam huic operi præfigendam petam. Absq; hoc esset, Tuæ R. Dignitati nunquam molestus fuissem, utpotè, quam, benè novi, jam anteà innumeris fermè negociorum fluctibus obrutam. Quod si R. Tua D. hasce ingenii mei qualescunq; primitias non tantùm legere, verùm & aliquâ insuper præfatiunculâ exornare non dedignetur, mihi, cætera perficiendi major fiducia surget. Ac pro tanto beneficio cùm forte gratias agere pares non queam, hoc faciam tamen, quod hominem literis humanioribus imbutum decet: te amabo. te celebrabo, te venerabor. Valeat T. R. D. cum tota familia quàm bellissimè 7. Decemb. Anno C. 1613.

R. T. D.

reverenter colens

I. B.

Digitized by Google

Viro Reverendo & Præstantißimo,

DN. IOHANNI BISMARCO, &c.
Fautori & amico suo honorando.

S. P. in Domino.

IEci, quod voluisti, Vir Reverende & Præst. Amice honorande. A quo primum enim die mihi scriptum tuum de vita & rebus gestis præcipui nominis Theologorum legendum tradidisti, evolvi illud mediocri diligentiâ, & hoc inde fœnoris loco habui, ut quò longiùs legendo progrederer, eò majorem voluptatem perciperem. Est enim omninò in eorum numero, quæ & delectare solent & prodesse legenti. Nam si justorum memoria semper in benedictione esse debet; si virorum de Ecclesia Christi benè meritorum labores posteritati quoquè notos esse prodest; si deniq; eorum, per quos profeceris, virtutes agnoscere, ac prædicare, grati est animi: utiq; Te precone, tantorum virorum merita, præclara virtutis præmia, gratiq; discipuli illustria documenta ex hoc tuo encomiastico non obscurè innotescent. Nec caret institutum tuum exemplis ex antiquiori ævo petitis. Invenit enim Ambrosius Paulinum suum, Augustinus Possidonium, Chrysostomus Suidam, Hilarius Hieronymum, Athanasius Nazianzenum, Nazianzenus Gregorium Presbyterum, Anselmus Edinerum convictorem suum, alii alios vitæ laborumq; suorum testes ac precones dignissimos: Ad quorum exemplum, si tu nostræ ætatis Theologos vel tuo vel aliorum calamo Ecclesiæ Christi, quasi redivivos sistis, non modò nihil præter rem, sed officium profes-

Digitized by Google

professione tua dignum te feciſſe, judico. Nihil dicam, quod vel hoc ipſo nomine de Academia noſtra benè mereris: quæ quemadmodum hactenus per integrum ſeculum, & quod excurrit, purioris Theologiæ, ab omni fermento hæreticæ pravitatis defecatæ, mater extitit: (hoc enim elogio eam nulti Boni viri ornandam cenſent) ita poſteritatis interſt, ſcire, quibus organis DEUS ſuperioribus annis ad rem tantam uſus fuerit, & quibus ea laboribus certaminibusque conſtiterit. Perge itaque, mi Biſmarce, & hunc tuum Encomiaſticum manu mitte: hæc eſt optima beneficiorum cuſtos, ipſorum memoria: quam hoc tuo ſcripto conſervas, & teipſum aliis commendas. Vale in Domino, & Eccleſiæ Chriſti diu prodeſſe perge. D. Wittebergæ XIII. Decembris, Anno M. D C. XIII.

T. Studioſiſſ. in Domino

FRIDERICUS BALDUINUS
D. manu propriâ.

Digitized by Google

R. & Doctiss. viro, multarum rerum usu, historiarumq; lectione exercitato,

DNO. IOHANNI BISM. &c. AFFINI

suo, ac fr. in Christo honorando.

S Reverende & Doctiss. vir, affini chariss. quum superiori anno mihi propositum tuum de præcipuorū, eorumq; sinceriorum Theologorum VITIS *ex fide dignorum scriptis non sine assiduo, accibuoq; labore colligendis, exponeres: eumq; ipsum laborem non ita pridem, typis jam traditum, coràm intuerer, observari ante oculos visus mihi fuit Stobæus ille, qui de* VITÆ *brevitate Chii sapientis sententiæ subscribens inquit:*

Οὐδὲν ἓν ἀνθρωποισι μοῦ χεῆμ' ἔμπεδο αἰεί

Utiusq; sententiam uniformem alii improbant, qui illustrium virorum, de republica imprimis Ecclesiastica optimè meritorum famam inter mortales perpetuam, adeoq; super æthera notam, rectè asseverant. Tu verò, affinis honorande, gravioribus hisce, & planè, me Deus, novis reservate, & assvete laboribus, utriq; subvenis sententiæ, dum huic seculo producis & in manifestū theatrum divina illa Ecclesiæ Christi lumina reponis, quorum operâ atq; indefesso studio Nestoris, Eutychis, Johannis Maylrosii, Scoti, Berengarii Andegavensis, Calvini, Pontificiorum, aliorumq; hæreticorum progenies ad præsentem hunc usq; diem, cooperante omnipotentis Dei gratiâ, à nostris fortiter repulsa fuit aris: ut divinæ Christi majestatis hodierni hostes in hypæthra ambu-

Digitized by Google

ambulatione Chiliarchas hosce DEI *strenuos libero aspectu contemplantur, eorumq; decora alta, quæ per illos, tanquam organa sua in Ecclesia operatus est* DEUS, *contueantur: & quòd ab eorum ductu & vestigiis deviaverint, hîc in militantis, &, nisi resipuerint, in triumphantis Ecclesiæ conspectu turbentur & confundantur.*

Æternum patrem Domini nostri Jesu Christi, oramus, ut horum virorum, in Vinea sua excolenda excitatorum, vitulâ agrum DEI *ductu Spiritus sancti arare, & in Vera fide usq; ad finem perseverare nobis posteris liceat. Tu denique, affinis amantissime, laborem susceptum ne abjicias, sed difficultatis, molestiarum, aut etiam invidiæ patiens eundem urgeas atq; matures, memor dicti, ex Augustino translati*

Pigra sepulturam mortalibus otia vivis
Pandunt: ut vivi putre cadaver agant.

Tuus contra labor hac tè ratione cum illis, quos ad vitam revocasti, viris, post funera superstitem conservabit. Vale, Barabæ in comitatu, Prid. Kal. Sept. Anni M. DC. XIV.

Ludolph. Rolevincus, D. Super. in Comitatu, & aulicus Concionator ibid.

INVI-

Digitized by Google

IN VITAM ET RES GESTAS PRÆCIPVORVM NOSTRI SECULI THEOLOGORUM, DESCRIPTAS à Johanne Bismarco, minoris Anmenslebii Pastore.

I.

Si laudare bonos melius, quàm rodere famam
Sanctorum, laudes qui meruêre suas,
Dignos laude viros quidni laudemus? honesta
Sarta sit & maneat laus sua cuiq; viro.
Est pietatis honos multò precioſior auro.
Aurum ſi pereat, laus benè parta manet.

M. Matthias Singerus Eccleſiaſtes Ackendorffianus.

II.

Lucifer, & vasto radantia sidera cœlo,
(Si modò vaniloqui referunt non falsa poëtæ)
Hesperiis tinguntur aquis, & puriter inde
Auricomos promunt vultus, atq; ora venusta:
Sic qui Piërias caput excoluêre per artes,
Doctrinæq; avidi sacros hausêre liquores,
Fontibus è Sapidis Israëlitidos undæ,
In regno Christi, ceu splendida lumina, fulgent,
Et sparsis radiis longè lateque coruscant.
Hinc Daniel, plenus divino Numine, vates,
Qui docuêre, & justitiæ per compita multos
Duxerunt, gressu ne cœlicus ipse viator
Hûc illûc cœco trepidans erraret in orbe,
Persimiles olim fore, ait, rutilantibus astris,

Fulgo-

Digitized by Google

Fulgoriq́ue, nitent quo tecta patentis Olympi.
Tales & vidit rutilas Eccleſia ſtellas,
Temporibus noſtris, vidit, pluresq́; probavit
Inſignes virtute viros, pietate, fideque,
Augiæ ſtabulum Latii de ſordibus atris
Qui quaſi purgantes, calamo linguâq́; diſertâ
Dogmata nativo pia reſtituêre nitori.
Horum ſervari memoris præconia famæ
Eſt fas, ut poſſint ſeri meminiſſe nepotes,
Qualia contulerit nobis benefacta per illos
Omnipotens rerum genitor, qui cuncta gubernat.
Non igitur parvam laudem, Biſmarce, mereris,
Vitam deſcribens, & res feliciter actas
Turbæ doctorum, noſtro quæ floruit ævo,
Reddidit ac purè ſummi ſacra verba Tonantis.
Perge, tuosq́;, precor, cœptos abſolve labores.
Hac ratione potes magnum decus omnibus eſſe,
Qui collegiolum noſtrum, cœtumq́; frequentant,
Unanimi ſtudio Dominiq́ue oracula diſcunt.
Quod ſi non mundus tibi debita præmia ſolvet:
Æternum tamen inde feres per ſecula nomen.

III.

ANAGRAMMA:
JOANNES BISMARCUS:
O MUSA, ANNE SCRIBIS?

BIſmarci vigilem miratus Apollo Thaliam,
Hæc ad eam lœto pectore verba dedit:
ANNE, precor, SCRIBIS? mihi dic, O optima MUSA:
Reſpondit placidis Diva rogata ſonis:
Imò, Phœbe pater, doctum juvo ruris alumnum,
Qui ſanè magnum ſcribere cœpit opus.

Digitized by Google

Dum notat hiſtorias, & ſplendida facta virorum,
Per quos falſa Papæ dogmata victa jacent.
Talia ſcribentis Biſmarci dirigo dextram,
Sed mentem Chriſti Spiritus ipſe regat.

Johannes Schraderus Paſtor Alvensl.

IV.

Laudandos laudare viros, laudabile; quippe
In ſeſe, laudem quod mereatur, habet.
Laudandos culpare viros, teterrima res eſt,
Hoc ex invidia non niſi ſcurra facit.
Laudandos laudas homines, rem laudeq́; dignam
Præſtas, dum mentis munera grata refers.
Laudo conatum, quivis laudabit eundem,
Et ſic conciliet res decus illa tibi.

M. Heinricus Decimator Junior, Paſtor Eccleſiæ in Conradsburg.

V.

E Tumulis Chriſti Heroas, Biſmarce, reducis
Atq; tuis pennis per loca lata vehis.
O utinam poſſes vivis producere membris,
Nec ſaltem memori geſta referre libro.
Fortiter opprimerent luſci ut conamina Bardi,
Tegmina qui Calvis quærit ubiq; comis.
Celſa, at erunt quidam, qui imitentur corda Lutheri,
Qui Bardis iſtis terror, & horror erunt.
Tuq; animos addis ſacris, Biſmarce, miniſtris
Scribendo tales veridicè hiſtorias.
Profuerit multis adeò hujus lectio libri:
Qui pius eſt, mores corriget inde ſuos.

Petrus Beccerus Saxo Poëta Laur.

Proœmi-

Digitized by Google

Proœmium ad candidum lectorem.

HActurusnè operæ curæque precium sim, si à nuperrimo per illud electum Dei organon Lutherum, reformatæ religionis exordio illustrium Theologorum, (per quos Deus immensâ & ineffabili bonitate & misericordiâ doctrinam Ecclesiæ, ex regni Pontificii plus quàm Cimmeriis, & confusarum opinionum perplexissimis labyrinthis, erutam, extricatam & emendatam restituit,) vitam & res gestas partim ab aliis, iisq; diversis autoribus, hinc inde frustatim dispersas, partim in memoriâ ac vocali traditione latentes investigavero, investigatas comportavero, literisq; mandavero; nec satis ipsemet scio: nec si sciam, aliis, ut, me id præstare posse, credant, persuadere ausim, utpotè qui vel fabuloso Icari & Phaêthontis casu monitus, videam, temeritatem adeò nullam ulli unquam feliciter cessisse, & plus quàm verè dictum esse illud Ovidianum:

Non ideò debet pelago se credere, si qua
Audeat exiguo ludere Cymba lacu.

Quocirca meo me pede metiens (ad quod ætas exilisque ingenii angusta tenuitas me nolentem volentem trahunt) satius esse autumo, intra mea me septa continere, quàm immaturè erumpere atque onus viribus meis fortasse impar, suscipere. Centesimum siquidem supra annum repetere memoriam, hoc opus, hic labor est. Utcunque erit juvabit tamen, sanctissimorum purioris doctrinæ

Digitized by Google

ctrinæ antistitum pro virib. me famæ inservire, & eorum, quibus reverentiam & obœdientiam debeo, monitis obtemperare. Etenim cùm in Colloquio nostro Alvenslebiaco alii, quoties respondendi munere fungerentur, aliam atq; aliam ad perorandum sibi delegissent materiam, ego hac cumprimis, quæ circa laudis & æterni nominis honestam tutelam occupata est, præsertim doctorum, qui religionem Christianam penè extinctam quasi de morte resuscitârunt, splendidissimis illustrationibus magis magisque apertam reddiderunt, & conservarunt, ob utilitatem suam & præstantiam delectabar. Quod animadvertêtes Collegæ mei semper honorandi mihi sæpius subsistenti calcar addebant, quò accuratiorem diligentiam huic negocio impenderem, & aliquando aliis, si de ipsorum & meo judicio parùm acuto hæsitarem, arte limandum, elaborandum & perpoliendum traderem, typisque impressum publici juris facerem, autores mihi erant & svasores. Accessit mihi animus & robur, quod cogitarem istud à mea tanquàm hominis theologi vocatione non esse planè alienum, & imprimis ad gloriam Dei & proximi spectare utilitatem. Nam cùm Deus ipsemet operarios in suam vineam conducat, mittatque, & excellentes naturæ nihil aliud sint, quàm habitacula omnipotentis, & viva templa Spiritus Sancti: In dubium & controversiam non venit, quin divinos vergat in honores, si (juxta illud Prophetæ regii: In memoriâ sempiternâ erit justus, Psalm. 112.) præstantium virorum, qui Deo in Ecclesiâ suam fideliter navarunt operam, fama & nomen à mortalitate vindicetur, neque unà cum corporibus sepeliatur, ut manifestum fiat, quæ & qualia penes ipsos dona in commune Reipubl. Christianæ emolumentum deposuerit Dominus: utq; pii ad

Digitized by Google

pii ad ſeriam erga Deum gratiarum actionem extimulentur & ad ſanctam ex illis talentis uſuram faciendam excitentur. Neque hoc ſtudium meum proximi carebit utilitate, quam non meis tamen, ſed autoris Epiſtolæ ad Hebræos, verbis eloquar: **Memores eſtote, inquit, Ducum veſtrorum, qui locuti ſunt vobis ſermonem Dei, quorum imitemini fidem, conſiderantes, qui fuerit exitus converſationis ipſorum.** Quippe (hoc ut nobis de ſuis largiatur Cicero,) maximum artificium eſt in arte ſuâ poſſe alienis uti exemplis. Aliàs imperiti per imprudentiam facilimè deducuntur in fraudem & errores. Adhæc, poſteritatis habui rationem, (ſi modò lucem, ac diuturnitatem ſcripta mea ferre poterunt) ut poſteri tenerent noticiam tàm præcipuorum Doctorum, quàm generis doctrinæ, & ſcirent, quale dogma, per quos traditum, & quibus confirmatum teſtimoniis, aut judiciis accepiſſent, Et hoc modo occurrendum etiam videtur iis, qui *nobis* deformitatem confuſionum, quam peperêre à nobis egreſſi quidam Apoſtatæ objiciunt, & omnes monendi, ut, ſepoſitâ prodigioſâ Chimerâ, quæ ex ſycophanticis depravationibus doctrinæ rectè traditæ conſuta obtruditur, quisque puris oculis & ſincero mentis non faſcinatæ judicio, intueatur conſenſum ſummum, quem retinuit vera Eccleſia inde usq; à tempore Confeſſionis Auguſtanæ, quo primùm Capita præcipuarum controverſiarum ac diſputationum in certam doctrinæ formam redacta ſunt. Adde, quod eius generis pleraque neque verè neque moderatè ſunt ab aliis prodita literis. Extat quidem Cochlæi Chronologia, & cujuſdam Profeſſoris Pariſienſis Gilberti Genebrardi liber. Sed quàm non ſibi temperaverint à mendaciis, nugis, calumniis & conviciis, ad oculum

Digitized by Google

demonſtrari poteſt. DEO igitur benè favente, feci tandem rei periculum, initium ſumens à Johanne Reuchlino, per quem DEUS ante reformationem religionis linguas & artes, barbariei Pontificiæ ſordibus conſpurcatas priſtino elegantiæ nitori ac puritati reſtituit, quò deinceps exoptatiſſima illa Evangelici ſolis claritas eò auſpicatiorem haberet ortum, proſperius incrementum, & ſplendorem magis fulgentem. Poſt hunc ordine, quo poſſum, Theologorum Vitebergenſium, qui poſt feliciciter jacta ejus Gymnaſij fundamenta ibi docendi causâ vixerunt hiſtorias bonâ fide recito. Non tamen omnium, ſed (ut ſuprà dictum eſt) præcipuorum tantùm, quorum corpora ibidem ſunt humata, ſiquidem multò plures Vitebergæ ſacroſanctam Theologiam non ſine laude profeſſi ſunt, utpote Reverendi & clariſſimi Viri, Nicolaus Amsdorffius, Johannes Avenarius, Johannes Aurifaber, Matthias Flacius Illyricus, Simon Pauli, David Chythræus, Tilemannus Heſshuſius, Martinus Chemnitius, Nicolaus Seelneccerus, Polycarpus Lyſerus, Agricola & alij, quorum hiſtoriæ adeò non ſunt ignotæ, ut hiſce unâ eademque operâ eas inſeri neceſſe fuiſſet.

Docuerunt etiam ibidem Pezelius, Widebramus, Stöſſelius, Henricus Möllerus, Caſparus Cruciger junior, Pierius, Henricus Majus, & alij ejus farinæ homines, qui à ſenſita veritatis Lutheranæ deviârunt, & Calviniſmum introducere in Scholam & regionem iſtam conati ſunt. Ideoque eos ſuperioribus non annumero, niſi quod unum atque alterum propter hiſtoriæ ſeriem, & ob turbas, quas dederunt, inmiſceam.

Nec eos recenſeo, qui adhuc ibidem ingenioſam juventutem in Theologicis rebus rectè formant; non, quod

Digitized by Google

quod debitâ gloriâ eos velim defraudare: sed ne impingam in id Albini, qui Severi Imperatoris æmulus fuit, (referente illud Sabellico libro quinto Ennead.) dicentis: Res gestas illius scribere, à quo præmium exspectes, aut pœnam, lusus est. Hoc autem debitâ animi subjectione, quàm diligentissimè rogatum volo candidum lectorem, ut mihi in honorem doctorum piorumque divinæ Scripturæ interpretum, verba facienti benignè faveat, & pro gravitate materiæ hujus non semper Cedro dignas loquenti sententias, haud gravatim ignoscat. Prodesse nimirùm studeo. In magnis & voluisse sat est. Quod si summa petit livor, (ut Poëta inquit) ego invidiam non metuo. Mei potiùs miseret me plurimùm, qui alienis interdum plumis ornatus in tot ingenio & arte præstantium virorum conspectum prodire non verear. Verùm hoc me solatur, quod quemad modum aranearum textus ideò melior non est, quia ex sese fila gignunt: sic nec apum labor vilior est, quia ex alienis libant. Proinde si rusticum quid & illepidum occurret, omne hoc meum esse putate. Pro me faciunt quæ Gellius lib. 13. cap. 2. recitat: L. Accius nimirùm tragicus poëta Pacuvio objicienti, sonora quidem esse, quæ scripsisset & grandia, sed videri sibi tamen ea duriora paulùm & acerbiora, respondet: Ita est uti dicis. Neque id sanè me pœnitet. Meliora enim fore spero, quæ deinceps scribam. Nam quod inpomis est, itidem, inquit, esse ajunt, in ingenijs: quæ dura & acerba nascuntur, pòst fiunt mitia & jucunda. Sed quæ gignuntur statim vieta & mollia, atque in principio sunt vivida, nou matura mox fiunt, sed putria. Relinquendum igitur visum est in ingenio, quod dies atque ætas mitificet.

Faxit

Digitized by Google

Faxit DEUS ter Optimus Maximus, ut laus & memoria sanctorum suorum, tàm mortuorum quàm vivorum floreat in Ecclesia hac militante usque ad glorioſum Servatoris nostri Jesu Christi adventum & judicium. Tunc enim promissa rectè factorum præmia percipient & audient dulcissimum ἀκρόαμα, decantante illud Ecclesiâ triumphante, juxta vaticinium Danielis 12. Doctores fulgebunt tanquam splendor firmamenti, & qui multos ad justitiam erudierunt, quasi stellæ in secula seculorum.

Amen.



ORA-

Digitized by Google

ORATIO

DE VITA ET REBVS GESTIS IOHANNIS REUCHLINI, SEU CAPNIONIS, CORAM Dominis Colloquij Alvenslebiaci fratribus, recitata à Joh. Bism. 28. Aug. Anno M DC X.

TA positum & certum nobis esto, quod conservanda & diligenter custodienda sint illustrium dicta & facta bonorum, qui Ecclesiæ Christi sinceriorem doctrinam, & cultum restituerunt, & illustrarunt. Ecquid enim aliud mortui in hoc Mundo percipere possunt pro laboribus & meritis, præsertim literis humanoribus imbuti, quàm extremum sepulturæ honorem, nomen gloriosum, atq; desiderium sui? Prout Syracides cap. 44. de viris honestis ait: corpora eorum in pace sepulta sunt, at nomen eorum manet in generationem, & generationem. Sapientiam ipsorum narrent populi, & laudem ipsorum nunciet Ecclesia. Imò & Poëta ethnicus hac spe contra mortem se sustentavit:

Cùm volet illa dies, quæ nil, nisi corporis hujus
Jus, habet, incerti spacium mihi finiat ævi.
Parte tamen meliore mei super alta perennis
Astra ferar, nomenque erit indelebile nostrum.

Cùm igitur inter doctos, qui intra centum annos vixerunt, non postremum teneat locum JOHANNES REUCHLINUS: *Ejus recordatio meritissimè nobis omnibus non tantum grata, verùm etiam Sacrosancta esse debet, utpotè, qui tanquam præcursor Lutheri, horridum*

Digitized by Google

ſidum iſtud & à lingua Latina caſtimonia abhorrens dicendi genus, quo in diſputando & docendo utebantur Scholaſtici, quantum potuit, paulatim removit. Nam, velut linguarum cognitio Apoſtolis ad illuſtrationem, & propagationem cæleſtis doctrinæ miraculosè per viſibilem Spiritus ſancti aſſiſtentiam data fuit: ita & hoc noviſſimo tempore cùm Deus ter Opt. Max. homines ad cognitionem veritatis reducere vellet, per ante dictum Reuchlinum ſacrarum linguarum uſum priùs reſtauravit, quarum adminiculo non pauci veræ religionis ſenſum indagarunt & alijs vicißim à varijs ſuperſtitionibus repurgatum tradiderunt.

Atq; hinc eſt, quod hujus præſtantiſſimi, ac celeberrimi viri vitam & res geſtas commemorare mihi propoſuerim, ſermone ſi non eleganti & ornato, ſimplici tamen & perſpicuo. Vos autem, Reverendi & doctiſſimi viri, fratres honorandi, oro & obteſtor, ut me de Capnione dicentem placidè audire non gravemini.

// Natus eſt Johannes Reuchlinus (cujus nomen à Junio deminutum Hermolaus Barbarus in Italia converſum Capnionis eſſe voluit,) Anno Chriſti M C D L V. V. Calend. Jan. Patria PHORCENSEM Sylveſtris Sveviæ, ex varijs librorum, atq; tabularum ejus inſcriptionibus, eſſe accepimus.

Phorcenſium verò urbis conditorem ſtatuit Reuchlinus Phorcyn Iuniorem, Phrygij exercitus Ducem, allegans Homeri teſtimonium, qui in navium enumeratione ſic ait:

Phorcys ille Phrygum ductor fuit, Aſcaniusque.

Sive quod reverà ita ſenſit Reuchlinus, ſive ingeniosè ita luſit. Ipſius verba recenſebo, ſiquidem hanc commemorationem, & propter res pulcherrimas jucundam fore auditoribus, exiſtimo, & ad laudes Reuchlini pertinere, judico. Inde enim intelligetis multiplici eruditione, & inſigni antiquitatis cognitione, præclarè inſtructum fuiſſe. Adversâ namq;, inquit, fortunâ dum Ilium caderet, coacti ſunt, qui vitam ſervaſſet, ex innumeris pauci ſuperſtites, alias ſibi ſedes quærere, alia regna ſperare. Igitur Æneas cum Aſcanio, pericu-

periculorumq; socio Phorcyde, quàm plurimis etiam reliquis Italiam petunt. Sed Ascanius cùm sub Albano monte oppidum conderet & quisq; sibi manendi locum alius alibi destinaret, is se demum Phorcijs Junior, superioris Phorci, qui Sardiniæ Corsicæq; rex, ab Athlante quondam victus, & in mare submersus perhibetur, ex Euriaknepos, per Italiam & Insubres Germaniam ingressus, & trajecto lacu Istri, & Rheni fontes per faciliora loca montanasq; planities adversus Solem occidentem tendit: ubi fluvium offendit limpidissimum, & piscatorium, ejusq; in ripa imbecille tugurium, ad quod se, lassum trahens vestigium, senex quidam corripuit, gravatus annis, & totus baculo incumbens. Qui cùm Phorcyn in tàm deserto nemore cum tanta familiæ copia incedere vidisset, exterritus, parùm abesse putabat, quin spiritum omnem emitteret. Phorcydi autem quærenti, quid hoc fluentem vocaret: senex ipse respondio: Æneas (Entium nostri vocant die Enß) nomen esse. Tum attenuitus eo nomine Phorcys, versaq; ad flumen facie, mox subintulit, Tunè ille Æneas quem Dardanio Anchisæ,

Alme Venus Phrygij genuit Simoentis ad undam?

Quos versus posthac Maro Virgilius in suam Æneada transtulit, peregrinâ vetustate delectatus. Hic itaq; sumpsit omen, & sortem advena manendum sibi fore, cœpitq; multitudinem suam hortari, ne divinum oraculum contemnerent, quod in Trojani Antistitis nomine deprehendisset. Nam quibus Æneas jam dudum modicis intervallis esset relictus, eis jam sese liquidò alter Æneas ostenderet. Dux igitur Phrygius & animo & more regio cunctos jussit, ut quantum quisq; conari possent, arborum undiq; roboribus erutis ex deserto campestrem agrum efficerent. Quo in loco breve oppidum & arcem extruxit, quam de suo, & avi nomine Phorcen appellavit. Tantum erat ab illo gravissimo, atq; omni laude, atq; honore dignissimo viro Æneas dilectus, ut ad solam vocem, quia fluvius Æneas diceretur, sedendem ei quasi ad perpetuum Trojani Æneæ monumentum eligeret. Accessu itaq; temporis cùm de mediocri familia populus copio-

Digitized by Google

pioſus fieret, & cæptæ habitationis anguſtia vicinas ſylvas cedere, arva colere, vicos ædificare, ac urbes educere cogeret, ajunt illum præter tàm ruſtica, quàm urbana multa etiam alia iſthûc oppida fundâſſe, quorum ſingula nominibus ſingulis tàm matris, quàm materiarum, ad æternæ proſapiæ memoriam, notavit, quæ partim edax abolere vetuſtas, partim commutare barbarorum immodeſtia nititur. Nam quod quondam Euriale, jam Aurelium, quod Stheno antèà, nunc Stein, quod Scylla Scell dicitur, quod olim Meduſa, id ſuperiori ætate in Novam arcem commutatum eſt: ſic Gorgoneæ Phorcinides (quarum lata eſt fama, & vetuſtiſſima commemoratio) fertili glebâ, ſitu loci amæno in ſempiterna omniq; duraturâ memoriâ conſervantur. Et ne deeſſet quoq; poſteris Aſcanij ſocij reducis atq; collegæ ſui diutinum monumentum cæpit etiam ejus urbis cogitatione, quam idem ſub Albano monte ſulcabat, in orbem ſimile quiddam exædificare: quod pari nomine Longam Albam vocavit. Id nomen hodiè permanet à Phorce intra ſecundum lapidem. Hæc Phorcydis urbis origo, & veneranda vetuſtas, ſub nomine Sidonij cap. 1. lib. 1. de verbo mirifico Johannis Reuchlini traditur.

Quanquam autem non parva civitatum gloria & felicitas in conditoris claritate, longa temporis duratione, ſoliq; fertilitate ſita eſt; major tamen eſt, quæ conſiſtit in civium probitate, fideli juniorum inſtitutione, ac divite ingeniorum proventu. Præter alias igitur proſperitates, quibus Deus hanc Phorcenſium urbem reddidit beatiſſimam non eſt poſtrema, quòd ſcholâ frequentiori ſemper fuit inſtructa, & duo illa politioris literaturæ lumina, Iohannes Simlerus, & Johannes Hildebrandus ſedem ſuam ibi habuêre, quorum hic privatim Græcos, ille publicè Latinos autores juventuti prælegebat tantâ fidelitate, ſedulitate, felicitate, & ſucceſſu, ut ex hoc ludo, tanquam ex equo Trojano, innumeri ſcholarum rectores, curiarum præſides, templorumq; antiſtites proſilirent peritiſſimi. Horum de numero fuerunt Philippus Melanchthon, & Franciſcus Irenicus. Verùm de iis aliàs, Ad Iohannem Reuchlinum redeamus.

Ortus

Ortus is est parentibus amantibus virtutis & doctrinæ, à quibus cùm ad studia literarum cum fratre Dionysio adhibitus fuisset; Musicæ initijs, qualia id temporis tradita sunt, cognitis, adjunctus est adolescentibus, qui ut plerisq; in locis mos fuit, multa in templis precinuerunt. Et quod voce plurimùm valeret, ad aulam Badensem accersitus, & symphoniacis adjunctus est.

Deinde propter singulare ingenium, mores egregios, & mediocrem Grammaticæ cognitionem, quâ cæteris antecellebat, cum Marchione Badensi adolescente Lutetiam missus est An. MCDLXXIII. ætatis verò duodevigesimo, ut videre est ex ejus epistolis & præfatione Grammatices. Hærens aliquandiu in hac per totum terrarum Orbem celeberrima, & frequentissima Academia, doctissimorum hominum consuetudini, & literarum cognitioni totum sese consecravit, linguamq; Gallicam ibi feliciter hausit, & cum Germanica sibi familiarem reddidit, Græcæ quoque linguæ rudimenta primùm in Gallia didicit, præceptore Hermonymo Spartiatâ Græco, qui secundus à Gregorio Typhernate in ea regione literas Græcas velut à morte resuscitavit. Contulerat enim sese non multò antè Parisiorum Lutetiam Gregorius Typhernas ex ludo, quem aperuerat Emanuel Chrysolora. Hunc Typhernatem adolescens Capnio audivit, & ab illo venustè pingere literarum figuras doctus fuit. Petebant hîc multi ab ipso Grammatica elementa, & paginas Homeri & Isocratis, qui enarrabantur. Interea simul in linguâ Latina, & in Dialecticis Aristotelis exercebatur, quæ ita perfectè memoriæ mandata tenuit, ut senex etiam ad verbum longas Aristotelis sententias recitare posset. Extat Typhernatis epistola ad Capnionem scripta anno salutis MCDLXXIIX.

Cùm verò annum XXI. ingressus esset Reuchlinus, atq; Græcis diligentem operam dedisset literis: tendit Basileam, ubi Magisterij Philosophici gradu ornatus est, linguamq; Latinam, & Græcam docere publicè cæpit. Venit eodem tempore Basileam doctissimus vir Basilius, qui & Wesselus (sive cognomento, sive à Basilio corruptè,

Digitized by Google

ruptè, sive pro Wesselo vocabulo barbaro, Basilio substituto,) vocatur Gröningensis Frisius, Lutetiâ ideò pulsus, quòd crassissimos Theologorum errores omnes probare non posset, cujus Dominus Philippus Melanchthon ex Capnionis narrationibus, & scriptis editis mentionem sæpè facit honorificentissimam. Huic se adjunxit Capnio cùm propter doctrinam, & authoritatem, tùm quòd admodum ei placeret hominis familiaritas, quem Lutetiæ anteà novisset, & ab hoc primâ linguæ Hebreæ elementa didicit. Basileæ quoq; librum collegit, cui titulus est Breviloquus, qui tunc, cum nondum meliores libri in hoc genere haberentur, expetitus est, & multis profuit. Posteà Aureliam Galliæ reversus circa annum 1478. ut apparet ex epistolâ Hermonymi, & præfatione Grammatices Hebr. Reuchlini, studio juris sese dedidit, & cùm interdum Latinam, interdum Græcam linguam doceret, sicuti & conscripsit ibi Grammaticam Græcam titulo μικρογραμματικης, quam Pictavij publicè prælegit anno MCDXXC. A nobilibus eum diligentissimè audientibus studiorum suorum sumptus habuit sat copiosos, adeoq; profecit, ut primò honorem Papinianistarum Anno MCDLXXIX, & successu temporis cathedram meruerit, nec non Doctoris insignia in Pictavis Anno 1481. ut testantur literæ promotionis editæ. Papinianistæ autem dicebantur olim, qui biennium in legum studio versati, tertium etiam adjungebant: Lytæ verò qui triennium in legum studio versati quartum etiam adjungebant: quasi λυτοι id est, solubiles: à certa illa & præscripta studiorum ratione solvendi, & legendi libertate, ac licentiâ donandi: quasiq; missionem à magistrorum suorum scholis impetraturi. Nam cùm ad finem libri Pandectarum trigesimi sexti perventum esset, qui postremus anni quarti liber erat, statuit Imperator, ut reliquos quatuordecim libros studiosè per se domi legerent, neq; ex præceptoribus interpretantibus eos audirent. Deniq; prolytæ, qui quatuor annorum spacio in legum studijs decurso, quintum & postremum adjiciebant. Hesychius πολυτικους interpretatur πολιτικους, πολιτευομενους: ut ij sint, qui ab illa præscripta, & præfinita

Digitized by Google

finita studiorum lege sunt soluti, & tanquam emeriti stipendijs honestam à magistrorum scholis missionem impetrarunt. Unde hodiè quoq; Licentiati appellantur. Hotomanus de verbis Juris.

In Germaniam reversus Capnio Tybingæ propter vicinitatem patriæ mansit. Cumq; Optimus Princeps EBERARDUS PROBUS, cum doctissimis viris, quos in schola sua habebat, Romam profecturus esset: Hunc Capnionem, propter expeditiorem Latinè loquendi, & scribendi facultatem, & sonum pronunciationis minùs horridum, qui in ipso præ cæteris animadvertebatur, & quòd exteras nationes anteà vidisset, sibi adjunxit. Ideò non multò pòst legatus ad Imperatorem FRIDERICUM missus est, ubi inter medicos Imperatoris reperit Iudæum quendam doctum nomine Iacobum Jehiel Loans, Imperiali munificentiâ & Doctorem Medicinæ & equitem auratum. Is suprà, quàm dici queat, fideliter literas Hebraicas eum docuit, ut in præfatione rudimentorum ipse commemorat. Cùm autem, de more aulæ, deliberatio esset, de dono aliquo dando Oratori: hic ejus præceptor, qui in suam familiaritatem tum receperat, effecit, ut cæteris honorarijs codex Hebraus pulcherrimè & integerrimè descriptus, qui trecentis aureis tùm temporis emi non potuisset, adjungeretur. Idque eò facilius factum est, quod sapientissimus Imperator studio hominis Germani admodum delectaretur.

Domum itaq; reversus & hoc Bibliorum codice instructus, ad majorem diligentiam linguæ cognoscendæ fuit exstimulatus. Cumq; jam non tenui sermonis Hebraici peritiâ ornatus esset, nova ei objicitur occasio, hanc exquisitissimè & (quod ajunt) ad unguem velut perdiscendi, Romam nimirum ad Alexandrum Sextum ablegato, Anno Christi MCDXCVII. Etenim cùm Eberhardo primo Duci Wirtembergensi, contra ultimam testatoris voluntatem successisset alius, cujus indolem & mores non probaverat sapiens & bonus princeps Eberardus: ex delatione Monachi cujusdam Augustiniani Capnio in suspicionẽ venit, quasi is cum nonnullis de removendo successore

Digitized by Google

ceſſare illo apud MAXIMILIANUM Imperatorem ageret. Quæ de re certior factus, & monitus Capnio, ne in carcerem abduceretur, fugit in aulam Palatinam, ubi tunc erant viri doctiſſimi ipſiq; amiciſſimi, Dalburgius Epiſcopus Vangionum, Plintus Cancellarius, Rodolphus Agricola, Vigilius & alij, quorum ſinguli magnas Academias ornare poterant. Talium amicorum conſvetudo exilium ejus quodammodo leniebat. Ibi & PHILIPPO Palatino Epitomen hiſtoriarum compoſuit, recitatâ ſerie Monarchiarum ex Herodoto, Xenophonte, & alijs bonis autoribus res Macedonicas & Romanas deſcribentibus. Quin & Comœdiam ſcripſit nomine Sergius, vel capitis caput, plenam nigri ſalis & acerbitatis, adverſus rancidum iſtum monachum, qui ejus vitæ inſidiatus erat. Dalburgius verò lectâ illâ monachi inſectatione, diſſvaſit editionem & actionem, quòd eodem tempore, & apud Philippum Palatinum Franciſcanus eſſet Caſtellus, propter potentiam & malas artes inviſus nobilibus, & prudentibus viris in aula. Intellexit periculum Capnio, & hanc comœdiam ſuam aliquandiu ſupprimens occultavit, & quia flagitabatur actio, alteram dulcem fabellam Gallicam Jambicis trimetris Latinè redditam, & plenam candidi ſalis, in qua forenſia ſophiſmata taxat, vocatq; Scenica progymnaſmata, edit, & repræſentari ab ingenioſis adoleſcentibus curat Anno dicto 1597. Extant jamnum ambæ Comœdiæ iſtæ, per Johannem Chymnicum Coloniæ Agrippinæ typis excuſæ, Anno ſupra milleſimum & quingenteſimum trigeſimo ſeptimo. Secutæ ſunt deinde in aula Palatini deliberationes de conjugio RUPERTI & Filiæ Ducis Bavariæ GEORGII. Cumq; Romani Pontificis authoritate approbari illud conjugium vellent, Capnio legatus Romam fuit miſſus, ubi invenit Iudæum Caſinatem Abdiam, Iacobi Sphurni filium, qui ipſum toto legationis tempore per integrum videlicet annum in Hebraicis erudivit, ſed nec ſine inſigni mercedis impendio. Pro ſingulis enim horis ſingulos aureos δισαντου perſolvit. Tunc etiam Romæ Argyropilum Thucididen interpretantem audivit,

Digitized by Google

vit, de quo suo cum Ægyropilo congressu, Capnio solitus est, Philippo Melanchthone teste, hanc recitare historiam: Cùm in auditorium venisset ante lectionem more legati mediocri stipatus comitatu, & assiderent ibi multi nobiles homines, senes, Cardinales etiam aliqui: salutat Argyropilum reverenter, deplorat exilium Graecorum, & narrat se cupidum esse doctrinæ ipsius. Argyropilus interrogat, cujas sit, & an Græcam lingvam intelligat. Hic respondet, se Germanum esse, & Græca lingvæ non omninò rudem. Jubet igitur Argyropilus eum legere partem Thucididea concionis, & reddere sententiam. Legit Capnio clarâ voce & addit interpretationem, eumq; & sonus pronunciationis non esset agrestis, & sententia rectè, & bonis verbis reddita, animadvertit Argyropilus, gemens exclamat: Græcia nostro exilio transvolavit Alpes. Oratio Capnionis, de Palatini, & nobilissimæ familiæ Ducum Bavariæ reverentia erga Ecclesiam, recitata coram Pontifice extat quoq; ab Aldo edita.

Posteaquam verò ex Italia in Germaniam redijsset: ad tranquillitatem aulæ Wirtembergensis erat redacta. Nam edicto Imperatoris coactus ille successor Eberardi reliquerat gubernationem, & monachus procul fugerat in alias terras, rerum habenas capescente Duce HULDRICHO, cui propter juventutem adjuncti erant viri sapientiâ & virtute excellentes Gregorius Lampater, Duo Naucleri, & alij quidam. Hi revocant Capnionem in Patriam, quem etsi Palatinus non libenter dimisit: tamen, cùm diceret, se ad conjugem, & ad ocium domesticum, lingvæ Hebraæ propagandæ causâ aspirare, & ab aulis abesse velle, non repugnavit honestissimo ipsius proposito.

Reversus in patriam, cùm post bellum Bavaricum, judicium Svevici fœderis ita constitueretur, ut Tubingæ quater convenirent quotannis judices, & doctores in hoc numero essent: ipse quoq; delectus est, coq; officio unico contentus, totum studijs privatis sese dicavit.

Digitized by Google

Accidit autem, ut Reuchlinus sæpius Phorcen veniens suam sororem, qua Philippum Melanchthonem cognatum alebat, inviseret. Philippi ingenio igitur prospecto currenti equo calcaria addidit, atq; varia literaria munera obtulit, utpotè pileum doctoralem, quem in Italia acceperat, nec non Grammaticam Græcam est pollicitus, eâ tamen lege, si versus aliquot componeret, sibiq; cùm redijsset, offerret. Hisce & similibus pollicitis Philippi animum demulcebat, tantumq; discendi amorem ipsi instillabat, ut sese non solùm diligenter in Poëtica, & Græca lingua exerceret, sed puer fermè in honorem Reuchlini cogitati scriberet comœdiam, quam in ejus præsentia postmodum egit, personis convenientibus ad id electis. Tàm sanctus nempè docendi ardor viro inerat, ut etiam inter peregrinandi molestias, & inter ardua negocia politica, si suis admonitionibus bonos, & ingeniosos juvenes obvios quosq; non redderet instructiores, & ad Musarum castra ineunda alacriores, piaculum se commisisse putaret. Et quia linguarum beneficio verum sacrarum literarum sensum paulatim indagare cœperat, Philippo Melanchthoni agnato auctor fuit, ut sese Luthero adjungeret, quemadmodum & Johannes Förſterus, & Adamus Reusnerus, primarij Capnionis discipuli fecêre, fidelis magistri sui instinctu & ductu, qui in hoc imitatus est exemplum Iohannis Baptistæ, discipulos suos ad Christum ablegantis. Porrò cùm à Duce Bavaria WILHELMO invitatus in Academiam Ingolstadiensem sese recepisset, multum delectabatur studijs juniorum, & ut quisq; maximè cupidus erat discendi & plurima suscitabatur: ita illi quoque maximâ comitate respondebat, nec rarò libros dabat utendos.

Apparet igitur hunc Iohannem Reuchlinum ad trium linguarum, quas Cardinales vocant, restauranda & propaganda studia divinitus instructum, & vocatum esse, in qua sua vocatione plerasque orationes Xenophontis, in Socratis defensionem habitas, tùm Procli, Luciani, Homeri, Platonis, Epiphanij, & aliorum transtulit, & studiosis communicavit. Ad hæc, de diversitate quatuor Idi-

Digitized by Google

matum Græcæ lingvæ scripsit. Et primus lingvâ Latinâ Grammaticam Ebraicam, & Dictionarium edidit, non ex Iudæorum opinionibus, sed ex textuum collatione concinnatum. Impressum est opus hoc Phorcæ apud Thomam Anshelmum Anno MDVI. Atqueut nihil deesset sacræ lingvæ studioso Anno MDXII. in lucem emisit Grammaticam expositionem septem Psalmorum pœnitentialium, in qua omnium vocabulorum considerat & exponit accidentia, & numeris regulas Grammaticæ suæ adjungit. Hac manuductione sanè utilissimâ posteriores adjuti, facilè inventis aliquid addere potuerunt. Nec Latinam lingvam excolere est aspernatus, edens Dialogum, quo nihil mirabilius, aut facundius, de verbo mirifico, ubi omnia secreta Philosophiæ Ethnicorum, Hebræorum, & Christianorum portentosa, verba pulcherrimè explicavit. Editionem, quam ego vidi, facta erat Lugduni apud Johannem Tornaësium Anno Christi MDLII. Præterea Canticum Josephi Esopæi, quod catinus argenteus vocatur, continens sententias morales in Latinam lingvam vertit; qui liber excusus est apud Thomam Anshelmum Hagenoæ. Composuit etiam tres libros de arte Caballistica, omnigenâ eruditione plenos, Basileaq; à Iohanne Hervvagio An. MDV. editos.

Mercedem autem pro laboribus tulit, qualis in ingrato Mundo benemeritis contingere solet. Namq; secundum Martinum Simonem Brandenburgensem, fuit in urbe Agrippina impostor quidam Judæus, qui simulabat, se amplecti religionem Christianam, & familiaris erat monacho inquisitori (uti nominant) hæreticæ pravitatis, Hochstrato, & ejus asseclis. Hic ostendit immensam pecuniæ summam honestâ specie & sine grandi negocio Iudæis eripi posse, modò edicto Imperator jubeat publico, ut Judæi libros omnes adferant in curiam sui quisquè oppidi, quo ab inquisitoribus cæteri libri præter Biblia, tanquam pernicioſi Christianæ religioni, comburantur. Nec id serio furcifer ille agi volebat, sed Iudæos sciebat statim magnâ pecuniâ libros redemturos, & hanc prædam captabat dividendam inter inquisitores, & socios hujus consilij.

Digitized by Google

Petunt igitur Monachi edictum ab Imperatore, & religionem prætexunt. Editur mandatum, & Francofordiæ libri in curiam gestantur. Verùm (ut multi sunt Judæi non ignari communis vitæ) in aula Imperatoria suos etiam patronos adiere, qui rem eò deducebant, ut Imperator sciscitaretur judicia eruditorum in lingua Hebræa. Jubetur itaq; scribere Capnio, quid sentiat. Hic in suo hortulo Stutgardiæ latitans, ne suspicari quidem poterat, quo astu hoc instructum esset. Ideoq; sententiam fert longè mitiorem, discernit libros, & nominatim scripta contra Christum suadet aboleri, eaq; suis titulis, quænam sint, expressè indicat. Grammaticos verò & aliarum honestarum artium libros orat conseruari, ne lingua necessaria Ecclesiæ penitus deleatur. Hæc sententia æquior cùm Imperatori magis placuisset, libri in curiam Francofordianam depositi Iudæis restituuntur, & elusâ fraude discedit inquisitor, ut corvus hians. Tunc autem monacho furijs exarserat atro felle dolor. Lecto igitur Capnionis scripto calumniosè quædam excerpit dicta atroci criminatione, accusat Capnionem hæreseos. Neq; hoc satis videbatur, sed etiam Moguntiæ congregatis aliquot suæ factionis hominibus, cumburit librum Capnionis. Quid fit? Capnio luculentam orationem Latinam ad Imperatorem edit, & provocatione ad judicia legitima, & ad Pontificem se defendit. Pontifex Episcopo Spirensi mandavit, ut controversiam cognosceret, qui & delegit judices viros sapientes & eruditos, Svalbachium, Truchsesium, nec non Theologos, Capitonem, & Jodocum Gallum hospitem Erasmi. Hi cùm pronunciassent pro Capnione: Monachi rursus ad Pontificem provocarunt. Capnio Romæ præstantiores habuit patronos, quàm in Germania. Judicio namq; præerat Cardinalis Grimanus Venetus, excellenter doctus in Latina, Græca & Hebraica lingua, qui & dirimendæ litis adhibuit Petrum Galatinum, cujus extant scripta. Multum etiam apud hunc Cardinalem, & apud alios valebat authoritate senex eruditus, & svavis, natus in oppido Myscorum, Jacobus Questemberg, qui summâ fide tuebatur Capnionem.

Digitized by Google

nem. Commendavit & Erasmus hanc causam Leoni, & præcipuis cardinalibus.

Interea lectis in Germania scriptis Capnionis, calumniarum odio quàm plurimi à monachis fiebant alieniores. Erant quippè non pauci, qui amabant sinceram doctrinam, & à crassissimis monachorum erroribus, fœdaq; barbarie abhorrebant.

Verùm Optimus ille Reuchlinus, quamvis cuperet innocentiam suam tutam esse, & intelligi, quàm atrox sibi fieret injuria: pro sua tamen Persona optabat vim à se depelli, ne læderentur ulli, nevè adversarij scommatis, aut convicijs, sed simplice veritatis oratione refutarentur. Ingrata siquidem erat prudentiæ & gravitati senis, juvenilis levitatis insultatio, & hanc non tàm facto, quàm exemplo nocere posse, perspiciebat. Sed nihilominus alij, qui benè illi cupiebant, studiosi politioris doctrinæ, causam ejus suam esse rati, cœperunt fratres cuculligeros omni genere scriptorum insectari, tàm deridentes & eludentes inscitiam, & ruditatem, quàm increpantes improbitatem. Inprimis Huldrichus Huttenus, patriâ Francus, ordine eques, vir apprimè doctus, ingenio acerrimo, & animo confidentissimo, litigantes monachos variè exagitavit, aliquantò pòst armis quoq; expeditis adortus fuit. Hujus est carmen triumphale Reuchlini, cum pictura in illius conspirationis gregem contumelioſa, ubi unco trahitur quidam, qui cùm Judæus aliquando fuisset, operam in Capnione ladendo atq; evertendo, conductam quidem magnâ, (ut credebatur,) pecunia dederat.

Extant acta judicialia inter fratrem Jacobum Hogostratum inquisitorem Colonienſem, & Johannem Reuchlinum LL. D. ex registro (ceu vocant) publico, authentico, & sigillato edita Haganoæ in ædibus Thomæ Anshelmi Anno MD XIIX. mense Februario in quarto. Extat etiam Reuchlini encomium, triumphanti à devictis obscuris viris, id est, theologis Colonienſium, & fratribus de ordine prædicatorum, ab Eleutero Bizemo decantatum, sicut & Dialogus festivissimus Hogostratus, ovans, qui & Herostratus dicitur.

Digitized by Google

dicitur. Frater Lupoldus huic in itinere comes, & Eduardus Levis ex homine commutatus in canem.

Et, ut summatim dicam, ex hac Capnionis tragœdia, & certamine decennali omnis magistrorum nostrorum Colonien sium fama, & doctrina irreparabile naufragium faciendo, concidit.

Et, quanquam gliscente bello Svevico, Huttenus non minus eruditione, quàm nobilitate clarus, ne quid se indignum pateretur vir doctissimus atq; optimus, Francisco Ductore apud Duces intercedente, caverat, si vi capienda Stutgardia esset, ut proclamaretur in exercitu, Capnionis penatibus ne quis noceret: Horrescens tamen strenuus Musarum miles Martiales furores, relicto solo Wirtenbergense, Ingolstadium concessit, ubi aliquandiu lingvam Græcam & Hebraicam docuit, donec Tubingam iterum accerseretur.

Atq; ita docendo & scribendo magnam sibi non tantùm apud ignobile vulgus, verùm etiam apud illustrissimos principes, serenissimos reges, & invictissimos Imperatores, Cardinales & Pontificem ipsum conciliavit gratiam, & existimationem. Unde Michaël Neander Soravien sis, fidelissimus juvenilium studiorum rector, & doctorum virorum censor candidissimus, tali ipsum dignatur elogio: Reuchlinus eximium triplicis lingvæ culmen, trilingvis ille Phœnix, ὃν ξώοντες κλὴ κόσμιοι θεία γλαυκῶπις ἀδύν, Legum Imperialium Doctor eximius, ac Cæsaris Maximiliani Consiliarius, Comes Palatinus Lateranus, Sicambrorum Legista, Sveviæ triumvir, primus lingvarum instaurator, doctor, propagator, & interpres lingvæ Hebrææ, Chaldææ, Thalmudicæ, Græcæ, & Latinæ in Germania. Hactenus Neander, cujus honestissimum de Reuchlino judicium huc ascribere libuit. Neq; enim metuo, ne nimijs vir tantus à me laudibus extollatur, sed potiùs, ne magnitudinem rerum ab eo gestarum oratione meâ assequi ego nequeam.

Tandem de bonis literis & rep. Christiana optimè meritus, Anno recuperatæ salutis MDXXII. juxta Iohannem Sleidanum, & Funecium, ætatis verò LXVII. morbo ictterico laborare cæpit, ac flavâ

Digitized by Google

flavâbile per totum corpus diffusâ Stutgardiæ in ſua domo omnium bonorum luctu ex hac terra in cœleſtis vitæ conſvetudinem migravit, & honeſtè ſepultus eſt. In teſtamento cùm alia piè mandavit, tùm verò libros Hebraeos, & Graecos donavit collegio Phorcenſi, ubi in templo publicè ſervantur, & omnibus, eo ſpectare cupientibus, oſtenduntur, ubi etiamnùm multa Reuchlini manu ſcripta ſuperſunt officinis typographicis nondum commiſſa, utpotè Marci Antonini liber, cujus & vetuſtas mentionem fecit, orationes Maximi Tyrij, Hiſtoria Synodi Epheſinæ continens, quis indixerit, quis præfuerit, quo ordine, & qui viri ſententias dixerint, & multa alia. Magnus etiam acervus eſt ibi librorum veterum Hebraicorum, quos inter velut ingens theſaurus habetur Codex iſte librorum Moſis & Prophetarum, pulcherrimè & emendatiſſimè ſcriptus, de quo antè dixi.

Sed abrumpendum ſemel, & pijs precibus orationculam hanc concludendam arbitror hiſcè pauculis ex Eraſmi dialogo quodam deſumptis verbis: Amator humani Generis Deus, qui donum linguarum, quo quondam Apoſtolos tuos ad Evangelij prædicationem per Spiritum tuum ſanctum cœlitus inſtraxeras, per electum famulum tuum Iohannem Reuchlinum Mundo renovaſti, da ut omnibus linguis omnes ubiq; prædicent gloriam Filij tui Jesu.

DIXI.

ORA.

Digitized by Google

ORATIO

DE VITA ET REBVS GESTIS MARTINI POLLICHII MELLERSTADII, CORAM Dominis Colloquij Alvenslebiaci fratribus recitata à JOH. BISM. 27. Aug. Anno MDC XI.

MEns hominis repræsentare videtur agrum; quemadmodum enim

Fertilis assiduo si non renovetur aratro,
Nil, nisi cum spinis gramen, habebit ager,

testante Nasone lib. 5. Elegiarum de tristibus: ita illa, nisi excolatur usu & exercitatione, sterilescit facilimè, ut idem Poëta canit:

Adde, quòd ingenium longâ rubigine læsum,
Torpet, & est multò, quàm fuit artè, minus.

Unde liquet non paucos, quibus in ludicris, aut secularibus negocijs nihil est sagacius, immeritò causari rationis, sive memoriæ tarditatem, cùm potiùs suam ipsorum condemnare debebant negligentiam. Nam juxta Marónem: Labor improbus omnia vincit. Et summa affectantem altiùs iturum Quintilianus docet, quàm qui desperationem præsumit, & protinus circa ima subsistit. Et alibi: Nitamur, inquit, semper ad optima, quod facientes aut evademus in summũ, aut certè multos infra nos videmus. Alti quidem & multis sentibus obsidi Musarum colles à poëtis statuuntur; ad quos tamen anhelantibus viam aperiunt facilem, & expeditam non segnis cura laborq.

Id quod inter alia demonstrari potest exemplis omni pietatis, doctrinæ & reliquarum virtutum genere excellentium virorum,

Digitized by Google

rum, Johannis Reuchlini, Martini Pollichij, Johannis Staupicij, Martini Lutheri, &c. qui excelsum illud perfectæ & absolutæ eruditionis culmen indefesso studio, admirabili patientiâ, incredibili constantiâ, & fide superarunt, adeò, ut quàm plurimos infra se conspexerint, Ecclesiáq; & Reip. organa extiterint saluberrima.

Quæ cùm vera sint: historias eorum, Deo me bene juvante, quantum tenuitas mea permittit, pertexere non gravabor, quarum cognitionem utilitate suâ constantem, omnibus bonis gratam simul, & jucundam fore nullus dubito.

Cùm igitur ante annum, R. &c. viri, in conventu nostro laudatissimo Respondentis munere fungens de Johannis Reuchlini vita, & rebus gestis dixerim: in præsentia de MELLERSTADIO *quædam afferam in medium, eaq; non vana ingenii figmenta, sed certissima integerrimorum virorum argumẽta publicis monumentis expressa. Vos autem oro, & obtestor, ut quemadmodum aliàs feciſtis, ita hac quoq; vice mihi vestram beuevolentiam, attentionem, & æquanimitatem ad unius saltem horulæ spacium accommodare non dedigneminí. Quòd, si non omnia eo, quo decebat, ordine à me proposita, vel ex ipso eloquentiæ fonte deducta fuerint: mihi veniam date, quæso, cùm & Archesilaus rex interdum audire voluerit raucos, & in amœnæ vocis homines, ut, audiens posteà disertos, plus caperet oblectamenti. Ordiar itaquè à natalibus.*

Procreatus dicitur hic noster Martinus Pollichius Mellerstadij Franciæ Orientalis oppidi, quod pugnâ inter Henricum Quartum Imperatorem, & Rudolphum Suevum anticæsarem celebre est, ab honestis parentibus, quorum virtus, & pietas etsi à nonnullis prædicatur: eorum tamen nomina me legisse, haud possum recordari. Nec multum refert. Quandoquidem patriam

Et genus & proavos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra voco;

ut Poeta ethnicus rectè dixisse visus est. Quippè divitias, imagines, &

Digitized by Google

nes, & memoriam sui præclaram filiis relinquere possunt maiores, virtutem verò, & gloriam virtutis comitem non æquè. Virtus sola neq; datur dono, neque accipitur. Et parùm Illustris est, qui, præter avitum stemma, & insignia decora, nihil habet in sese animi generosi. Pulcherrimum autem nobilitatis genus, quod sibi quisq; propriis virtutibus conciliat, uti docet Juvenalis in Satyra sua 8, inquiens:

Tota licet veteres exornent undiq; ceræ
Atria. Nobilitas est sola atq; unica virtus.

Et paulò pòst: Quis enim generosum dixerit hunc, qui

Indignus genere est, præclaro nomine tantùm,
Insignis? Nanum cuiusdam Atlanta vocamus,
Æthiopem Cygnum, &c.

Atqui Martinum Pollichium nostrum reddiderunt clarum, clariorem, clarissimum propriæ virtutes & ingenij dotes,

Nam simul & prima literarum fundamenta feliciter jecisset, non instar cochleæ cornua intra testam domi retinuit, sed cœlum, quod motu gaudet, imitatus, hinc inde sese, studiorum gratiâ, ad varias scholas & academias contulit, crebrisq; peritorum virorum conversationibus usus est. Quocirca in omni doctrinarum genere, præsertim in Philosophia & Medicina diuturno exercitio præclaros fecit progressus. Quibus Juris peritiam, homini politico valdè necessariam, adiunxit.

Verùm enim verò cùm videret humanas artes, & scientias Philosophicas, etiamsi suas habeant in communi vita utilitates, ad consequendam tamen æternæ vitæ beatitudinem non conducere, vel (ut mollius dicam) non sufficere, nec perpetui quicquam ac solidi, quod perterrefactas conscientias erigere posset, ullibi, nisi in divinis eloquiis latere: Sacrosanctæ incubuit Theologiæ, & lectioni Biblicæ patrumq; vacavit.

Ex vultus porrò compositione, ex incessu & gestibus viri singularis elucebat modestia, & probitas, quibus & mores ad amussim veluti respondebant. Nihil enim rigidi, nihil lascivi, nihil agreste in

Digitized by Google

ste in ipsis conspiciebatur, ut adhuc sub judice lis sit, num fuerit in theoria solertior, an verò in praxi melior.

Peregrinationibus homines cœlum sæpè non animum constat mutare: & quemadmodum flumina per se dulcia, cùm in mare venerint, salescunt: Sic boni interdum tactu malorum inquinantur, & evadunt pessimi, quemadmodum Cleomenes Spartanorum rex, teste Plutarcho, diuturnâ Scytharum conversatione, cùm feritatem ipsam, tùm ebrietatem illorum ita imbibit, ut, post multa tyrannidis insolentissima exempla, tandem ad insaniam redactus, in seipsum crudeliter sævierit. De Lævina, quæ peregrinatione impudica facta est, extat epigramma Martialis lib. 1.

Casta, nec antiquis cedens Lævina Sabinis,
Et quamvis tetrico tristior ipsa viro:
Dum modò Lucrino, modò se permittit Averno,
Et dum Bajanis sæpè fovetur aquis,
Incidit in flammas, juvenemq; secuta, relicto
Conjuge, Penelope venit, abit Helene.

Verùm noster Mellerstadius pro innata sibi bona indole, & ea, quâ in primâ infantia imbutus erat, pietate, adeò non tantùm non infectus est malorum contagione, ut etiam alios suâ conversatione effecerit meliores.

Non authoritate, sed rationibus in disputando pugnare solebat. Inde factum, ut eruditione, & humanitate suâ bonorum omnium in sui amorem alliceret mentes, & Lipsiæ in Medicinæ professorem cooptaretur. At quanquam summo studiosorum applausu fructuq; docebat uberrimo: expertus tamen est illud vulgare:

Nunquam bella bonis, nunquam certamina desunt,
Et quo cum certet, mens pia semper habet.

In hunc enim modum de ipso scribit M. Esromus Papebergensis: Tum igitur, inquit, cùm in Academia Lipsica duo Præstantissimi viri in quadam medica quæstione dissentire cœpissent, (sicut à senioribus nostris me audivisse recordor,) & postea ad diversos

Digitized by Google

principes secederent, illo divortio horum alter apud FRIDERICUM Saxoniæ Ducem &c. huius (scilicet Vitebergensis) constitutionem adjuvit, & alter, ut triennio pòst Francofurtensis vicina fundaretur, perfecit. Qui nostræ Academiæ operam navavit, fuit Martinus Pollichius Mellerstadius, qui & Friderici animum confirmavit, cùm initia scholæ se non darent præclarissimè. Hactenus Esromus. Rebus sic stantibus, illustrissimus Princeps Fridericus Saxoniæ Dux, & Imperij Septemvir, cum quo

Ipsa suum commune habuit sapientia nomen.

Pollichio non tantùm corporis sui curam, sed etiam animum medicinalibus studiis, præsertim iis, quæ ad chirurgiam spectarent, imbuendum concredere non dubitavit. Ad alia etiam consilia, tàm politica, quàm Ecclesiastica, adhibuit, eiusq; industriam, & fidem expertus est.

Cumq; pius & prudentissimus princeps, tùm incredibili cupiditate peregrinos, & famâ celebres locos visendi, tùm devotionis gratiâ, mare terramq; transiens, Palæstinam peteret: horum itinerum, navigationum, laborum, periculorumq; omnium ipsi sese Achatem præbuit fidissimum noster, de quo verba facimus, Pollichius.

Jamq; ad insulam Rhodi deventum erat, ubi Elector cum alio viarum comite quodam, viro Principe, CHRISTOPHORO Duce Bavariæ, vinum Cretense postquam bibisset, in balneum concessit sese lavaturus. Quo audito Mellerstadius celeriter balnearium intrat, & arreptâ Domini sui manu exire eum jubet, imò vi penè cogit. Alter, qui in balneo manebat, incidit in febrim ardentissimam, quâ etiam est absumtus. Dux Friedericus autem ab indubitato præsentissimæ mortis periculo per Mellerstadium liberatus, pro beneficio isto ingentes egit & retulit gratias. A Rhodo Hierosolymam tendebant, & sancta invisebant monumenta, ad Dominicum sepulchrum, ad locum crucis in Calvaria, nec non ad reliqua Dominicæ memoriæ vestigia devoti procumbentes, & in honorem Dei ter Opt. Max. oblationes facientes non tenues. Vallem quoq;

Josaphat,

Digitized by Google

Josaphat, fluentum Kidron, montem Sion, Acra, Oliveti, Thabor, & Oppida Bethlehem, Nazareth, Capernaum, Bethsaida, & alia quàm plurima contemplati sunt, ac de ijs, quæ in singulis locis acta perhibentur, pius animo volvêre, atq; revolvere cogitationes.

Si omnia & singula itineris huius incommoda, difficultatesq;, si maris pericula, Scyllas & Charybdes, adversos ventos, beluas marinas; si latronum insidias; si aeris tempestates, pluvias, frigora, solis ardorem; si maximos denique sumptus in id collocatos recensêre vellem, opus Iliade majus mihi conficiendum esset.

Cæterùm, peregrinatione hac peractâ, per aliquot annos suprà nominatus Saxoniæ Dux sapientissimus Augustissimi Imperatoris MAXIMILIANI aulam secutus est, iterum suo comitatus Mellerstadio. Accidit autem, ut in itinere Belgico multos excellentes doctosq; viros compellaret, ac relatione Archiatri sui Martini, qui earum regionum scholas diligenter visitaverat, moremq; & leges inspexerat, intelligeret Superioris Saxonicæ scholas, quas Bohemiæ exules, Johannis Hussi, & Hieronymi Pragensis discipuli, instituerant, absq; ordine, & fermè sine fructu colligi: instinctu Mellerstadij potissimùm, & Johannis Stupicij secum deliberare cæpit, cùm Romani Imperii esset Elector, & in sua ditione satis ampla nullam haberet Academiam, incumbere sibi, vi Aureæ (ut vocant) Bullæ, proprium condere Musis domicilium. Accedebat, quòd serenissimus quoq; Imperator Maximilianus, eius nominis primus, in comitiis Anno M CDXCV. celebratis, gravi & sapienti oratione hortatus fuerat Imperii principes, & Electores, ut, cùm magna esset doctorum virorum penuria, ipsi operam darent, quò in terris eorum Academiæ passim erigerentur.

His & aliis rationibus movebatur pientissimus princeps, & ad hanc rem, præ cæteris Electoratus sui oppidis, Witebergam ad Albim sitam, antiquam Senonum sedem inprimis oportunam esse judicabat. Nam, cùm multa alia istarum regionum oppida nominarentur, & ab aliis alia Academiæ destinarentur, Witebergam, quam

Digitized by Google

recens ædificiis Princeps exornare cœperat prætulit Pollichius. Ridente Principe consilium viri sapientis, quod locus, & propter angustiam, & propter obscuritatem, reliquis omnibus esset inferior, & lutosis totum oppidum constaret tuguriolis, nec videretur hospitium vel exiguo numero præbere posse, & destitueretur copia rerum ad victum necessariarũ, quòd maximam oppidi partem cingerent steriles & profundæ arenæ: Respondet Mellerstadius cum quadam indignatione, cur, inquit, Diffidis Deo? Debes huic provinciæ hoc beneficium gratitudinis loco vicissim, ut cùm maiores tui cum ea præcipuam dignitatem consecuti sint, tu eam vicissim extollas. Hoc in loco condita Academia cunctas alias Germaniæ luce suâ obscurabit. His Mellerstadii præsagis vocibus quasi quodam oraculo perculsus illustrissimus Princeps: Accipio, inquit, omen, precorq; ut Deo favente, aspirantéq; consiliis, & conatibus honestis ac piis, eventus id compleat, sit ergò hic locus Academiæ.

Quamvis autem multi aulici, non postremæ authoritatis viri, magno conatu sacrosanctum hoc propositum impedire, & novam istam Academiam, vixdum in cunabulis, (ut sic dicam,) iacentem, opprimere niterentur, amplissimorum sumptuum magnitudinem exaggerantes, quibus res peragenda foret: parùm tamen effecerunt. Dies enim XIIX. Octobris, quæ Lucæ Evangelistæ sacer est, anni M D II. denominabatur à principe, quo recens illud gymnasium solenni inaugurationis ritu felix initium sumeret, & quæq; necessaria optimè disponerentur.

Atq; ita Martinus Pollichius omnium consensu & applausu primus Vitebergensis Academiæ Rector, & perpetuus Procancellarius est renunciatus, qui post ad summum honoris gradum in tribus facultatibus superioribus evectus, & Lux Mundi nominatus fuit. Quemadmodum de eo aliquando cecini:

Inclyta Lux Mundi communi voce vocatur
Almæ Leucoridos Rectorum primus, is ipse,

Cui

Digitized by Google

Cui collata fuit triplici Doctorea jure
Laurea, sic fuit exactum vir doctus ad unguem
Pollichius.

Tanto sub gubernatore novum illud emporium literarium indies incrementa cæpit majora, dum studiorum gratiâ hûc undiquè velut ad novas Athenas ex universa juvenes confluerent Europæ. Porrò, huic inaugurationis & promotionis actui interfuerunt clarissimi, & doctissimi viri.

Inter alios verò D. Fleckus, monastica quidem professionis homo, sed qui nullam in omni vita missam celebrasse, nec celebrare voluisse, legitur. Is publicam concionem habuit, & vaticinatus est, de hoc Albo *vel* Sapientiæ monte *(Nam* Witte *Saxonibus utrumq; significat,* Albedinem *nimirum &* Sapientiam*) veram & solidam sapientiam totum Christianitatis orbem esse mutaturum. Et factum est ita, ut non tantum Philosophia, Medicina, & Jurisprudentia secundum omnes suas partes ab inculta barbarie superiorum temporum erutæ, extricatæ, & emendatæ in lucem emerserint clarissimam, verùm etiam ex uberrimo almæ matris Vitebergæ fonte, ad totam Ecclesiam Dei manaverit cœlestis doctrinæ puritas. Ex hac scilicet Sapientiæ cœlestis arce reformatio insperata illa, & insignis, nostris quidem hominibus exoptatissima, Pontificio autem regno terribilis, & exitiosa facta est, quæ fulguris instar continuò emicuit, Orientemquè & Occidentem splendore suo complevit. Et quamvis noster* Martinus *hanc oculis corporis non aspexerit: spiritu tamen planè vatidico sensit, & prædixit. Etenim cùm multò antè, quàm mutatio religionis incideret, audisset in publica disputatione* Lutherum *Scholasticorum doctrinam oppugnantem & demonstrantem, quod scripta Prophetarum, & Apostolorum omni Theologiæ Thomæ, Scoti, Alberti, & aliorum, longissimè essent præferenda; Mellerstadius jam tùm* LUTHERI *hac de re argumentationes, & solutiones admirari satis non potuit,*

& ad

Digitized by Google

& ad mensam aliquando in hæc verba erupit: Hic Monachus universam Ecclesiæ Romanæ reformabit doctrinam. Der Münch wird alle Doctores jrre machen / vnnd eine newe Lehr auffbringen / vnd die gantze Römische Kirche reformieren. *Nam insistit Scripturæ Prophetarum & Apostolorum, quam nulla sophistica seu Themistarum, seu Albertistarum expugnare potest & evertere.*

Cæterùm quanquam altioribus studiis deditus erat: ægrotis pharmaca præscribebat, politicis salutaria consilia multa suggerebat, Theologicas lectiones & disputationes non omittebat, quibus non tantum intererat, sed etiam præerat: interim tamen sese ad capturæ studiosæ juventutis accommodavit. Ideoq; cùm videret absq; cognitione Logices neminem ad solidam eruditionem aspirare posse, à senilibus ad juvenilia succisivis horis retrocedere non erubuit, præceptaq; Logica auditoribus suis summa cum diligentia prælegit, & in justum opus collecta, postea Anno Christi M. D. XI. Lipsiæ typis edi, & publici juris fieri curavit, cursum Logicum inscribens sapientissimo Principi Friderico, Academiæ Vitebergensis fundatori. Opus profectò laboriosum, in quo nulla penè ex iis, quæ circa libros organicos à scholasticis moveri solent, quæstionibus intacta relinquitur. Et hoc aliisq; tractatibus magnam sibi authoritatem conciliavit Pollichius.

Quod reliquum est, constat eum Anno MD XII placidissima morte extinctum. Quamvis fama,

Tàm ficti, pravíq; tenax quàm nuncia veri,

de eo spargeretur, quasi à studioso quopiam factioso interfectus esset; eventus tamen docuit, erratum fuisse in persona.

Accidit enim cùm Academia Vitebergensis decem stetisset annos, ut studiosus quidam ob enorme aliquod facinus ad biennium relegaretur à Magnifico tùm temporis Rectore, Udalrico Erbar. Is circa Octobrem rediens feroces jactabat minas, periculaq; intendebat antè dicto Rectori, addito juramento, hanc maculam sibi inu-

stam

Digitized by Google

ſtam ſe vindicaturum. Nec minis tantùm acquievit, ſed occaſionem cædis quoq; captavit.

Ergò cùm pauci tùm temporis inter profeſſores eſſent conjugati, & reliqui civium menſas ſequerentur, quibus ſublatis domum revertebant: Hoc ſibi magnum ratus compendium ad flagitium conceptum eò facilius perpetrandum relegatus, trinodi clavâ ferreâ, crucis imaginem, (quæ unica eum à tantò ſcelere abſterrere debebat,) habente, Rectorem à cœna in tenebris redeuntem hoſtiliter invaſit, gravi lethiferoq; ictu validè percuſſit, & viciſſim ipſe ſicarius captus & decollatus eſt in foro Vitebergenſi. Sic inveniuntur nonnunquam etiam inter illos, qui linguarum & artium, adeoq; humanitatis & continentiæ ſtudioſi eſſe volunt, perditi & deplorati ingenij homines, Cyclopes, & Epicuræi, quorum petulantia, niſi legum beneficio, pœnarumq; exemplis & ſeveritate coerceretur, ſurſum eſſent & deorſum furores Satanæ, ſuos ad quæq; peccata impellentis miniſtros rapturi omnia. Verùm prolabor in alienam hiſtoriam, noſtræ tamen aliquo modò commixtam, non quòd operæ pretium eſſet ipſam perſcribere, ſed quia præcavendum videbatur, ne quis ex relatu populares ſermones colligens deciperetur, exiſtimaretquè Mellerſtadium tragico tali caſu animam exhalâſſe, qui (uti dixi) morbo & ſenio abſumptus in lecto placidiſſimè exſpiravit, relinquens poſt ſe deſiderium ſui maximum, & nominis immortalitatem ſempiternam, vitâ & geſtis eius non indignam.

Ipſius tumulo in Parochiali templo ad ſubſellia dextra propè aram latius ſaxum ſuper inſtratum cernitur viri imagine ac nomine rudi formâ exaratum. Contrarius verò paries, æneæ laminæ inſcriptum exhibet epitaphium, cui aliud proximum Udalrico Erbar Medicinæ Doctori, & Profeſſori, Academiæ Rectori decimo octavo à ſtudioſo illo, ceu ſuprà mentionem fecimus, interempto, atq; ad pedes Mellerſtadij humato, poſitum eſt.

Hîc jacet extinctus, proh, Mellerſtadius ille
Martinus Pollich, gloria magna virûm.

Digitized by Google

Philoſophus, Vates, Medicusq̃; Theologus ille,
Proh, jacet hîc noſtræ duxq́; parensq́; ſcholæ.
Quiq́; reformator Vicecancellarius omnes
Suſtinuit caſus: Spiritus aſtra ſubit.

Aſt cùm, juxta Senecæ ſententiam, ſuſpecta ſint longa encomia, amputandam eſſe orationem hanc, & receptui canendum duco, pijsquè his votis concludendum: Sapientiſſime & clementiſſime DEUS, *Pater Domini noſtri* JESU CHRISTI, *qui per collegia docentium & diſcentium à mundi primordijs ad hunc usq; diem Eccleſiam tibi collegiſti, & per electum famulum tuum Martinum Pollichium Möllerſtadium eiusq; Collegas Academiam Vitebergenſem fundaſti, ſalutaremq; inde Evangelij doctrinam univerſo mundo reſtituiſti, nec non arduum illud opus in revelatione Antichriſti excelsâ tuâ dexterâ perfeciſti, largire nobis & poſteris noſtris, ut hoc beneficium grato animo agnoſcamus, & tibi vero cultu piè deſerviamus, donec hac vitâ functi, ad cæleſtem q; Academiam translati, abſolutiſſimâ & perfectiſſimâ cognitione, doctrinâ, ſapientiaq; inſtructi tecum omnibus angelis jugiter laudemus, Tibi ſoli ſit laus, honor & gloria, in ſeculorum ſecula.*

FINIS.

ORATIO

Digitized by Google

ORATIO

DE VITA ET REBVS GESTIS JOHANNIS STUPICII CORAM DN. Coll. Alv. fr. recit. à J. B. Anno 1511.

MAgnum, meo quidem judicio, errant errorem, qui solitariam & monasticam vitam communi & civili conversatione potiorem habentes, consilium Spiritus Sancti in suæ causæ patrocinium adducunt, quasi is per Prophetam Eliam Thesbiten talem vivendi modum & ordinem instituerit, cùm scriptum sit: Factum est verbum Domini ad Eliam dicens: Recede hinc, & diverte ad plagam Orientalem, & absconde te in torrente Chrith, qui est è regione Jordanis, & ibi de torrente bibes. Ego verò corvis mandavi, ut te illinc pascant. Deus enim non novam religionis formam hoc mandato instituit, sed Prophetam tantùm monuit, ut periculum, quod ei imminebat ab Achabo & Jesabele, loco cedendo, & fugiendo vitaret. Nec dixisse legitur: Abi, & tunicam de aspera lana indue, scapulari utere, & desuper pallio albo, sive barrato, baculum in manibus gesta, sis tu prior, & alios per obedientiæ votum tibi subde, quorum singuli singulas habeant cellulas, & ad certas horas conveniant, & hymnos cantent. Quòd si veri imitatores Eliæ vidcri & esse velint, concedant ad torrentem Chrith, & ibi non nisi de torrente bibant, exspectentq; cibum non nisi à corvis asportandum.

Interim non nego tamen, posse esse aliquem pium Cœnobiorum usum. Hoc saltem dictum volo: Cœnobia, nisi sint exulum, & inopum hospitia, juvenum gymnasia, & languentium nosocomia, tàm Ecclesiæ sunt dedecori, quàm duci ignavus, & inermis miles, & pædagogo stupidus discipulus, nullâ literarum scientiâ præditus.

Digitized by Google

Magnum verò non tantùm ornamentum, sed & emolumentum Ecclesiæ militanti adferunt eiusmodi monasteria, in quibus sustentantur ægroti, & pauperes, aut ingeniosa juventus assuefit piarum precum, lectionum, declamationum & disputationum exercitijs, quorum labor alteri seculo sit profuturus, aut ubi hospitalitate, & benevolentiâ excipiuntur Sacrarum literarum interpretes. Quâ ratione (de multis ut unum atq; alterum recensere liceat exemplum) Cœnobium ad D. Barbaram in Agrippinatum urbe Coloniâ ordinis Carthusiensium educavit, & aluit eximium illum Philosophum, Oratorem insignem, & theologum clarissimum, Wernerum Rôlevincum, de Laer Westphalum, cuius commentarij supra omnes D. Pauli epistolas doctissimi adhuc supersunt, sicuti & reliqui septem libri de vita Pauli, nec non unus de Sacramento Eucharistiæ & fructu sacrificij Missæ, alius de Theologiæ studio, Conscientiæ Paradisus, Fasciculus temporum, quemadmodum ex Conradi Gesneri Bibliotheca refert Henricus Pantaleon, & Guilielmus Eyssengrein. Huius viri mentionem non temerè facio, sed, *ut meam erga Rôlevincorum gentem ostendam observantiam, quâ illam prosequor. Nam & adhuc ea tribus excellit, & antiqui Werneri æmulum habet Reverendissimum & Clarissimum virum, Sacrosanctæ Theol. D.* Dn. LUDOLPHUM RÔLEVINCUM, *concionatorem Barbiensem aulicum, & Superattendentem Ecclesiarum eius Comitatus vigilantissimum. Verùm de eo pluribus aliquando alibi. Non minorem gloriam sibi conciliavit Augustinianorum familia, quæ* JOHANNEM STUPICIUM *in suam communitatem recepit, bonis literis & artibus imbui curavit, & se totam huic excellenti Theologo subjecit, eligens eum in generalem ordinis vicarium. Quin &* Lutherus *ipse, & Flacius Illyricus, alijq; reformationis Evangelicæ principia in monasterijs didicerunt.*

Verùm enim verò, ne præter casam, ut in proverbio dicitur, curram, vitam & res gestas JOHANNIS STUPICII *hac vice recitaturus sum. Vos me, non aniles fabulas, aut ociosorum hominum*

Digitized by Google

ntum figmenta, affectatorum phaleratorumq; verborum ampullis, sed in sermonis simplicitate verissimam ex probatis autoribus historiam bonâ fide referentem benevolè audiatis, reverenter, & quâ possum, animi submissione rogo.

Johannes igitur Stupicius nobilis in Saxonia natus & educatus est. De parentibus quid attinet dicere, quandoquidem

Non census, nec clarum nomen avorum,
Sed probitas magnos ingeniumq; facit.

Diversis autem animi dotibus exornatus, non impudicis indulsit amoribus, neq; ad multam noctem potando, quod plerique facere solent adolescentes, patrios sudores abligurivit, sed ab ineunte ætate maximo studiorum ardore flagrans ingenuis semper incubuit artibus, ita quidem, ut inde divelli nullo fermè modo potuerit. Et, ut commodiùs literis & pietati, à domesticis occupationibus immunis, vacare posset, vitam solitariam amare cœpit, grato q; Musis secessus. Cumq; in Augustinianorum monachorum familiam sese contulisset, cursu Philosophico feliciter absoluto, & degustatis utriusq; literaturæ primordijs ad Sacras literas accessit, easq; sibi familiares reddidit, celeriterq; antecellere omnibus ingenij laude cœpit. Videbat quippe juvenis pius naturalem & philosophicam rerum considerationem in tanta caligine & depravatione nostræ naturæ parùm conferre ad æternam salutem adipiscendam. Quemadmodum enim si Sol non esset, ab ea luce, quam stellæ suppeditant, tenebræ haud tollerentur, sed in perpetua nocte vita degenda esset, ut Heraclitus dixisse scribitur: ita si Christianus patefactam Dei noticiam non haberet, cognitio eius à gentili nihil discriminaretur.

Porrò tantum in Theologica facultate profecit, ut ob raram eruditionem Doctor Theologiæ, omnium doctorum virorum applausu, creatus fuerit. Neq; tamen sufficere sibi, mandata Dei memoriâ tenere, & operibus obliviſci, ratus est; sed quia, ex sententia Catonis,

Turpe est doctori cùm culpa redarguit ipsum.

Digitized by Google

Sicut & Cyprianus epistolâ ad Pomponium de virginibus: Quomodo, inquit, integritati & continentiæ possunt præesse, si ex ipsis incipiant corruptelæ, & vitiorum magisteria procedere? Et Theophilactus: Christianismus, non solum recta dogmata, sed & honestam vitam exigit: inculpatis moribus, & vitæ innocentiæ studuit Stupicius, adeò, ut cùm eius ordinis summus & generalis per Germaniã vicarius fato functus esset, is omnium consensu in locum eius surrogatus sit. Quam functionem optimè & cum laude administravit. Interim si nævum quendam habuit, mirum videri non debet ei, cui naturæ humanæ conditio nota est. Et ipsummet agnovisse hoc in se, ac sæpè vocem illam repetisse, fertur: Ego plus quàm millies Deo vovi, me fore probiorem, sed nunquam præstiti, quod vovi, posthac amplius non vovebo tale quiddam, quia experientiâ didici, me id non posse præstare. Quod nisi Deus propicius mihi propter Christum sit, optatamq; ac felicem horulam concesserit tunc, ubi mihi migrandum erit ex hac miserâ vitâ, utiquè non potero consistere cum votis & benefactis meis. Hac non solùm vera, sed etiam pia & sancta philosophandi ratio est, quæ nos in desperationem deducit, ut viribus & jure destituti, divinam gratiam imploremus.

Hoc enim facere debent quotquot salvi fieri volunt. Nam sancti non nituntur suâ justitiâ, sed cum Davide clamare necesse habent: Ne intres in judicium cum servo tuo, quia non justificatur in conspectu tuo omnis vivens. Item, si iniquitatem observaveris, Domine, quis sustinebit? Intuentur autem Christum propiciatorem suum, qui passus est mortuusq; sub Pontio Pilato pro peccatis ipsorum.

Quemadmodum itaq; primorum parentum lapsu vinculum nostræ cum Deo conjunctionis disruptum est: sic huius intercessoris sanctissimi merito idem vinculum restitutum: sed ea ratione tamen, ut naturalis hominum cum peccato propagatio non ob id interrumpatur, sed, ut cæpit, ad extremum usq; hominem processura sit, quò mors in omnem hominem descendat, ut omnis homo fiat gratiæ capax,

Digitized by Google

capax, siquidem gratia peccatum præsupponit. Quod reliquum est peccati in carne, noverunt hoc pij, non imputari, sed per gratiam, uti dictum est, & remissionem condonari sibi. Interim tamen spiritu pugnant contra carnem, non quòd omninò eius concupiscentiam non sentiant, sed quòd eam non perficiant.

Tùm temporis FRIDERICUS Elector Saxoniæ Princeps sapientissimus Vitebergensem erexit Academiam, & in ea fandanda Stupicij & Mellerstadij opera potissimùm usus est. Unde Stupicius primus omnium Decanatum gessit Vitebergæ in facultate Theologica. Cùm autem is Theologiam in ea Schola diligentiùs doceri cuperet, atq; Lutheri indolem cognosceret: ipsum Anno C. MDVIII Erfordia Vitebergam vocavit, eiq; autor fuit, ut Sacrosanctæ Theologiæ Doctor fieret. Posteà quoq; Sacras literas publicè enarrare jussit. Huius viri sermo de Luthero memorabilis & propheticus in concionibus Matthesii extat. Etenim cùm Anno Christi MDXII nomine Principis Electoris mandaret Luthero, ut summum in Theologia gradum susciperet, Lutherus autem variis in medium allatis rationibus excusaret sese, & præter alia valetudinem corporis adversam allegaret: Stupicius festivo vultu respondisse fertur: Mira videtur instare conversio rerum, ubi Deo multi objicientur labores in cœlo, & in terra, ad quos expediendos, opus erit strenuis viris doctoribus, sive ergò vivas, sive moriaris, Deus in consilio suo tuam requirit operam. Itaq; Lutherus cùm Anno MDXVII indulgentias Pontificis reprehendisset, atq; editis quibusdam thesibus omnes ad disputationem provocâsset, eorum thematum resolutiones, Pontifici Leoni X transmittendas, Stupicio obtulit. Is è tenebris refulgentem Evangelij veritatem suo calculo comprobavit, & fideli corde suscepit.

Memini, inquit Lutherus, initio meæ causæ, D. Stupicium tunc summum virum, & vicarium ordinis Augustinianorum ad me dicere: Hoc mihi placet, quod de doctrina, quam prædicas,

Digitized by Google

prædicas, gloriam & omnia soli Deo attribuit, hominibus nihil. Deo autem (id quod luce clarius est) nimium gloriæ & bonitatis tribui non potest. Ea vox me vehementer consolabatur, & confirmabat.

Sæpè in memoriam sibi revocabat Stupicius verba Doctoris Sommerhardi, Professoris Tubingensis, dicentis: Quis me miserum vel tandem liberabit ab ista rixosa (scholasticorum & Sophistarum) Theologia? Inde factum est, ut cùm Lutherus Augustam Vindelicorum ad Cardinalem Cajetanum Pontificis legatum vocatus esset, in loco eo Stupicius etiam comparuerit, & Cardinalem summoperè rogaverit, ne Lutherum ante causæ cognitionem condemnare vellet: Quoniam etiam ille Lutherum ad revocationem urgeret. Quibus impetravit, ut Luthero scriptis causam suam agere liceret. At legatus postquàm frustrà cum Luthero egisset, propterea q; Stupicio iratsceretur; is illo inscio decessit, atq; in Saxoniam redijt, quem paulò pòst Lutherus est secutus, literas post se relinquens, quibus à Cardinale ad Papam provocat. De pœnitentia etiam contra intolerabiles conscientiarum carnifices rectè docebat Stupicius, veram scilicet pœnitentiam esse, quæ ab amore justiciæ & Dei inciperet, & hoc esse potiùs principium pœnitentiæ, quod illis finis & consummatio censebatur. Hæsit hoc verbum Stupicij in Lutheri (ut ipsemet fatetur) mente sicut sagitta potentis acuta, cœpitq; deinceps id cum Scripturis, pœnitentiam docentibus, conferre, & cùm anteà ei in tota Scriptura nihil esset amarius quàm Pœnitentiæ vocabulum, posteà ipsi nihil dulcius, aut gratius pœnitentiâ extitit. Ita eum, inquit Lutherus, dulce sunt præcepta Dei, quando non in libris tantum, sed in vulneribus dulcissimi Salvatoris legenda intelligimus. Sic etiam: De æterna Prædestinatione (inquit Stupicius) si disputare satagis, tunc à vulneribus Jesu Christi incipe, ita n. cadit Diabolus & malæ cogitationes desinunt nos vexare.

Nec silentio involvi debet etiam hoc axioma Stupicij, referente illud itidem Luthero: Memini, ait, D. Stupicium de sua gubernatione

Digitized by Google

natione dicere, se primo triennio secundum Nemesin voluisse regere, sed eâ viâ non successisse altero juxta leges & consilia Majorum, ne id quidem cessisse feliciter: tertio secundum voluntatem Dei adjunctâ invocatione: verùm id quoq; fuisse infelix. Tandem, igitur inquit, faciebam quod poteram, cùm desperassem de his consilijs & rationibus omnibus. Ob has & similes notatu dignas sententias Lutherus sapissimè hujus præceptoris sui mentionem fecit honorificam, semperq; suum Stupicium vocavit, & meritò. Nam quòd Augustus, teste Senecâ, pronunciavit de Vinitio Oratore, quod ingenium in numerato haberet, propterea, quòd in causis agendis ingenio esset præsentissimo, & quicquid alijs præstaret diutina cogitatio, id illi prima statim animi intentio daret. Idem in Stupicium quadrare testatur & sequens historia. Volebat siquidem is ipse aliquando textum generationis Jesu Christi secundum Matthæum sub concione memoriter recitare, pro more ejus temporis, & in commemoratione quatuordecim principum, qui à captivitate Babylonica numerantur de tribu Iudæ, errare incipiebat. Mox: Deus superbis resistit, inquit, textumq; relinquens, ad expositionem transit. Ambo Saxoniæ Duces, qui huic concioni interfuerant, ad prandium Stupicium vocari jubent. Inter prandendum verò Illustrissimus Dux Johannes in hunc modum affatur eum: Domine Doctor, quomodo hodiè succedebat concio? Clementissime princeps, respondebat ille, in meo Evangelio tria Dominorum & heroum genera habebam; Patriarchas, hi boni erant, & secum agi patiebantur; deinde reges, & hi secum, & de se sermonicari sinebant. Cùm autem ad principes esset deventum, illi mirabiles erant, morosi nimis, & difficiles, & me in Evangelio confundebant. Elector Fridericus hac tàm promtâ argutæ responsionis industriâ delinitus: Habetne tua Charitas, inquit ad fratrem, plura sciscitari? Stupicium certè non inveniet mutum. Quid aliud, quæso, hoc est, quàm in numerato habere ingenium?

Digitized by Google

Cùm igitur talis, utì diximus, fuerit Stupicius, factum est, ut venerandâ canicie conspicuus, sibi apud omnem posteritatem magnam conciliârit authoritatem. Tandem verò corporis ergastulo dissolutus ex hac turba discessit ad illud beatarum animarum concilium, cœlestemq; cœtum profectus. Verùm ne diutiùs ultra clepsidram, (ut dicitur,) declamem, hic oratiuncula nostræ finis esto; Omnipotens, aterne Deus, quite & clementissimam tuam voluntatem Evangelicam servo tuo Stupicio, ut eam coram Electoralibus principibus, cardinalibus & toto Mundo profiteretur, patefecisti, illustra nostras quoque mentes & corda, ut magno desiderio salubertimam Evangelij revelati consolationem amplectamur, & nunquam ab ea deficiamus; confirma nos, ut gloriæ tuæ in omnibus vitæ actionibus serviamus, aternamq; vitam & lætitiam adipiscamur per dilectum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum.

DIXI.

ORATIO.

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS SIMONIS HEINSII, Pontani J.B.A.

VEstrâ fretus humanitate, R. viri fratres, vestrâ, inquam, fretus humanitate, iterum Respondentis munus in me recipio. Caterùm quemadmodum Moses DEUM *ter Opt. Max. precabatur, inquiens: Nisi tu præcedes, non educas nos de loco isto: ita nos illum ipsum Dominum veris gemitibus invocemus, ut in hoc nostro conventu itidem versetur nobiscum, præeat, & ducat nos de sacrosancto verbo ejus collocuturos in omnem veritatem. O dulcissime Jesu! exaudi orationem meam, & clamor meus ad te perveniat.*

Finitis autem pijs precibus, antequam ordiamur disputationem nostram; breviter recitabo vobis vitam & res gestas SIMONIS HEINSII, *qui primus reformati Evangelij præco apud Vitebergenses fuisse perhibetur.*

Is natus est honestis parentibus in oppido Viteberga vicino, & à PONTE *nomen adepto, ubi Pater ejus* GEORGIUS *præcipuum diu gessit magistratum, qui cùm juvenis mediocriter didicisset initia doctrinarum: senex factus, Viteberga maluit habitare, ut posset assiduus esse auditor Lutheri. Cumq; non tàm hæreditate, diligentiaq; œconomicâ & parsimoniâ, quæ magnum vectigal esse traditur, quàm ex divina benedictione ingentes possideret opes: non tamen usus est ijs ad luxum, aut lucrum; quod plariq; divitum facere solent, verùm ad benè educandos & informandos natos. Neq; id immeritò. Etenim Aristippus, cùm interrogaretur, eruditio quid boni filio suo allatura esset: si nihil aliud hoc certè, inquit, quod*

Digitized by Google

in Theatro lapis in lapide non sedebit: innuens, quorum collustratus artium & doctrinarum luce non esset animus, eos lapidum, non hominum loco esse habendos. Talia etiam hic pius Pater secum reputans è tribus filiis suis unum in Theologia, alterum in Iure, tertium in Medicina ingenij vires experiri jussit. At qui Medico sese studio mancipârat, Italiam ingressus, Paduæ diem suum obiit. GREGORIUS patri cognominis Ius Civile didicit, cui ad doctrinam accedebant divinitùs donata, non solum profluens sermonis copia, sed etiam splendor in verbis & figuris, vox grandis & virilis, quæ etiam in magno exercitu audiri potuisset. Unde Dux Sapiens FRIDERICUS Elector eum in aulam vocavit ad Cancellarij munus obeundum, quod præcipuum est, non solùm in prætoriis negociis, sed etiam aliis gravioribus deliberationibus. Hîc à patria PONTANUS fuit nuncupatus, inciderunt{q} officij ejus initia in primam συζυγιαν Lutheri & Pontificiorum. In hac militia deinceps annos circiter triginta plurimum curarum & laborum sustinuit.

SIMON igitur Studio Theologico ex consilio Parentis destinatus, primùm Philosophiæ, quam Cicero in Officiorum libris studium Sapientiæ vocat, & in Tusculanis, virtutis indagatricem, atq; vitiorum expultricem, incubuit sedulò, & brevi temporis spacio tantum profecit, ut gradu ejus facultatis supremo ornaretur, & in numerum professorum cooptaretur.

Tandem ipsi Theologiæ, quæ sola magistra est fidei & pietatis, cuiq; reliquæ scientiæ omnes ancillantur, simili conatu & Zelo fidelem navavit operam, & Ecclesiastes Vitebergensis primarius electus est. Huic functioni propter adversam valetudinem, quâ fermè conflictabatur quotidiè, difficulter præfuit. Quarè cùm langvefactis viribus concionandi laborem subire ampliùs non posset, MARTINUS LUTHERUS vir XXXIII. annorum, qui Vitebergam venerat A.C. MDVIII. accitus à Stupicio viro nobili & Augustinianorũ vicario, diebus Dominicis Evangelia Dominicalia ejus

loco

loco pro concione explicavit, quod testatur Postilla ejus, uti vocant, Ecclesiastica.

Porrò videns Heinsius in doctrina usitata multum esse inextricabilium disputationum, aliquandiu hæsitavit. At posteà cognitam veritatẽ lubens amplexus est, & suo calculo approbavit, pro virili eam tuendo, atq; sæpè de omnibus controversiarum Theologicarum articulis cum Luthero & aliis doctis conferendo. Quia seriò statuebat, hanc solam esse Dei Ecclesiam, quæ amplecteretur scripta Prophetica & Apostolica sine corruptelis. Ac valdè lætabatur, congruere doctrinam Evangelij cum veteri Ecclesia puriore, cumq; scriptis Augustini, & aliorum, in quibus signa eruditionis & pietatis conspiciuntur.

Et cùm diuturno, uti diximus, morbo affligeretur, ex domesticis conversationibus & amicis colloquiis recreationem aliquam petebat, mensaq; suæ adhibebat honestos aliquot & doctos juvenes studiosos. Accidit autem ut ipsius commensales in diebus, quos Ethnico Bacchanáliorum nomine insignire solemus, Comœdiam agerent. Quod simul atq; comperisset; ut facti sui rationem redderent, postulavit. Vultis, inquit, in ludis imitari Pontificios, qui ritu personas induendi, non sacrorum causâ, sed turpi insaniendi studio, duos continuos menses ante Quadragesimæ initium, ludunt, invetustâq; interim delirandi consuetudine & licentiâ plusquàm sexcenta flagitia committunt. Si quispiam Græcorum, aut Romanorum illorum antiquissimorum rediret, sua Bacchanalia & Lupercalia agi sanctè juraret. Cur non etiam jejunium servatis? Cùm verò illi non satis expeditè respondèrent: severiter eos objurgavit, & inter alia dixit: Ego quidem non in universum exercitia comœdias agendi improbo, dummodò vitetur obscœnitas, lascivia, & scurrilitas. Ita enim rerum verborumq; supellex comparatur tàm ab actoribus, quàm à spectatoribus, memoria egregiè excolitur, lingua vitia, & mores emendantur, dicendiq; libertas quædam acquiritur. Verùm

Digitized by Google

hoc fiat justo tempore. Præsens certè Bacchanaliorum tempus, tali negocio destinatum, me & multos Christianos offendit. Considerate, quæso, quàm turpia & nefanda de abominandis Bacchanaliorum sceleribus recitet Livius Decad. 4. lib. 9. ut alios scriptores omittam. Peragebantur nempè Bacchanalia vestium mutatione, larvis crinibusq; dissolutis, pellibus cervinis, facibus, campanulis, imagine Priapi, &c. Immolabantur aries & canis. Religionem sequebantur comessationes, & luxus. Cumq; vinum animos, ac tenebræ nocturnæ securitatem addidissent: misti fœminis mares discurrebant, fiebantque stupra, & omnis generis turpitudines. Nolite igitur aliis bacchandi occasionem præbere. De continentia & castitate præter sextum Decalogi præceptum habetis & illud Catonis:

Casta Deus mens est, castâ vult mente vocari.

De non mutandis vestibus manifesta extat prohibitio Deut. 22. His & similibus arietibus juveniles animos expugnavit & à levitate retraxit senilis prudentia.

Et admodum graviter, de hac impia & profana consvetudine Christianorum Mantuanus in suis fastis conqueritur, ubi etiam indicat, unde in Christianam Religionem ea manârit, sic canens:

Hîc memorare libet quoddam grave temporis hujus
Crimen: & ipsius subjungere criminis ortum.
Roma Lupercales ludos antiquitùs isto
Mense celebrabat: positâ gravitate per urbis
Compita cursabant stolidi sine veste Luperci,
Et scuticis olidi tractis de tergore capri
Pulsabant nurvum palmas: quia verbere tali
Pana deum faciles credebant reddere partus.
Ista superstitio, levis hæc insania nostros
Transijt in mores. Veteris contagia morbi
Hausimus, & quodam simili langore tenemur.

Nam

Digitized by Google

Nam juvenes istis facit insanire diebus
Pan deus Arcadiæ quondam: totasque per urbes
Currere: & acceptis facies abscondere larvis.
Est pudor in facie: facies velata pudorem
Significat læsum; sciri lascivia non vult,
Ora tegit: scelus est pavidum, metuisse videri.
Cuncta sub ignotis petulantia vultibus audet,
Quæ ablegat gravitas, & quæ proscribit honestas.
Per fora, per vicos it personata libido:
Et censore carens subit omnia tecta voluptas:
Nec nurvum palmas, sed membra recondita pulsat:
Perque domos remanent fœdi vestigia capri.
Hoc quoque Roma levi cursu gaudebat equorum
Tempore: & in Martis celebrabat Equiria campo.
Altera nil melior nuper dementia venit:
Sordida produxit vetitos comœdia ludos.
Scorta, ambubajas, balatrones & parasitos,
Et genus id reliquos trahit in proscenia mensis
Improbus: unde trahunt juvenilia pectora pestem
Mortiferam: fiuntque ipsæ sine fronte puellæ.
I, pudor in villas, si non patiuntur easdem:
Et villæ vomicas: urbs est jam tota Lupanar.

Caterùm Anno 1522. occultè gliscebat secta quorundam, qui cum Deo sibi colloquium esse, & mandatum habere se dicebant, ut impijs omnibus interfectis, novum constituerent mundum, in quo pij solùm & innocentes viverent, ac rerum potirentur. Huic sectæ ANDREAS BODENSTENIUS *Carolostadius impensè favebat, qui tùm temporis cum statuis & imaginibus luctabatur. Heinsius, lecto affixus, licet hos tumultus reprimere non posset: animo tamen detestatus est, aliosque ut cito & quasi in cunabulis adhuc jacentem*

Digitized by Google

centem furorem extinguerunt, armavit, inter quos non postremus fuit Philippus Melanchthon & Hieronymus Schurffius, qui sese acriter huic malo opposuerunt.

Interea postremum vitæ suæ diem sanctè & cum desiderio migrandi ad Christum clausit Heinsius,

Exemptus carne immundâ, membrisq; caducis,
Inclusus quibus ærumnas, durosque labores,
Et multos morbos & tristia multa tulit vir.

Cui in pastoratu successit D. JOHANNES BUGENHAGIUS *Pomeranus.*

Atq; ita præstiti, Collegæ & fratres Doctissimi, quod in principio dicebam, breviter me SIMONIS HEINSII *Pontani historiam recitare velle. Deo sit laus, honor & gloria in seculorum secula. DIXI.*

ORATIO.

Digitized by Google

ORATIO

DE MATTHÆO AVROGALLO.

QVàm ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, inquit Eſaias 52. cap. commendans nobis pios verbi miniſtros, ac ſignificans, ſummum eſſe beneficium Dei, Lucem Evangelij in Eccleſia per idoneos Doctores accendi. Unde & Paulus jubet venerari eos, & omnibus grati animi officiis adornare. Nota enim ipſius eſt ſententia extans 1. ad Theſſ. 5. Rogamus vos fratres, ut cognoſcatis, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino & monent vos, ut illos abundantiùs diligatis propter opus ſuum, & pacem habeatis cum eis. Hæc admonitio Apoſtolica certè apud nos valere debet plurimùm. Siquidem hiſce viris multum laboris exhauriendum, & ingentia pericula ac certamina ſæpè ſubeunda ſunt in docendis & gubernandis Eccleſiis. Imò, ſi aliqua fortè perſecutio extiterit, oportet eos, in prima ſtare acie, & πρωτοστάτας eſſe, ſuaq; fortitudine & conſtantiâ auditores excitare ad fidei confeſſionem. Cùm itaq; clariſſimus, nec non doctiſſimus Dominus M. MATTHAEUS AUROGALLUS, multorum ſtudia in Theologia, & lingua Hebraica felicitèr provexerit, & adjuverit: haud intermittere potui, quin etiam ſi non integram hiſtoriam, ſaltem præconium & nomen eius reliquis, de Eccleſia repurgata optimè meritis, adjungerem.

Tempus eius natalitium, parentes & juvenilia ſtudia in nullis annalibus publicis, quas ego vidi, reperio. Matheſius in ſeptendecim concionibus de vita LUTHERI dicit Aurogallum oriundum eſſe von Commethaw. Sed neſcio, an Commethavum in finibus Bohemiæ ſitum, an verò aliud quoddam oppidum intelligat. Id

Digitized by Google

tamen ex consequenti colligere possumus, ipsius Parentes, aut tutores non fuisse istis similes, qui pueros à studijs nonnunquam, contra indolem ad meliora aspirantem, vi retrahunt & vel ad mercaturam, vel ad agriculturam, sive ad mechanica, aut etiam sordida negocia, discenda cogunt. Verisimile etiam est, patriâ ortum doctos habente ludimoderatores, quorum fideli institutione usus sit nominatus hic noster Aurogallus. Evasit enim in virum eruditione, pietate, & alijs, virtutum dotibus auctum & cumulatum. Perceptis autem primis literarum elementis, ad Academiam se contulit inter alias Vitebergensem. Nec ultima laus est, versatum fuisse in Ecclesia & schola benè constituta & in cœtu rectè invocantium Deum, audivisse & docuisse, sinceram Evangelij vocem, tùm habuisse honestissimorum studiorum duces & socios, LUTHERUM, PHILIPPUM, & cæteros omni laude dignissimos. Etenim quemadmodum difficile est in convivio, lauto & opiparo solum esse siccum & sobrium: sic vacuum inter tot occupatos: Itaq; laborantibus in vinea Domini cum conversaretur Aurogallus, ipsemet quoq; in eadem fideliter cooperatus est, longè dissimilis homini, de quo Poeta:

Non fodere ille bonus, durisve ligonibus arva,
Vertere, non illi vivebat idoneus arti.

Proinde & ipse Lutherus, in vertendis, equè Hebræo sermone in Germanicum transferendis Biblijs, usus est operâ eius. Grammaticam Hebraicam quoq; edidit, quam alicubi D. SELNECCERUS ob facilitatem & utilitatem studiosis sancta linguæ commendat. Atq; ita rudem ingeniosæ juventutis animum quasi agrum colere & virtutum doctrinarumq; præcepta, tanquã semina in terram jacere, eâ, quâ potuit dexteritate & fide molitus est. Qua in re suam profectò meretur laudem. Nam ad doctrinam Propheticam & Apostolicam rectè percipiendam necessaria est lingua Hebræa cognitio, ut genus sermonis eò melius intelligi & genuinus sensus ex ipsis fontibus erui possit. Quandoquidem,

Dulciùs ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Nec

Nec dubium est, mediocriter callenti linguam sacram, lectione quoq; intellectu fieri faciliorem. Alioquin multi ignari linguæ Hebraeæ cùm instituunt enarrationes, nihilò dexteriùs explicant sententias, quàm si quis, ut dicitur, clave ligna findere, & securi feras aperire conetur. Sequamur igitur pium exemplum, quo nobis in discendo & docendo idiomate & sermone Hebraico præivit Aurogallus, ut & nos gloriam Dei & Evangelium Christi hoc labore illustrare, & juvare re queamus universam Ecclesiam.

Eusebius tradit in libro temporum, Esdram Hebræũ omnes Mosis libros memoriter recitasse, quos Chaldæorũ reges exusserant. Majus certè quid humanâ memoriâ in illo fuit, & divini numinis ductu non tàm prophetia, quàm præteritorum ἀναμνήσει. Josephi lib. 11. antiquitatum cap. 5. & 4. lib. Esdr. cap. 14. scriptum reperitur: Esdra per quadraginta dies continuos quinq; scribis sine intermissione CC IV. libros dictitavit: quando ab angelo porrectum Sapientiæ poculum priùs ebiberat. Non minus beneficiũ est, quod nobis DEUS *postremo hoc seculo præstitit per linguæ Sanctæ cognitionem. Quemadmodum n. olim, Nehemiâ 13. cap. referente, Judæi tempore captivitatis Babylonicæ commorantes in commixtione variorũ populorum adeò Hebræum sibiq; vernaculum sermonem dedidicerunt, ut plerique loquerentur Aroticè, & Judaicè nescirent: Ita superioribus seculis cum Imperiorum mutationibus non modò linguæ omnes, quarum usus est in docenda & discenda Theologia, sed etiam in Juris scientia, & Medicina, & omnes artes, quæ doctrinas istas legibus suis confirmant, fermè amissæ fuêre. Jam verò ut ijs, qui artes reparârunt, debetur honos; sic & ijs, qui linguas, præsertim sacras ab internecione vindicârunt. Et hos inter non postremus habetur Aurogallus, etiam Sebastiani Munsteri Hebraicæ literaturæ studio insignis testimonio sat honorifico, cujus memoria sit in benedictione; cuiq; acclamabimus illud Psalmi 84. & gratulabimur dicentes: Domine Deus Zebaoth, beati, qui habitãt in domo tua, in secula seculorũ laudabũt te, Sela. Beatus vir, cui tu fortitudo es & in corde eius semitæ tuæ.*

Digitized by Google

Qui transit per vallem lachrymarum & fontem fodit, certè benedictionibus coronabitur Doctor. Pergunt de victoria in victoriam, ut appareat DEUS in Sion. Elegerat siquidem noster Matthæus habitare in domo Domini omnibus diebus vitæ suæ: Non tantum Professorem egit publicum, sed & Rectoratum cum honore gessit anno 1542, quod intimationes ab ipso affixæ testantur, quæ extant tom. 1. Int. H. 1. & seqq. ut videret voluptatem Domini & visitaret templum eius. De postremo vitæ actu sic habent Intimationes: Decessit (Xnimirum Novembris) Matthæus Aurogallus extinctus morbo pulmonis diuturno, ad quem & alij morbi accesserant. Fiet autem ei funus hodiè horâ 4. Quare hortamur scholasticos, ut ante ædes eius conveniant, ut funeris ceremoniæ piè serventur, ac ibi sese singuli de judicio Dei futuro commonefaciant, & Deum precentur, ne sinat prorsus extingui salutaria doctrinarum studia. Certè benè meretur de Ecclesia, quisquis Hebraicæ linguæ fontes studiosis aperit. Plurimum enim lucis universæ doctrinæ Ecclesiæ adfert eius linguæ cognitio, & ad gravissimas controversias dijudicandas conducit. Dabantur die S. Martini anno 1543. Hactenus Melchior Fendius Med. Doct. tùm temporis Rector Magnificus Intim. publ.

Verùm sermonem hunc, ut soliti sumus, finiemus precatiunculâ: Tibi, æterne DEUS, *Pater Domini nostri* JESU CRRISTI, *unà cum* SPIRITU SANCTO, *gratias agimus maximas, quas mente & linguâ concipere possumus, quòd non finis extingui apud nos Evangelij lucem, sed in multorum mentibus accendis linguarum, doctrinarum & virtutum studia, ut colligatur tibi Ecclesia & multi salvi fiant. Tibi sit laus, honor & gloria in omnem æternitatem.*

DIXI.

Digitized by Google

ORATIO
DE REVERENDI VIRI,
DOCTORIS MARTINI LVTHERI VITA, PRÆFATIO IN SECUNDUM Tomum operum eius, Philippo Melanchthone autore.

SPem nobis fecerat Reverendus vir, MARTINUS LUTHERUS, *curriculum se vitæ suæ, & certaminum occasiones in Præfatione huius partis, suorum monumentorum narraturum esse. Quod fecisset, nisi priusquam officinæ Typographicæ hoc volumen absolverunt, autor ex hac mortali vita ad æternam Dei & Ecclesiæ cœlestis consuetudinem evocatus esset. Utilis autem esset & privatæ ipsius vitæ consideratio luculenter scripta. Plena enim fuit exemplorum, quæ ad confirmandam pietatem in bonis mentibus profutura essent, & occasionum recitatio, quæ posteritatem de multis rebus commonefacere posset. Deinde & calumnias refutat eorum, qui vel incitatum à Principibus viris, aut alijs, ut labefactaret Episcoporum dignitatem, vel privatâ ipsum cupiditate inflammatum, servitutis monasticæ vincula rupisse fingunt. Hæc prodesset ab ipso integrè & copiosè exposita & commemorata esse. Etsi enim malevoli vulgare illud obiecturi erant, αὐτὸς ἐαυτὸν ἔπλασε, tamen & in ipso tantum gravitatis fuisse scimus, ut optimâ fide historiam recitaturus fuerit.*

Et multi boni & sapientes viri adhuc vivunt, quibus cùm sciret seriem harum rerum notam esse, fuisset ridiculum aliam historiam, ut fit interdum in poematis, comminisci. Sed quia editionem huius voluminis fatalis ipsius dies antevertit, nos ijsdem de rebus ea, quæ partim ex ipso audivimus, partim ipsi vidimus, bonâ fide recitaturi sumus.

Digitized by Google

Vetus familia est, & latè propagata mediocrium hominum, cognomine Luther, *in ditione inclytorum Comitum Mansfeldensium. Parentes verò* Martini Lutheri *primùm in oppido Isleben, ubi* Martinus Lutherus *natus est, domicilium habuerunt. Deinde migrarunt in oppidum Mansfeld, ubi pater* IOHANNES LUTHERUS, *& magistratus gessit, & propter integritatem omnibus viris charissimus fuit.*

In matre MARGARETA, *conjuge* Johannis Lutheri, *cùm cætera erant virtutes, honesta matrona convenientes, tùm verò præcipuè lucebant pudicitia, timor Dei & invocatio, intuebanturq; in eam cætera honesta mulieres, ut in exemplar virtutum. Hæc mihi aliquoties interroganti de tempore, quo filius natus est, respondit, diem & horam se certò meminisse, sed de anno dubitare. Affirmabat autem natum esse die decimâ Novembris, nocte post horam undecimam, ac nomen* Martini *attributum infanti, quòd dies proximus, quo infans per Baptismum Ecclesiæ Dei insertus est,* Martino *dicatus fuisset. Sed frater eius* IACOBUS, *vir honestus & integer, opinionem familiæ de ætate fratris hanc fuisse dicebat, natum esse à natali Christi 1483.*

Postquam ætas doctrinæ capax fuit, parentes filium Martinum *ad agnitionem & timorem Dei, & aliarum virtutum officia, domesticâ institutione diligenter assuefecerunt: &, ut est consuetudo honestorum hominum, curaverunt, ut literas disceret, gestavitq; in ludum literarium adhuc parvulum Georgij Æmylij pater, qui cùm adhuc vivat, testis huius narrationis esse potest.*

Florebant a. eo tempore scholæ Grammaticæ in Saxonicis urbibus mediocriter: quare, cùm Martinus *ingressus esset annum quartumdecimum, unà cum Johanne Reineck, huius posteà virtus fuit excellens, & virtute parta authoritas in his regionibus magna, Magdaburgam missus est. Fuitq; mutua benevolentia inter hos duos, Lutherũ & Reineckum semper eximia, seu ab aliquo naturæ consensu, seu ab illa puerilium studiorum societate orta. Nec tamen diutiùs anno mansit* Lutherus *Magdaburgæ.*

Deinde

Digitized by Google

Deinde in schola Isennacensi quadriennio audivit præceptorem rectiùs & dexteriùs tradentem Grammaticen, quàm alibi tradebatur. Nam huius ingeniũ memini à Luthero probari. In eam urbem missus est, quia mater in ijs locis honestã & veteri familiã nata fuerat. Hic absolvit Grammatices studium. Cumq; & vis ingenij acerrima esset, & inprimis ad eloquentiam idonea, celeriter æqualibus suis præcurrit, & verbis & copiâ sermonis in loquendo, & scribendo soluta oratione, & in versibus cæteros adolescentes, qui unà discebant, facilè vicit.

Degustata igitur literarum dulcedine, natura flagrans cupiditate discendi, appetit Academiam, tanquam fontem omniũ doctrinarum. Et omnes artes ordine percipere tanta vis ingenij potuisset, si doctores idoneos invenisset, & fortassis ad leniendam vehementiam naturæ, mitiora studia veræ philosophiæ, & cura formandæ orationis profuissent. Sed incidit Erphordiæ in eius ætatis Dialecticen satis spinosam, quam, cùm sagacitate ingenij præceptionum causas & fontes meliùs, quàm cæteri perspiceret, citò arripuit.

Cumq; mens avida doctrinæ plura & meliora requireret, legit ipse plaraq; veterum Latinorum scriptorum monumenta, Ciceronis, Virgilij, Livij & aliorum. Hæc legebat, non ut pueri, verba tantum excerpentes, sed ut humanæ vitæ doctrinam, aut imagines. Quare & consilia horum scriptorum, & sententias propius aspiciebat, & ut erat memoria fideli & firma, plaraq; ei lecta & audita in conspectu & ob oculos erant. Sic igitur in juventute eminebat, ut toti Academiæ Lutheri ingenium admirationi esset.

Ornatus igitur gradu magisterij Philosophici, cum natus esset annum vicesimum, de consilio propinquorum, qui hanc tantam vim ingenij & facundiam judicabant in lucem, & ad Rempublicam educandam esse, inchoat juris studium. Sed brevi post, cum natus esset annum unum & vicesimũ, subitò præter parentũ & propinquorũ opinionẽ, venit ad Collegiũ Monachorũ Augustinianorũ Erfordiæ seq; recipi petiit. Receptus, jam nõ solũ acerrimo studio doctrinam

Ecclesiæ

Ecclesiæ discit, sed etiam summâ disciplinæ severitate se ipse regit, & omnibus exercitijs lectionum, disputationum, jejuniorum, precum, omnes longè superat.

Erat autem natura, quod sæpè miratus sum, in corpore nec parvo, nec imbecilli, valdè modici cibi & potus, vidi continuis quatuor diebus, cùm quidem rectè valeret, prorsus nihil edentem aut bibentem. Vidi sæpè aliàs multis diebus quotidiè exiguo pane & halece contentum esse.

Occasio autem ingrediendi illud vitæ genus, quod pietati & studijs doctrinæ de Deo existimavit esse convenientius, hæc fuit, ut ipse narrabat, & ut multi norunt.

Sæpè eum cogitantem attentiùs de ira Dei, ut de mirandis pœnarum exemplis, subitò tanti terrores concutiebant, ut penè exanimaretur.

Ac vidi ipse cùm in quadam doctrinæ disputatione propter intentionem consternatus, in vicino cubiculo, se in lectum collocavit, ubi hanc sententiam crebrò repetitam miscuit invocationi: Conclusit omnes sub peccatum, ut omnium misereatur.

Hos terrores seu primùm, seu acerrimos sensit eo anno, cùm sodalem, nescio quo casu interfectum, amisisset.

Non igitur paupertas, sed studium pietatis eum in illud vitæ monasticæ genus induxit, in quo etsi doctrinam in scholis usitatam quotidiè discebat, & sententiarios legebat, & in disputationibus publicis labyrinthos aliis inextricabiles, disertè, multis admirantibus, explicabat: tamen quia in eo vitæ genere non famam ingenij, sed alimenta pietatis quærebat, hæc studia tanquam parerga tractabat, & facilè arripiebat illas scholasticas methodos. Interea fontes doctrinæ cœlestis avidè legebat ipse: scilicet scripta Prophetica & Apostolica, ut mentem suam de Dei voluntate erudiret, & firmis testimonijs aleret timorem & fidem. Hoc studium ut magis expeteret illis suis doloribus & pavoribus movebatur.

Et senis cuiusdam sermonibus in Augustiniano Collegio Erfordiæ se-

Digitized by Google

dia sæpè se confirmatum esse narrabat, cui cùm consternationes suas exponeret, audivit eum de fide multa dissérentem, séq; deductum ajebat ad Symbolum, in quo legitur: Credo remissionem peccatorum. Hunc articulum sic ille interpretatus erat, non solùm in genere credendum esse, aliquibus remitti, ut & dæmones credunt, Davidi aut Petro remitti: Sed mandatum Dei esse, ut singuli homines nobis remitti peccata credamus.

Et hanc interpretationem confirmatam dicebat Bernardi dicto, monstratumq; locum in concione de Annunciatione, ubi hæc sunt verba: Sed adde, ut credas, & hoc quòd per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus Sanctus in corde tuo, dicens: Dimissa sunt tibi peccata tua. Sic enim arbitratur Apostolus, justificari homines per fidem.

Hac se voce non solùm confirmatum esse Lutherus dicebat, sed commonefactum esse de tota Pauli sententia, qui toties inculcat hoc dictum: Fide justificamur. De quo cùm multorum expositiones legisset, tunc & ex hujus sermonibus, & suæ mentis consolationem animadvertisse interpretationum, quæ tunc in manibus erant, vanitatem. Paulatim legenti & conferenti dicta & exempla in Prophetis & Apostolis recitata, & in quotidiana invocatione excitanti fidem, plus lucis accessit.

Tunc & Augustini libros legere cœpit, ubi & in Psalmorum enarratione, & in libro de Spiritu & Litera multas perspicuas sententias reperit, quæ confirmabant hanc de fide doctrinam & consolationem, quæ in ipsius pectore accensa erat. Nec tamen prorsus reliquit sententiarios. Gabrielem & Cameracensem penè ad verbum memoriter recitare poterat. Diu multumq; legit scripta Occam. Hujus acumen anteferebat Thomæ & Scoto. Diligenter & Gersonem legerat. Sed omnia Augustini monumenta & sæpè legerat, & optimè meminerat.

Hoc acerrimum studium inchoavit Erfordiæ, in cujus urbis collegio commoratus est annos quatuor.

Digitized by Google

Eo autem tempore, quia Reverendus vir Stupicius, qui exordia Academiæ Vitebergensis adjuverat, studium Theologicum in recenti Academia excitare capiebat, cùm ingenium & eruditionem Lutheri considerasset, traducit eum Vitebergam, Anno 1508. cùm jam ageret annum vicesimum sextum. Hic, inter quotidianas exercitia Scholæ & concionum, magis etiam lucere ejus ingenium cœpit. Cumque eum attentè audierant viri sapientes, Doctor Martinus Mellerstadius, & alij, sæpè dixit Mellerstadius tantam esse vim ingenii in hoc viro, ut planè præsagiret mutaturum esse vulgare doctrinæ genus, quod tum in scholis unicum tradebatur.

Hic primùm Dialecticen & Physicen Aristotelis enarravit. Interea tamen suum illud studium legendi scripta Theologica non omittens.

Post triennium Romam profectus, propter Monachorum controversias, cùm eodem anno reversus esset, usitato more Scholarum, Duce Saxoniæ Electore FRIDERICO præbente sumptus, ornatus est gradu Doctorum, ut usitatè loquimur. Audierat enim concionantem, & vim ingenij, & nervos orationis, ac rerum bonitatem expositarum in concionibus admiratus fuerat. Et ut quadam quasi maturitate judicij videas gradum ei doctorum attributum esse, scias fuisse eum annum ætatis Lutheri tricesimum. Ipse narrabat sibi admodum defugienti & recusanti mandatum esse à Stupicio, ut hoc gradu ornari se sineret. Eumq; per jocum dixisse, multùm negociorum Deo jam in Ecclesia fore, ad quæ ipsius usurus esset operâ. Cui voci, etsi joco tunc emissæ est, tamen eventus respondit, ut multa præcedunt mutationes præsagia.

Posteà enarrare Epistolam ad Romanos cœpit, deinde Psalmos. Hæc scripta sic illustravit, ut post longam & obscuram noctem nova lux oriri videretur, omnium piorum & prudentum judicio. Hic monstravit Legis & Evangelij discrimen, hic refutavit errorem, qui tunc in Scholis & concionibus regnabat, qui docet, mereri homines remissio-

Digitized by Google

remissionem peccatorum, propriis operibus, & homines coram Deo justos esse disciplinâ, ut Pharisæi docuerunt.

Revocavit igitur Lutherus hominum mentes ad Filium Dei: & ut Baptista monstravit Agnum Dei, qui tulit peccata nostra, ostendit gratis propter Filium Deum remitti peccata, & quidem oportere id beneficium fide accipi. Illustravit & cæteras partes doctrinæ Ecclesiasticæ.

Hæc ei exordia rerum optimarum magnam authoritatem circumdederunt, præsertim cùm mores congruerent cum oratione docentis, videreturq; oratio non in labris nasci, sed in pectore.

Hæc vitæ admiratio magnas efficit inclinationes in animis auditorum, ut veteres etiam dixerunt: Σχεδὸν ὡς ἰδιωτῆν, κυριωτάτην ἔχει πίστιν ὁ λόγος. Quare posteà cùm quosdam receptos ritus mutaret, honesti viri, qui eum norant, minus vehementer adversati sunt, eiq; propter authoritatem, quam & rerum bonarum illustratione & sanctitate morum antea pepererat, in ijs sententijs assenserunt, quibus magno cum dolore videbant Orbem terrarum distrahi.

Nec Lutherus tunc in ritibus quicquam mutabat, imò tetricus disciplinæ custos inter suos erat, nec admiscuerat aliquid opinionum horridiorum. Sed illam communem & prorsus necessariam doctrinam omnibus magis magisq; illustrabat, de pœnitentia, de remissione peccatorum, de fide, de veris consolationibus in cruce.

Hujus dulcedine doctrinæ pij omnes valdè capiebantur. Et eruditis gratum erat, quasi ex tenebris, carcere, squalore educi Christum, Prophetas, Apostolos, conspici discrimen Legis & Evangelij, promissionum Legis & promissionis Evangelicæ, Philosophiæ & Evangelij, quod certè non extabat in Thoma, Scoto & similibus, justitiæ spiritualis & rerum politicarum.

Accedebat huc, quòd Erasmi scriptis jam invitata erant juventutis studia ad Latinæ & Græcæ linguæ cognitionē. Quare monstrato jam dulciore genere doctrinæ, multi bonis & liberis ingeniis praditi, abhorrere à barbarica & sophistica doctrina Monachorū incipiebant.

Digitized by Google

Ipse etiam Lutherus Græcæ & Hebraicæ linguæ studijs se dedere cœpit, ut cognitâ sermonis proprietate & phrasi, & haustâ ex fontibus doctrinâ, dexteriùs judicare posset.

In hoc cursu cùm esset Lutherus, circumferuntur venales indulgentiæ in his regionibus, à Tecelio Dominicano impudentissimo sycophanta, cujus impijs & nefarijs concionibus irritatus Lutherus, studio pietatis ardens, edidit propositiones de indulgentijs, quæ in primo Tomo monumentorum ipsius extant. Et has publicè templo quod arci Vitebergensi contiguum est, affixit, pridiè festi omnium Sanctorum, Anno 1517.

Hic Tecelius nihil sui dissimilis, ac sperans se etiam gratiam apud Romanum Pontificem initurum esse, suum Senatum convocat, Monachos aliquot & Theologos suâ sophisticâ utrumq; leviter tinctos, hos componere aliquid jubet adversus Lutherum. Ipse interea ne esset κωφὸν πρόσωπον, non jam conciones, sed fulmina in Lutherum torquet, vociferatur ubiq;, hunc hæreticum igni perdendum esse. Propositiones etiam Lutheri, & concionem de indulgentijs publicè conjicit in flammas.

Hi furores Tecelij, & ejus satellitum, imponunt necessitatem Luthero de rebus ijsdem copiosiùs disserendi & tuendæ veritatis.

Hæc initia fuerunt hujus controversiæ, in qua Lutherus nihil adhuc suspicans, aut somnians de futura mutatione rituum, ne quidem ipsas indulgentias prorsus abjiciebat, sed tantùm moderationem flagitabat. Quare falsò eum calumniantur, qui à plausibili causa exorsum dicunt, ut postea mutaret Remp. & vel sibi, vel alijs potentiam quæreret. Ac tantum abest, ut ab aulicis subornatus aut incitatus sit, sicut scripsit Dux Brunsvicensis, ut doluerit etiam Dux Fridericus moveri certamina, longè prospiciens, quànquam exordium esse de re plausibili: tamen paulatim latiùs vagaturam esse hanc flammam, ut de lite apud Homerum dicitur: Parva metu primo mox sese tollit in auras.

Cumq; unus omnium nostræ ætatis principum Fridericus &

tranquilli-

Digitized by Google

tranquillitatis publicæ amantissimus fuerit, & minimè πλεονεκτικὸς, maximeq; solitus sit referre consilia ad communem salutem orbis terrarum, ut ex multis rebus intelligi potest, nec incitator Luthero, nec applausor fuit, suumq; dolorem sæpè significavit, quem assiduè circumtulit, metuens discordias majores.

Sed vir sapiens & non tantum profana judicia sequens, quæ tenera initia, omnium mutationum celerrimè opprimi jubent, sed etiam normam divinam in consilium adhibens, quæ jubet audiri Evangelium, & vetat agnitæ veritati adversari, ac blasphemiam vocat horribiliter damnatam à Deo, pertinaciam veritati adversantem, fecit, quod multi alij pij & sapientes fecerunt, Deo cessit, studiosè legit ea, quæ scribebaatur.

Scio etiam sæpè eum sciscitatum de rebus ipsis eruditorum & sapientum sententias, & in eo conventu, quem in urbe Agrippinæ Colonia egit Imperator CAROLUS V. post coronationem, Erasmum Roterodamum amanter orasse, ut liberè diceret, num errare Lutherum in ijs controversiis judicaret, de quibus præcipuè disseruisset, ibi Erasmus planè dixit, rectè sentire Lutherum, sed lenitatem se in eo desiderare. Qua de re gravissimè postea Dux Fridericus ad Lutherum scribens, valdè eum hortatus est, ut styli acerbitatem moderaretur.

Constat enim Lutherum Cardinali Cajetano promissurum fuisse silentium, si adversariis etiam silentium indiceretur. Qua ex re perspicuè intelligi potest, tunc quidem eum nondum decrevisse, alia se deinceps moturum esse certamina, sed tranquillitatis cupidum fuisse, sed paulatim ad alias materias pertractum fuisse, undiq; lacessentibus eum indoctis scriptoribus.

Secutæ sunt igitur disputationes de discrimine legum divinarum & humanarum, de tetra prophanatione Cœnæ Domini, in venditione & applicatione ejus pro aliis. Hic explicanda tota sacrificij ratio fuit, & ostendendus usus Sacramentorum. Cum q; jam

Digitized by Google

audirent homines pij in monasteriis, fugienda esse idola, discedere ex impia servitute cœperunt.

Addidit igitur Lutherus ad explicationem doctrinæ de pœnitentia, de remissione peccatorum, de fide, de indulgentiis: deinde & has materias, discrimen legum divinarum & humanarum, & doctrinam de usu Cœnæ Domini, & aliorum Sacramentorum, & de votis. Et hæc fuerunt præcipua certamina. Quæstionem de Romani Episcopi potestate Eccius movit, non aliam ob causam, nisi ut accenderet Pontificis & Regum odia adversus eum.

Symbola verò, Apostolicum, Nicenum, & Athanasianum purissimè retinuit: deinde in ritibus & traditionibus humanis, quid & cur mutandum sit, satis copiosè in multis scriptis exponit, & quid retineri voluerit, & quam formam doctrinæ & administrationis Sacramentorum probaverit, liquet ex Confessione, quam Dux Saxoniæ Elector JOHANNES, & Princeps PHILIPPUS, Landgravius Cattorum &c. in conventu Augustano Imperatori Carolo V. anno 1530. exhibuerunt. Liquet idem ex ipsis Ecclesiæ ritibus in hac urbe, & ex doctrina, quam sonat Ecclesia nostra, cujus summa in Confessione perspicuè comprehensa est. Quod idcò recito, ut non solùm considerent pij, quos errores taxaverit, quæ idola sustulerit Lutherus: sed etiam sciant complexum esse universam doctrinam Ecclesiæ necessariam, & puritatem in ritibus restituisse, & pios exempla instaurandarum Ecclesiarum monstrasse. Ac utile est posteritatem scire, quid probaverit Lutherus.

Illud commemorare hoc loco nolo, qui primi publicè præbuerint utranq; partem Cœnæ Domini: qui primi omiserint privatas missas: ubi deserta sint primùm monasteria. Nam Lutherus de his materiis ante conventum, qui fuit in urbe Vangionum, anno 1521. tantum pauca disputaverat. Ritus non mutavit ipse, sed eo absente Carolostadius. Rediens Lutherus, quid probaret, aut non probaret, editis suæ sententiæ perspicuis testimoniis declaravit.

Scimus politicos viros vehementer detestari omnes mutationes, & fa-

Digitized by Google

& fatendum est, discordiis etiam propter justissimas causas motis, in hac tristi confusione vitæ humanæ semper aliquid mali miscери. Sed tamen in Ecclesia fateri necesse est, anteferri mandatum Dei omnibus rebus humanis. Æternus Pater hanc vocem de Filio edidit: Hic est filius meus dilectus, hunc audite. Et minatur æternam iram blasphemis: hoc est, ijs, qui agnitam veritatem delere conantur. Quare pium & necessarium officium fuit Lutheri, præsertim cùm Ecclesiam Dei doceret, taxare pernicioſos errores, quos homines Epicurei & novâ impudentiâ cumulabant, & auditores rectè docenti assentiri necesse fuit. Si verò mutatio odiosa est, si in discordia multa sunt incommoda, ut esse multa magno cum dolore cernimus, culpa est tùm illorum, qui initio errores sparserunt, tum horum, qui nunc eos diabolo odio tuentur.

Hæc non modò eò commemoro, ut Lutherum & eos auditores defendam, sed etiam ut piæ mentes hoc tempore & ad posteritatem cogitent, qualis sit & semper fuerit veræ Ecclesiæ Dei gubernatio, quomodo Deus sibi voce Evangelij æternam Ecclesiam ex hac massa peccati: hoc est, ex magna hominum colluvie excerpat, inter quos lucet Evangelium, ut scintilla in tenebris. Vt Phariſæorum tempore, tamen Zacharias, Elisabeth, Maria, & alij multi veræ doctrinæ custodes fuerunt: ita etiam ante hæc tempora multi fuerunt rectè invocantes Deum, alij magis, alij minus, perspicuè tenentes Evangelij doctrinam.

Talis fuit & ille senex, de quo dixi, qui Lutherum conflictantem pavoribus sæpè erexit, eique aliquo modo monstrator fuit doctrinæ de fide. Ita, ut servet Deus deinceps in multis lucem Evangelij, ardentibus votis precemur, sicut Esaias pro suis auditoribus precatur: obsigna legem in discipulis meis. Deinde hæc commemoratio ostendit fucatas superstitiones non esse durabiles, sed evelli divinitùs. Hæc cùm sit causa mutationum, cavendum est, ne errores in Ecclesia doceantur. Sed redeo ad Lutherum, ut ini-

Digitized by Google

ut initiò sine privata cupiditate in hanc causam ingressus est, ita etsi fuit natura ardens & iracunda, tamen semper sui muneris memor, tantùm docendo præliatus est, ac vetuit arma sumi, sapienterq; distinxit officia toto genere diversa, Episcopi docentis Ecclesiam Dei, & Magistratuum, qui gladio coërcent certorum locorum multitudinem. Quare cùm aliquoties Diabolus, qui scandalis dissipare Ecclesiam, & contumeliâ Deum afficere studet, & ut est ἐπιχαιρεκακος, voluptatem capit ex hominum miserorum erroribus & exitio, inflammasset studiosa ingenia ad excitandos tumultus, ut Monetarium & similes, acerrimè illos furores damnavit, & dignitatem ac vincula omnia politici ordinis non solùm ornavit, sed etiam munivit. Cùm autem apud me cogito, quàm multi magni viri in Ecclesia sæpè in hac re hallucinati sint, planè statuo, non solùm humanâ diligentiâ, sed etiam divinâ luce pectus ejus gubernatum esse, ut intra sui muneris metas tàm constanter manserit.

Execrabatur igitur non solùm hujus ætatis seditiosos doctores, Monetarium & Anabaptistas, sed etiam eos Episcopos urbis Romæ, qui audacissimè impudentissimeq; Decretis conditis affirmarunt, Petro non tantùm Evangelij munus docendi mandatum esse, sed etiam imperia politica tradita esse.

Deniq; erat hortator omnibus, ut quæ Dei sunt, Deo darent: quæ Cæsaris, Cæsari: id est, ut verâ pœnitentiâ, veræ doctrinæ agnitione & propagatione, verâ invocatione & bonæ conscientiæ officiis Deum colerent. Suæ verò politiæ quisq; in omnibus civilibus officiis reverenter propter Deum obtemperaret.

Ac talis quidem Lutherus ipse fuit, quæ Dei sunt, Deo dedit, rectè docuit, rectè Deum invocavit. Habuit ad alias virtutes necessarias in homine, qui placet Deo. Deinde in politica consvetudine, constantissimè vitavit omnia seditiosa consilia. Has virtutes tantas esse judico decora, ut alia in hac vita expeti non possint.

Et quanquam ipsius viri virtus etiam laude digna est, qui Dei donis reverenter usus est, tamen præcipuè Deo gratias agi necesse est, quod

Digitized by Google

quod per eum nobis restituit Evangelij lucem, & ipsius doctrinæ memoria retinenda & propaganda est. Nec moveor clamoribus Epicureorum, aut Hypocritarum, qui aut rident, aut damnant manifestam veritatem: sed verè statuo consensum perpetuum esse Catholicæ Ecclesiæ Dei, hanc ipsam doctrinæ vocem, quæ sonat in Ecclesiis nostris, & hujus doctrinæ agnitione necessario regendam esse invocationem & vitam. Deniq; hanc ipsam esse doctrinam, de qua Filius Dei inquit: Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum, & veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus. Loquor enim de summa doctrina, ut in Ecclesiis nostris à pijs & eruditis intelligitur, & explicatur. Nam etiamsi alij magis, alij minus propriè & concinnè interdum aliquid explicant, aut alius alio horridius interdum loquitur, tamen de rebus in summa inter pios & eruditos consensus est.

Ac mihi sæpè multumq; cogitanti de omnium temporum doctrina, inde usq; ab Apostolis post primam puritatem, secutæ videntur mutationes doctrinæ insignes quatuor. Origenica ætas, & si aliqui fuerunt rectè sentientes, qualem fuisse Methodium arbitror, qui deliramenta Origenis improbavit, tamen in animis multitudinis inflexit Evangelium ad Philosophiam: hoc est, effudit hanc persuasionem, mediocrem rationis disciplinam mereri remissionem peccatorum, & esse justitiam, de qua diceretur: Iustus ex fide sua vivet. //

Hæc ætas penè amisit totum discrimen Legis & Evangelij, & sermonem Apostolicum dedidicit. Non enim retinuit nativam significationem literæ, spiritus, justitiæ, fidei. Et amissâ verborum proprietate, quæ verborum notæ sunt, alias confingi res necesse est. Ex his seminibus ortus est Pelagij error, qui latè vagatus est. Itaq; cum Apostoli puram doctrinam, seu limpidos & saluberrimos fontes Ecclesiæ dedissent, multum infudit cæni Origenes.

Hujus errores ut emendarentur saltem aliqua ex parte, Augustinum Deus excitavit, hic mediocriter fontes repurgavit, nec dubito, si hic judex esset controversiarum hujus ætatis, habituros eos eum

Digitized by Google

prórsus ἀμόμφως. Certè de remissione gratuita, de justitia fidei, de usu Sacramentorum, de Adiaphoris expressè nobiscum sentit.

Etsi autem alibi magis, alibi minùs disertè, seu propriè exponit, quod vult, tamen si lector candorem & dexteritatem in judicando ad eum adferet, sentire eum nobiscum, agnoscet. Quod enim adversarij nostri interdum sententias ex eo decerptas contra nos citant, & ad patres magno clamore revocant, id non faciunt veritatis & antiquitatis studio, sed sycophanticè, præsentibus idolis, authoritatem veterum prætexũt, quibus hæc idola postremæ ætatis adhuc ignota erant.

Sed semina superstitionum tamen in illa patrum ætate extitisse apparet. Ideò & de votis quædam constituit Augustinus, etsi de his quoq; minùs horridè loquitur, quàm cæteri.

Semper autem aliquid ineptiarum singulis etiam bonis aspergunt contagia suæ ætatis: quia ut patriæ, ita præsentibus ritibus favemus, quibus innutriti sumus, verissimumq; est illud Euripidis, τῶν σύντροφον γλυκύ. Vtinam verò omnes qui Augustinum sequi se jactitant, perpetuam sententiam, & ut ita dicam, pectus Augustini referrent, non tantum mutila dicta deterquerent ad suas opiniones. Ac restituta lux Augustini scriptis, posteritati profuit. Nam deinde Prosper Maximus, Hugo, & aliqui similes, qui studia gubernarunt, usq; ad Bernhardi ætatem, propemodum Augustini normam sequuntur. Interea tamen crescentibus imperiis & opibus Episcoporum, secuta est veluti Gygantum ætas, prophani homines & indocti regnarunt in Ecclesia, quorum aliqui aulæ Romanæ artibus, aut forensi doctrina exculti fuerunt.

Exorti sunt igitur Dominicani & Franciscani, qui cùm viderent luxum & opes Episcoporum, & prophanos mores detestarentur, modestiorem vitam instituerunt, seq; quasi disciplinæ carceribus inclusérunt. Sed primum insciția superstitiones auxit: deinde cùm viderent hominum studia in scholis ad solam forensem doctrinam converti, quòd Romæ jam lites multis augerent authoritatẽ & opes, ipsi revocare homines ad Theologica studia conati sunt, sed consilium defuit.

Digitized by Google

defuit. Albertus & similes, qui dediti fuerunt doctrinæ Aristotelis, transformare Ecclesiæ doctrinam in Philosophiam cœperunt. Et hæc quarta ætas, non tantùm cœnum, sed insuper venena: id est, opiniones probantes manifesta idola in fontes Evangelicos infudit. Tantũ Labyrinthorum & falsarum opinionum est in Thoma, Scoto, & similibus, ut semper saniores Theologi desideraverint aliud genus doctrinæ plenius & purius.

Nec sine insigni impudentia dici potest, non fuisse opus ejus doctrinæ mutatione, cùm manifestum sit, magnam partem sophismatum in illis disputationibus ne ab iis quidem intelligi, qui in eo genere doctrinæ consenuerũt. Deinde apertè confirmantur εἰδωλομανίαι, ubi docent applicationes sacrificij ex opere operato, ubi statuarum invocationes excusant, ubi negãt gratis remitti peccata fide, ubi ex cæremoniis humanis carnificinam faciunt conscientiarum: deniq; multa sunt alia magis tetra & δύσφημα, quæ cogitãs toto corpore cohorresco.

Gratias igitur agamus Deo æterno Patri Domini nostri Jesu Christi, qui Martini Lutheri ministerio ex fontibus Evangelicis rursus ejici cœnum & venena voluit, & Ecclesiæ puram doctrinam restitui, qua de re cogitantes, omnes pios toto orbe terrarum conjungere vota & gemitus decet, ac petere ardentibus pectoribus, ut Deus confirmet hoc, quod operatus est in nobis, propter templum sanctum suum. Tua est hæc vox, & promissio, vive & vere Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, & Ecclesiæ, propter nomen meum miserebor vestri, propter me, propter me faciam, ut non blasphemer. Te oro toto pectore, ut propter gloriam tuam & Filij tui, semper tibi inter nos quoq; Ecclesiam æternam voce Evangelij colligas, & propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, crucifixum pro nobis, & resuscitatum, μεσίτην καὶ ἱλαστήριον nostra pectora Spiritu sancto regas, ut te verè invocemus, & officia tibi placentia præstemus.

Rege etiam studia doctrinæ, & guberna ac serva has politias & earum disciplinam, quæ sunt hospitia tua Ecclesiæ & studiorum.

Digitized by Google

diorum. Cùm igitur genus humanum condideris, ut ab hominibus agnoscaris, & invoceris, quare & illustribus testimoniis te patefecisti, non sines deleri hæc agmina, in quibus doctrina tua sonat. Cumque Filius tuus Dominus noster Jesus Christus aditurus agonem suum pro nobis sit precatus, Pater sanctifica eos in veritate, sermo tuus est veritas.

Ad hujus nostri sacerdotis precationem, nostra vota adjungimus, & petimus unà cum ipso, ut tua doctrina semper luceat in genere humano, & nos gubernet. Hæc quotidiè precantem & Lutherum audiebamus, & inter hæc vota anima ejus ex mortali corpore placidè evocata est, cùm jam ageret annum 63. Habet posteritas multa monumenta & doctrinæ & pietatis ipsius. Edidit scripta διδασκαλικὰ. in quibus doctrinam complexus est salutarem & necessariam hominibus, erudientem bonas mentes de pœnitentia, fide, & veris fructibus fidei, de usu Sacramentorum, de discrimine Legis & Evangelij, de discrimine Evangelij & Philosophiæ, de dignitate politici ordinis, deniq; de præcipuis articulis doctrinæ, quam in Ecclesiis extare necesse est: deinde addidit ἐλεγκτικὰ, in quibus refutavit multos errores pernicioſos hominibus. Edidit & ἐξηγητικὰ: id est, enarrationes plurimas in Prophetica & Apostolica scripta, quo in genere etiam inimici fatentur eum superare omnium enarrationes, quæ extant.

Hæc merita esse magna, omnes piæ mentes intelligunt. Sed profectò utilitate & labore æquat hæc opera, Interpretatio Veteris & Novi Testamenti, in qua est tanta perspicuitas, ut vice commentarij esse possit ipsa Germanica lectio. Quæ tamen non est nuda, sed habet adjunctas eruditissimas annotationes, & singularum partium argumenta, quæ & summam doctrinæ cœlestis monstrant, & de genere sermonis erudiunt lectorem, ut ex ipsis fontibus bonæ mentes firma testimonia doctrinæ sumere possint. Volebat enim Lutherus non detinere in suis scriptis, sed ad fontes deducere omnium mentes. Ipsam vocem Dei audire nos voluit in multis accendi veram fidem & in-

Digitized by Google

& invocationem, ut Deus verè celebraretur & multi fierent hæredes vitæ æternæ.

Hanc voluntatem, & hos tantos labores, & gratâ mente prædicare decet, & exempli causâ meminisse, ut nos quoq; pro suo quisq; modo, ornare Ecclesiam studeat. Nam ad hos duos fines præcipuè tota vita, & omnia vitæ studia & consilia referenda sunt. Primùm ut Dei gloriam illustremus: deinde ut Ecclesiæ prosimus. De quorum altero dicit Paulus, omnia ad gloriam Dei facite. De altero Psalmus 122. Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem. Et additur dulcissima promissio in eodem versu: Eos, qui diligunt Ecclesiam, felices & beatos fore. Hæc cœlestia mandata & hæ promissiones invitent omnes, ut Ecclesiæ doctrinam rectè discant, ament ministros Evangelii, & salutares doctores, & conferant studium & operam ad veræ doctrinæ propagationem, & ad veræ Ecclesiæ concordiam tuendam. Benè vale Lectori Viteberga, Cal. Iunii, Anno MDXLVI.

De Beato,

MARTINI LVTHERI, EVANGELII IESU CHRISTI, DOCTORIS, &c. EX HAC mortali & ærumnosa vita discessu.

AUdivimus Philippum Melanchthonem de vita & rebus gestis MARTINI LVTHERI disserentem, cur autem is ipse Philippus nihil de obitu Lutheri dixerit, rationem reddit Matthæus Wesenbecius, in Epistola ad Senatorem quendam Belgam missa, his verbis: Qualis porrò, quamq; felix, pius, optatus, hujus divini viri fuerit decessus: & libris ea de re vulgatis, quos miror à te nondum lectos, & conscientiâ hominum consentiente, (res est enim non ita vetus,) planum est satisfactum. Fuit ille, mihi crede, non tantùm ingenio, doctrinâ, pietate, sed sanctimoniâ,

Digitized by Google

nid, virtute q; mirificus: nec exitus à vita, quod certum est, abhorruit. Cùm dies ad aliquot graviter ægrotasset: ut non modò, non ad ebrietatem biberet. (quod nunquam, ut ab hoc arguitur, fecit) sed abs omni ferè cibo potuq; se contineret: inter sanctissimas precationes, animam lætam & fiduciâ Mediatoris acquiescentem, in sinum æterni Patris, cum multa gratiarum actione, majore spe & fiducia profudit. Quòd autem miraris D. Philippum in suo de vita ejus scripto, nullam istiusmodi obitus mentionem inferre: primùm non conveniebat ejus instituto: qui cum in Tomo Lucubrationum illius edito præfaretur: de vita & genere doctrinæ scriptoris pro subjecto argumento differendum sibi duntaxat ratus est. Deinde, quòd extarent aliorum, qui præsentes fuissent, de pacata ejus demigratione testimonia, publicis literarum monumentis consignata: ipsius etiam judicium ea de re contestatum: idcircò si quid conjecturis assequor: nõ necessariam, nec convenientem proposito narrationem, omittendam illic putavit: cùm alioquin brevitatis esset studiosissimus. Hactenus Eisenbecius. Obitum Lutheri hisce Sleidanus refert verbis: Lutherus ad Comites Mansfeldios proficiscitur, vocatus ab iis componendi causâ dissidij, quod inter ipsos erat de finibus & hæreditate. Non solebat ille quidem ejusmodi negocia tractare, & per omnem vitam suis tantùm studijs vacaverat: sed quia natus erat Islebij, quod est Mansfeldiorum ditionis oppidum, non potuit hunc laborem & operam illis atq; patriæ non præstare. Priusquam Islebium perveniret, quod erat sub exitum Januarij, valetudine utebatur tenuiori, sed tamen & causam agebat, propter quam erat vocatus & aliquoties in templo docebat, perceptâ quoq; cœnâ Domini. Decimo septimo verò Februarij die cœpit ægrotare graviùs ex pectore. Erant cum eo filij tres Johannes, Martinus, Paulus, & alij quidam familiares, in his etiam JUSTUS JONAS, Hallensis Ecclesiæ minister: & quanquam erat imbecillior, prandit tamen cum reliquis atq; cœnavit. Inter cœnandum variis de rebus locutus, hoc etiam inter alia rogabat, num in illa sempiterna vita simus alter alterum recogniturî? Cumq; illi ve-

rent

rent ex ipso scire: quid, inquit, accidit Adamo? nunquam ille viderat Evam, sed cùm eam formaret Deus, altissimâ quiete sopitus dormiebat: expergefactus autem, cùm illam videret, non rogat, qua sit, aut unde veniat, sed carnem esse de sua carne dicit, & os de suis ossibus. Qui verò sciebat istud? nimirum Spiritu Sancto plenus, & verâ Dei cognitione praditus, ita pronunciabat: ad eundem modum nos etiam in altera vita renovabimur per Christum & parentes, uxores, liberos, & quicquid est, multò perfectiùs agnoscemus, quàm tunc Evam Adamus cognovit. A cœna cùm divertisset, precandi causâ, sicuti consuevit, capit augeri dolor pectoris. Ibi monitu quorundam usus est cornu monocerotis, ex vino, pòst, in minori lectulo hypocausti per unam & alteram horam suaviter dormit. Cùm evigilasset, in cubiculum ingreditur, & ad quietem iterum sese componit, & salutatis amicis, qui aderant, orate, inquit, Deum, ut Evangelij doctrinam nobis conservet: Pontifex enim & Concilium Tridentinum dira moliuntur. Hæc ubi dixit, facto silentio dormit aliquandiu, sed urgente vi morbi, post mediam noctem excitatus, queritur de pectoris angustia, & præsentiens jam instare vitæ finem, his omninò verbis Deum implorat: Pater mi cœlestis, Deus, & Pater Domini nostri Iesu Christi, Deus omnis consolationis, ago tibi gratias, quòd filium tuum Iesum Christum mihi revelasti, cui credidi, quem sum professus, quem amavi, quem celebravi, quem Pontifex Romanus & reliqua impiorum turba persequitur & afficit contumeliâ: rogo te, mi Domine Iesu Christe, suscipe animulam meam: mi Pater cœlestis, etiamsi divellor ex hac vita, licet corpus hoc mihi sit jam deponendum, certò tamen scio, me tecum esse permansurum in sempiternum, neq; posse me tuis ex manibus à quoquam avelli. Non multò post eam precationem, ubi Spiritum suum in manus Dei semel & iterum commendasset, tanquam dormiturus, paulatim è vita decedit, nullo cum corporis, qui quidem animadverti posset, cruciatu. Sic ergò mortuus est in patria sua, quam à multis annis non viderat, Februarij die XVIII. maximo cum gemitu plurimorum.

Manss-

Digitized by Google

Mansfeldij quidem cupiebat illum suis in finibus, quòd illinc originem haberet sepeliri, sed jussu Principis Electoris, Vitebergam honorificè delatus, quinto pòst die reconditur. Erat annorum circiter LXIII. Hæc Sleidanus.

Cæterùm, quod ad Pompam funebrem attinet, quâ exuviæ viri sancti D.M.L. terræ mandatæ sunt: (retineo verba Mencij,) de ea hanc accepimus à Patribus & Præceptoribus narrationem fide dignam, quam placuit adscribere. Doctore MARTINO LUTHERO XIIX. Februarij, ipso die Concordiæ Islebij, in Domino beatè mortuo: postridiè, hoc est, die 19. Febr. horâ secundâ Pomeridianâ, funus Christiana cum solennitate & Ecclesiasticis cantionibus in templum D. Andreæ ejus loci augustissimum, deportatum est. Deduxerunt illud Principes & Comites: Inter quos fuit illustris Princeps, Dominus WOLFGANGUS, Princeps in ANHALT: & cum eo generosi Comites ac Domini, PHILIPPUS, JOHANNES, GEORGIUS, fratres: VOLRADUS, JOHANNES, & WOLFGANGUS, itidem fratres: & Dominus ALBERTUS omnes Comites Mansfeldenses. Item Comes GEBHARDUS cum duobus filiis, GEORGIO & CHRISTOPHORO: Dominus JOHANNES HENRICUS Comes Schwartzburgensis, aliiq; multi proceres, cum magno cœtu nobilium matronarum: Deniq; & plebejorum hominum ingens multitudo. In templo D. JONAS orationem funebrem habuit ex loco quarti capitis epistolæ prioris ad Thessalonicenses. Hac finitâ discessum est, relicto corpore defuncti in templo cum decem civibus, ad custodiendum ipsum per noctem, adjunctis. Quamvis autem Comites Mansfeldenses Lutheri corpus retinere, & in sua ditione sepeliri cuperent: Tamen cùm id Dux Elector Saxoniæ JOHANNES FRIDERICUS Vitebergam reduci postulasset, ipsi gratificari maluerunt. Itaq; Sabatho post natalem S. Valentini, qui erat dies vigesimus Februarii, matutinam concionem habuit M. MICHAEL CELIUS, ex dicto Esai. 56. lustius perit, & nemo considerat. Deinde post horam meridianam congre-

Digitized by Google

congregati sunt ijsdem Principes & Comites, & matronæ nobiles, quos suprà nominavimus: & cum illis magna plebis multitudo, qui omnes eadem solennitate & pompâ quâ antea, funus rursum è templo per urbem deduxerunt, extra portam usq; non sine maximo luctu. Id deinde avectum, eo die Halam perlatum est. Caterùm cùm Halam veheretur, ex singulis pagis propinquis agricolæ ad nobile funus cum uxoribus & liberis occurrerunt, animi dolorem minimè fictum, præ se ferentes.

Deinde sub horam quintam vespertinam cùm jam ad urbem propius accederetur, egressi multi cives & matronæ per viam lapidibus stratam longo itinere funeri obviam processerunt. Tandem ubi ad portam ventum est, occurrerunt concionatores: hos secuti sunt plarique ex Senatorio ordine. Deinde Ludimagister cum universis suis discipulis, more consueto cantiones funebres decantantibus. Vulgus autem promiscuum ad exteriorem portam magnâ frequentiâ funus excepit. Via etiam civitatis à turba ita obsessa, & currus advenientium tàm arctè cincti fuerunt, maximeq; ille, quo Lutheri corpus vehebatur, ut sæpiùs eis subsistendum fuerit, eoq; ad eadem D. Virginis vix ad mediam septimam perventum est, ubi à tota multitudine Psal. de profundis non tàm cantatus, quàm fletu & verbis singultu interruptis, expressus est. Fuisset etiam sermo factus ad populum, sed quia jam serò erat, corpus illicò in sacrarium, junctâ custodiâ, depositum fuit. Proximâ sequente Dominicâ, quæ erat 21. Februar. ad horam sextam matutinam, quando rursus avehebatur funus: Senatus, Concionatores & scholastici cum eadem solennitate & ceremoniis illud extra urbem deduxerunt; quibus priori die exceperant.

Sub eius die meridiem, cùm Bitterfeldium ventum esset, in confinio eius ditionis Dominus ERASMUS SPIEGEL, præfectus Vitebergensis, GANGOLPHUS *ab* HEYLINGEN *Diebensis*, THEODORICUS à TAUBENHEIM *Brenensis*, missi à Duce Saxoniæ Electore JOHANNE FRIDERICO D. N. C. decenti reve-

Digitized by Google

rentiâ & Christianis ceremonijs, DD. Comites & reliquos, qui funus sequebantur, exceperunt: Deinde à prandio Kembergam deduxerunt. Fuerunt autem hi Comites generosi Domini, Dn. JOHANNES, Dn. JOHANNES HOYERUS uterq; Mansfeldensis, qui cum Equitibus armatis circiter XLV, Islebiâ funus comitati sunt, & postero die Luna, id est, 22. Febr. Vitebergam deduxerunt.

Cùm Vitebergam ad portam ab Elystra fluvio denominatam pervenerunt, repererunt congregatos ex mandato Principis Electoris, Johannis Friderici, Dn. Rectorem, Doctores, Magistros, & omnem universitatis cœtum cum Senatu & toto populo: Continuò processerunt Evangelij Ministri cum scholasticis usitato ritu & ceremonijs Christianas cantilenas per totâ illam viam usq; ad templum arcis funeri præcinentes. Proximè ante funus equitarunt præfecti, quos suprà diximus à Principe funeri obviam missos fuisse. Deinde Comites cum suis equitibus: tùm quadriga supra quam defuncti corpus positum erat: quam statim in humiliori vehiculo secuta est coniunx ipsius Catharina cum filia & alijs quibusdam matronis. Inde tres filij Johannes, Paulus & Martinus: Item frater ipsius Jacobus Lutherus, civis Mansfeldensis, Georgius & Cyriacus Kauffman, ex eadem civitate, sororis filij, & alij ipsius propinqui. Hos secutus est Magnificus Dn. Rector inclytæ illius Universitatis, & nonnulli Principum, Comitum & Baronum filij, literarum gratiâ eò profecti. Deinde Dn. Georgius Pontanus, Dn. Philippus Melanchthon, D. Justus Jonas, D. Pomeranus, D. Casparus Crucigerus, & cæteri grandæviores eiusdem Ordinis. Inde reliqui Doctores & Magistri: tùm Senatores omnes: postea studiosorum cœtus florentissimus: ac civium universum agmen. Postremò maxima turba mulierum, matronarum, virginum, puerorum, qui omnes huius viri mortem graviter lugebant, & lamentabili voce deplorabant.

Incredibile est, quanta hominum turba, quàm confertim, in foro

Digitized by Google

foro & omnibus vicis, tàm brevi temporis spacio confluxerit. Multi certò affirmabant, se tantam multitudinem Vitebergæ nunquam vidisse. Porrò Lutheri corpus in templum arcis deportatum, ad dextrum suggesti collocatum est. Deinde præmissis funebribus quibusdam cantionibus, Venerabilis D. Pomeranus suggestum ascendit, & coram aliquot millibus ibidem auscultantibus, dulcissimam & valdè piam concionem habuit.

Concione finitâ D. Philippus Melanchthon præclaram habuit orationem funebrem: cùm ut affectum & luctum suum testaretur: tùm ut Ecclesiæ dolores mitigaret. His ita peractis, Magistri quidam viri docti, ad id officium electi, defuncti corpus in sepulchrum demittentes quieti dederunt.

Atq; ita in arce Vitebergensi jacet terræ mandatum corpus Reverendi Patris, Martini Lutheri, præstantissimum Spiritus sancti organon. Jacet autem prope suggestum, in quo tot præclaras & sanctas conciones in præsentia Ducum, & Electorum Saxoniæ totiusq; Ecclesiæ antè habuerat: Jacet, inquam, seminatus in infirmitate, ut in illo die resurgat in potentia, ut Apostolus loquitur, 1. Cor. 15.

Hanc descriptionem pompæ funebris D. M. L. ut ab illis, qui αὐτόπται fuerunt, bonâ fide in literas relata est, hic inserere volui: non tantùm ut agnoscatur pietas & gratitudo istius seculi erga defunctum hoc præstantissimum Dei organon, sed multò magis, ut extet ad omnem posteritatis memoriam vera, solida & perspicua refutatio mendaciorum, quæ adversarij veritatis Papistæ & Jesuitæ de morte huius sancti viri impudenter conficta etiam publicis scriptis in vulgus spargere non erubuerunt. Tantum de Pompa funebri R. D. M. L. &c. ex 1. lib. Epitaph. Mencij.

Digitized by Google

ORATIO
DE ANDREA BODENSTENIO, CAROLOSTADIO, CORAM DOMI-nis Colloquij Alvenslebiaci fratribus, recitata à Joh. Bism. 3. Maij Anno M DC XII.

QUemadmodum Deus Optimus Maxim. virtutes & rectè hominum facta orationis & literarum monumentis vult extolli, & posteritati commendari, iuxta illud Eobani Hessi Psal. 92.

Justus, ut aëriæ, florebit, brachia palmæ,
Crescet ut in Libani colibus alta cedrus:

ita pracipit, vitia & sceleratè facta graviter & seriò vituperari exclamans Esai 5. Væ ijs, qui malum dicunt bonum, & ex tenebris faciunt lucem. Non parùm enim facit ad pietatem, & mores rectè informandos, tenere virtutes & vitia aliorum, & quid quisq; pro benè, seu malefactis præmij receperit, exploratum habere.

Cùm igitur, venerandi ac doctissimi Domini fratres, antehac aliquot laudatorum virorum gesta proposuerimus: recensebimus nunc, divinâ favente & nos juvante gratiâ, historiam ambitiosissimi hominis Andreæ Bodenstein Carolostadii, *ut quemadmodum in illis virtutum præstantissimarum, & imitatione dignissimarum: sic in hoc detestandorum vitiorum habeamus exemplum. Natus autem is est ab honestis parentibus Carolostadij in Francia Orientalis oppido, à Carolo Calvo paulò post annum Christi 875, quo imperare cœpit, condito, inq; schola patria mediocria primùm literarum fundamenta jecit. Postea ad varias regiones & Academias sese contulit, & speciatim Romæ Sacrosanctis Theologiæ studijs operam dedit.*

Digitized by Google

dulit. Ex Italia reversus sedem, & domicilium rerum, & fortunarum suarum omnium Vitebergam collocavit, ubi & gradum in Theologia supremum adeptus, & in numerum Professorum recentis Academiæ adoptatus fuit, cùm ibidem in templo arcis Canonicus, & Archidiaconus esset. Atq; sub decanatu eius in Theologia Doctorem promotus est Reverendus Pater, Martinus Lutherus. Qui cùm anno supra sesquimillesimum duodevigesimo indulgentias impugnaret: inter alios, qui sese junxerant ipsi operis administros, habebat etiam hunc suprà nominatum Carolostadium, unà secum adversus Papicolas disputantem, & scriptitantem.

Conscripserat autem tùm temporis Johannes Eccius, Doctor Pontificius, contra Martinum Lutherum, & Andream Bodenstenium, vigesimo quinto Junij, Anno MDXIX, tredecim positiones, & utrumq; ad disputationem Lipsiæ habendam invitaverat. Huic fortiter sese opposuerunt tàm Carolostadius, quàm Lutherus, quorum hic vicissim XIII positiones, ille verò XVII conclusiones fecit, ac XXVII Junij eiusdem anni cœpta est disputatio Eccij cum Carolostadio de Libero Arbitrio, in secundo huius congressu Carolostadio ab Eccio obiectũ, & vitio versum fuit, quod, in memoriæ subsidium, schedâ, & libri adminiculo uteretur. Nam disputandi modum Italicum, aiebat Eccius, esse, ut libri non in publicum proferrentur, sed memoriter omnia proponerentur. Et quia Carolostadius suum factum defendebat, ad Principem & magistratum res devoluta est, qui Theologis eam dijudicandam subjecerunt. Ab his igitur per CÆSAREM PELUG in hunc modum responsum est: Illustrissime Princeps, Domine Clementissime, & Reverendi, clari doctissimiq; viri, inter reverendum Dominum D. Eccium & Carolostadium in contentionem venit, quod D. Carolostadius ex libro, & scheda sua argumenta profert. Hoc improbat D. Eccius, & hac quidem vice precariò ei permittit hũc morem ex codice pronunciandi. Quod, si collocutores crastino die nostro interdicto obtemperare, & disputationem cœptam continuare detrectaverint, fiet id bo-

Digitized by Google

na nostra cum pace. Carolostadius verò non cessit judicio theologorum, sed contrà protestatus est. Quibus auditis tumultus est exortus in auditorio, & ab omnibus conclamatum; missam tùm fieri disputationem.

Sed vesperi indicta est Eccio dies sequens, idq; duabus potissimùm è causis: Primò quia conventus agebatur celebris, & confluxerant eò undiquaq; viri literati, magni nominis, & maximæ authoritatis, etiam è longinquis, & dissitis locis: deinde ne res tàm seria ludibrio esset multitudini congregatæ, & alijs. Eccius enim videbatur sibiipsi diffisus, diverticulum occasionemq; abrumpendi colloquium quæsivisse. Aliàs parùm refert, sive ex charta, sive ex memoria pronuncientur. Eundem quippè habent, ac retinent valorem. Imò sicuti aranearum telæ ideò præstantiores non sunt, quia eas ex sese gignunt: ita nec apum labor vilior est, quia ex alienis ad alveos deportanda legunt. Augustus Cæsar ne periculum subiret labilitatis memoriæ, aut prolixitate tadiosus evaderet, instituit è libello recitare omnia in Senatu, & in concione apud milites, teste Suetonio. Sermones quoq; cum Livia suæ graviores, non nisi in scriptis consignatos habebat: ne plus minusvè loqueretur. Et Demosthenes, cùm ei objiceretur, quod meditatus ad dicendum veniret, respondit, non modò imprudentem, sed etiam improbum civem videri illum, qui de rebus maximis universæ civitati consilium daturus, dicere auderet, re non anteà diu multumq; cogitatâ. Quare, si posit, se non solùm scripta, sed etiam sculpta dicturum esse.

Porrò ex hac disputatione Lipsica aliquod eruditionis & constantiæ nomen sibi Carolostadius acquisivit, quod tamen posteà nimio gloriæ adipiscendæ studio, seu ambitione suâ, iterum commaculavit. Et jam tùm aliquid monstri alere nonnullis videbatur, & si non seditionem rusticorum, bellum tamen Sacramentarium clàm machinari. Quod eventus posteà docuit. Nam propter Evangelij professionem à Romani Imperij statibus Wormatiam ad comitia vocato,

Digitized by Google

cato, & profecto Luthero, cùm ob rem ibi præclarè gestam omnium fermè hominum literis, linguis, & sermone celebraretur: ex invidia fremebat Carolostadius, & hanc laudē primò clanculùm, pòst etiam propalàm allatrabat, ut non malè compositam aliqui adversus ambitiosos existiment Ixionis fabulam, qui pro Junone nubem complexus fingitur, unde pòst geniti sint centauri. Sic hi cum desiderata gloria stultè, & fama tanquam somniato virtutis simulachro habentes consuetudinem, nihil sincerè agunt, vel constanter: verùm aliò alijs rapti, & dementati suadelis, intentionibus, & opinionibus, motus sequuntur multiformes, & res gerunt, aut capessunt adulterinas, pravas, & nocivas. Idq; verum esse, præter alia, Bodenstenij etiam exemplum facit testatum. Et, quemadmodum Hercules, cùm è navi Argo æquatum missus esset, derelictus est à Jasone, & socijs in Colchidem aurei velleris gratiâ navigantibus, propterea quòd pondere suo navem nimis oneraret: aut multò potiùs ideò, quòd fortitudine suâ reliquorū gloriam offuscaturus videretur: Ita cùm nomen Carolostadij paulatim Lutheri gloriâ obscurius redderetur, cæpit, absente ipso, commodā inire viam, ut etiā sui aliqua haberetur ratio.

Anno igitur cIↃ IↃXXII. quo tempore Lutherus in Pathmo detinebatur, is Vitebergæ caput exeruit, diversaq; dogmata proposuit. Scholas tàm triviales, quàm superiores & omnem simul bonum ordinem, & statum summo conatu evertere studebat. Habebatq; facinorosorum operum participes collegas, & socios Gabrielem Didymum, & Magistrum Georgium Morum oppidanæ schola rectorem. Qui ducti Spiritu vertiginis publicè docebant, literarum studijs minimè incumbendum, satis esse Spiritum, & internum raptum sequi. Ad salutem consequendam non modò nihil conferre Scripturam, verùm etiam impedimento esse. Ridebant honesta eruditionis, & doctrinæ testimonia; Neminemq;, dicebant, posse bonâ conscientiâ magistrū, vel doctorem vocari, cùm Christus dicat: Nolite vocari Rabbi. Scholarcha M. Morus cives in cœmiterio ante scholā stantes hortabatur, domi liberos suos retinerēt, nec in scholam mitterēt eruditēdos.

Idem

Digitized by Google

Idem pro concione frater Gabriel & in prælectionibus Carolostadius in imperitum vulgus spargebant. Hinc factum, ut schola sit mutata in tabernam ad vendendos, & emendos panes: Carolostadius ostiatim circumeundo à Laicis difficilimorum dictorum intellectum petebat. Dicentibus verò ijs: Cur tu, Domine Doctor, hæc à nobis imperitis & illiteratis idiotis scisciteris, quos ipsemet instituere de hisce debebas? regerebat: An non audivistis quid Christus fecerit, Luc. 10? Confitcor, inquit, tibi, Pater Domine cœli & terræ, quòd abscondisti hæc à sapientib. & prudentibus, & revelasti ea parvulis. Etiam Pater, quoniam sic complacitum est coram te. Videtis etiam, ajebat, Apostolos, qui piscatores erãt, multò dexterius intellexisse, & interpretatos esse scripta Prophetarum, quàm Pharisæi. Quocirca vos sartores & sutores, vosq; reliqui plebei & rudes nobis doctoribus Biblia explicare tenemini. Quin & tumultuosè statuas & sanctorum simulachra è templis ejecit, concitatâ plebe. Lutherus autem hac de causa potissimùm revocatus à suis Vitebergam simul ac rediisset, factum istud Carolostadij seriò improbabat, demõstrans, non hoc ordine progrediendum, sed imagines primùm esse removendas ex animis, populumq; docendum, solâ fide nos placere Deo, statuis verò nihil proficì. Quod si fiat, nullum esse periculum de ijs, verùm sponte collapsuras: Non se quidem repugnare, quò minùs tollantur, sed hoc à magistratu fieri debere, non promiscuè ab omnibus.

Proinde cùm hoc temerario ausu parùm gloriæ sibi comparasset Carolostadius, siquidem plerique eum statuam, truncum, & stipitem dicebant, quasi qui cum statuis, & larvis luctaretur, & ἀνχε jugulare conaretur: à trito & populari Lutheri tramite paulatim deviare cœpit, cœlestesq; Prophetas visiones & peculiaria cum Deo colloquia simulantes, sectari. Qua de causa Saxonia Princeps finibus illi suis interdixit. Ipse verò libellis editis, LUTHERUM & collegas perstringebat, ut novos Romani Pontificis adulatores, quasi de missâ, de delictorum confessione, de statuis, & id genus alijs rebus,

Digitized by Google

rebus, malè docerent: Illa etiam Christi verba (Hoc est corpus meum) sic interpretabatur, quasi particula Hoc, non congrueret cum præcedente substantivo Panis, utpote, cùm Panis generis masculini, Hoc verò generis Neutrius esset.

Ideoq; Christum præter panem, & nudum Symbolum, amplius nihil distribuisse suis discipulis, neq; illos præter panem & vinum aliud quicquam percepisse, sed, aliquâ temporis morâ interiectâ, à Domino corpus suum digitis monstrante, dictum fuisse: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et hanc interpretationem ajebat se à viro quodam ignoto, nec anteà sibi viso, per quietem nocturnam didicisse, qui monuisset, post verbum, manducate, punctum esse, quo clauderetur sententia, novaq; sequeretur periodus, & hæc propositio (Hoc est corpus meum) à maiuscula & versali, ut vocant, litera inciperet, neq; cum præcedentibus: Accipite, comedite, &c. ullo modo cohæreret. Nec à Principe quidem abstinens, fortunam, & exilium suum odiosius exagitabat, ejusque rei culpam in Lutherum transferebat. At Lutherus gemino libro, cuius titulus est, contra cæleſtes Prophetas, prolixè respondit, & dogmata sua defendit, justamq; subesse causam ostendit, quamobrem pius Elector Carolostadium intra suos fines non pateretur.

Cumq; desertâ legitimâ vocatione & professione suâ, quam habuerat Viteberga Orlamundum Thuringiæ profugisset, ibiq; per astutiam invadens pastoratum, iconomachiâ & falsâ doctrinâ suâ novas dedisset turbas: ad compescendum insani hominis furorem, colloquij gratiâ Lutherus, jussu pijssimi Electoris Saxoniæ, primùm Jenam, deinde etiam Orlamundum profectus est. Verùm Antagonista Bodenstenius metuens lucem, subterfugium, uti solent, qui justâ destituuntur causâ, quærere cœpit, & perplexè, ambiguè, deditaquè operâ, quæ in rem non essent crocitavit, cùm contrà Lutherus apertè omnia ageret & candidè. Et quia hic lupus Luthero subinde scriptiones adversarias fuit comminatus, & graviter conquestus, eum obstare, quò minùs scripta sua typis publicis

Digitized by Google

imprimi, ac dividendi queant. Lutherus ne à scriptis Carolostadianis sibi metuere videretur, & animadverteret, errores ipsius clàm serpentes plus nocere posse Ecclesiæ, quàm si in lucem publicam protraherentur: coram Senatu Orlamundensi hypocritæ aureum nummum dedit, jussitq; eum audacter contra se scribere, Quod & ille facturum se multis, & sesquipedalibus verbis promisit.

Posteaquam verò anno Christi M D XXV seditiosorum rusticanorum exercitus prostrati essent, ac profligati, cùm & passim ad supplicia multi raperentur: Carolostadius in magnis positus angustijs, libellum confecit, quo se diligenter ac solicitè purgabat, & ab ijs, qui ipsum inter seditionis autores ponerent, injuriam sibi fieri, demonstrabat. Quin & scriptis literis orabat Lutherum, ut & hunc libellum in lucem edi permitteret, & suam innocentiam tueretur, ne indictâ causâ, & omni opinione citiùs vitæ ac bonorum discrimen sibi esset adeundũ immerenti. Lutherus editâ epistolâ, quæ extat 3. tomo Jenensi Germ. fol. 109, quamvis graviter à se dissentiret Carolostadius, quia tamen in his difficultatibus ad se confugeret potiùs, quàm ad alios, qui eundem contra se excitassent, nolle se spem illius, atq; fiduciam fallere, professus est; præsertim cùm hoc etiam proprium esset hominis Christiani, & omnia crederet dilectio. Rogavit igitur magistratum, & in universum omnes quandoquidem & crimen intentatum à se removeret & ulteriorem penitioremq; scisitationem non recusaret, & legitimo judicio parere vellet, ut hoc ipsi concederetur. Tum Carolostadius alterum misit Luthero libellum, quo pratendebat, se ea quæ de Cœnâ Domini scripsisset, non definiendi, sed disputandi, & veritatis eruendæ causâ proposuisse. Erat Lutherus sicut veritati Evangelicæ adversantibus asper: ita si quis ostensæ veritati cederet, idem placabilis. Ergò excusationem accipiebat, & Carolostadio, quem cœperat pœnitere delicti, gratiam reparabat apud quosdam, admonens tamen homines, quoniam ipsemet dubitare se testaretur, nec certum quid definiret, ut ab

eius

Digitized by Google

eius opinione sibi caverent, aut si fortè & ipsi dubitarent, sententia decreta tantisper suspenderent, donec quid certò statuendum esset, liquido appareret. Nam in ijs, quæ ad salutem scitu necessaria nobis credenda sint, minimè hærendum, aut vacillandum esse, verùm adeò certam cognitionem comparandam, ut potiùs cenori millies, quàm à sententia discedere, nihil recusemus.

Cùm autem nihilominus negligi se videret Carolostadius: & consilium & vitæ genus mutavit, desertâq; scholâ, ex Doctore factus est agricola; ex pastore Ecclesiæ pastor pecudum, Chembergæ. Imò & rejectis honorum titulis, neq; Dominus, neq; Doctor, sed frater Andreolus (Neibar Enders) à vulgo salutari gaudebat. Et ut major esset humilitatis persuasio, unà cum rusticis in sylvas ibat, ligna cædebat, eaquè in forum advehebat venalia. Vestitus homini fanatico rusticus erat planè, alti perones, penula subcinericia, cultro aurigarius ruptâ vaginâ promicans. Sic ornatus propolàm agebat, & omnis generis merces, vinum adustum, cerevisiam, pyra tosta, silices, sulphurata ligna, & similia populo vendebat. Hac animi dejectione, & extremâ humilitate magnum sperabat se nomen, magnam laudem consecuturum, usq; adeò delirantis ambitionis, & æmulationis flammis incensus, famæ siti urgebatur, & vertiginoso æstro agitabatur. Sed omnia attentabat frustrà, & viris doctis magis magisq; se irridendum exponebat.

Quare Tigurum profectus, sententiam cum Huldericho Cinglio contulit, qui tùm Ecclesiam istam regebat. Huic quidem arridebat Carolostadij inventum, quod institutionis verba non essent accipienda secundum literam. Veruntamen illud Hoc (uti ab ipso explicabatur) neutiquam approbabat. Et tamen inunda inter eos amicitiæ concordiæq; ratio inventa est. Susceptus igitur à Cinglio, & ad dignitatem novam evectus, ita ut & aratore Orator, ex rustico archidiaconus, ex fraterculo Dominus Doctor Andreas denuò esset factus, mirificè in concepta opinione profecit.

Digitized by Google

Etenim Tropologio Hoc, *in figuratum* Est *transmutato, tantum fidei & laudis emeruit, ut mox Basileam vocaretur ad suscipiendum illius Ecclesiæ regimen.*

Ex commemoratis igitur, omnium rectè judicantium testimonio, manifestum fiet, Andream Bodenstenium Carolostadinm in hisce regionibus & facem & tubam fuisse Sacramentarij illius, & funesti de Cœna Dominica belli, ab ipso non tàm sinceritatis & veritatis amore, aut pietatis & conscientiæ suasu, quàm odio adversus Lutherum *moti, quod per integrum fermè seculum hucusquè fuit agitatum, cuiusquè eventus & exitus nuspiam ullus apparet. Constabit etiam, Carolostadio ter proditæ religionis imputandum & sustinendum esse crimen: semel, cùm defectionem à* Luthero *moliretur, iterum cùm falsò pacem cum eodem iniret, ac denique cùm mysteriorum Sacramentalium derisoribus totum sese associaret.*

Utq; hæc asseveratio mea majorem apud vos, Domini fratres, mereatur fidem: non gravabor inserere hic, quæ Philippus Melanchthon (piæ memoriæ) ad Friedericum Myconium scripserit in præfatione libelli, quo veterum de cœna sententias collegit: Carolostadius, inquit, primum excitavit hunc tumultum (controversiam intelligit Sacramentariam) homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine consensu communi, quem nullum unquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animadvertimus: tantum abest, ut in eo significatio aliqua Spiritus sancti animadversa sit, imò extant manifesta signa impietatis. In tota doctrina sokebat τὰ ἀνθρώπινα σοφίζεσθαι, *damnabat omnes leges ab ethnicis conditas, contendebat in foro jus ex Mose dicendum esse, non intelligens vim & naturam Christianæ libertatis, totam illam fanaticam Anabaptistarum doctrinam statim initio* τοῦ πράγματος *amplectebatur, cùm cœpisset eam in Germania serere Nicolaus* Storck/ *& controversiam de Cœna Domini, tantum odio* Lutheri, *non aliquâ pietatis opinione movit. Etenim cùm* ἐκκλησιομαχία *ipsius à* Luthero *improbata esset,*

cœpit

Digitized by Google

cœpit iste inflammatus, immani cupiditate vindicta, quærere causam vendibilem, quâ Lutheri existimationem prorsus obrueret. Bona pars Germaniæ testari posset, nihil me in hac re fingere. Quanquam si testibus opus sit, libelli ipsius adversus autorem dicent certissimum testimonium. In his apparet hominem ne ratione quidem aliquâ in specie probabili motum esse ad scribendum. Quàm suaviter nugatur de demonstratione vocis Vero? Quod affert ad causam tantam Ecclesiæ veteris, aut ullius magni autoris testimonium? quæ vox est in tota disputatione, in qua sit aliqua pietatis significatio? tantum vociferatur, ut nunc solent homines Lovanienses inter pocula, qui nullis fabulis, nisi maximè profanis, delectantur.

Adhæc, magnam librorum partem consumit in convicijs, & homo insulsus studet etiam urbanitatis laudem auferre.

Qui tàm imparatus ad tantam causam accedit, is ostendit se aliquâ cæcâ cupiditate præcipitem ferri, non moveri ratione, aut studio pietatis. Atquè hic est huius fabulæ [illegible]. Verùm hæc de Carolostadio scripsi propter vicinos nostros, ut, si quid autoritatis est in nostro testimonio, admoniti caveant ab isto portento. Miras enim artes tenet, & mirè fucata officia, quibus se insinuat in hominum animos, tametsi naturam dissimulare non diu potest. Habet ingenium vehemens & inquietum, quare ambitionem & iracundiam citò prodit. Hactenus Melanchthon. Cuius verba non ideò recitantur quasi Carolostadianis erratis aut nævis inhiandi, ut muscis vulnera lambendi & contaminandi nobis aliqua esset voluptas, verùm ne aliorum pia studia, & rectè facta seu odio, sive ambitione ingenij ve morositate (quod fecit Carolostadius) calumniemur, propriam laudem quæramus, avideq; captemus, demonstratam veritatem ferinis affectibus tumultuosè infectantes, & machinationibus diabolicis supprimentes, aut alioquin ab illa deficientes, communemque tranquillitatem sceleratè turbantes.

Digitized by Google

De morte tandem Carolostadij scribunt ipsi concionatores Basilienses, quòd cùm satis diù Basileæ vixisset in perniciem Ecclesiæ eius, horâ mortis ingruente, sub ipsa novissima concione, quam habebat in templo comparuerit vir quidam oblongus, & ater, atq; ex opposito suggesti consistens proximum se consuli locaverit, sed mox templo egressus in domum Carolostadij se contulerit, ubi neminem reperit præter unicum filiolum, patri apprimè charum. Hunc apprehensum crinibus rapuit sublimem quasi terræ allisurus. Et tamen illæsum deponens, jussit nunciare patri, affuisse atrocem virum, qui ipsum quæsivisset, ac reversurum eundem post triduum, & secum esse abducturum.

Quare domum reversus, postquam ista comperisset à puero, & consulem interrogasset, quisnam vir ille longus esset, qui in templo ipsi astitisset. Hic autem, se neminem vidisse, affirmasset: primùm vehementer exterritus animoq; perculsus est, deinde præ mœrore in lectum sese conjecit, & tertio die, juxta vocem ex isto terribili nuncio auditam, è vita commigravit.

Quod restat nunc, fratres & collegæ optimi, dicendi finem facientes, ad hunc modum orabimus:

Regnator orbis inclute,
Qui nos jubes summâ lupos,
Tectos ovillo vellere,
Vitare diligentiâ.
His in diebus ultimis
Mentitus angelum Dei
Tumultuatur improbo
Satan furore percitus.
Verbi sacri claram facem
Prorsus doloq; & viribus
Extinguere, aut involvere
Cœcis studens erroribus.
Ah quot per emissarios
Operta melle toxica

Spargit

Digitized by Google

Spargit tuarumque inficit
Ovium tenella pascua.
Tu nos amans veri Deus
In veritatis tramitem
Deduc, ab hoc nunquam pede
Gressus vacillet lubrico.
Non falsa nos miracula,
Non dira nos pericula,
Non mille nos mortes queant,
A calle recti flectere.
Sacrum cruorem martyrum
Plenis bibentem faucibus
Babylonidem potens tui
Flamen per oris confice.
Cœlestis unà dogmatum
Vox omnium sit regula:
Hanc, hanc sequamur unicam
Opaca per Mundi ducem.
Sic post, per ærumnas graves,
Exacta vitæ tempora,
Nati tui cœlestibus
Letho fruemur gaudijs.

D I X I

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS IOHANNIS FORSTERI, Augustani, I. B. A.

NOtus est Ennij versiculus de priscis moribus conservandis,

Moribus antiquis res stat Romana virisque.

Idem axioma profecto in tuenda fama piorum Ecclesiastarũ, & praeconum verbi Divini nobis observandum venit, ut quemadmodũ in veteri Testamento Moysis, Aaronis, Pinehæ, Prophetarum, & aliorũ doctrinâ, & vitæ sanctimoniâ excellentium antistitum, virtutes & studia sunt annotata: ita post Apostolos & eorum discipulos nostro etiam seculo præstantium virorum, qui de Republica Christiana benè meriti sunt, acta ne vetustate intercidant, pereantvè, cavendum est sedulò. Illa enim ostendunt qualia fuerint religionum certamina, formant judicia, nosq; de Ecclesiæ periculis admonent, & discendi curam excuscitant. Cùm itaq; Reverendi, doctissimi, & clarissimi Domini fratres, vita & res gestæ Johannis Forsteri *quoq; exemplo nobis esse possint, quantâ doctrinæ copiâ & varietate, quantâ item vigilantiâ opus sit ijs, qui in dijudicatione controversiarum fidei, & gubernatione Ecclesiæ, in munere, inquam, omnium in terris maximo & difficilimo versantur, nunc historiam viri ejus præstantissimi paucis attingam, siquidem & ipse fuit organon Ecclesiæ Dei & Academiæ Vitebergensis, perutile ac salutare.*

Urbs est Germaniæ celeberrima, AUGUSTA, *ab* AUGUSTO *Cæsare,* VINDELICORUM, *à Vindæ & Lyci amnium confluentibus, nomen trahens, uti etymologiam eius expressit Ricardus Poeta:*

Respicit & latè fluvios, Vindamq; Lycumq;
Miscentes undas, & nomina littoris: unde

Anti-

Digitized by Google

Antiquam gentem, populumque urbemq; vocârunt
Vindelicam.

Hæc, templorum & ædificiorum copiâ atque splendore ornatissima, quia in loco sita est, mercibus importandis & exportandis, contrahendisquè negotiis, oportuno, opes & honores tantos consecuta est, ut nulli Germaniæ civitati potentiâ & famæ celebritate jam cederet. Remp. habet benè constitutam, scholam liberalibus studijs florentem, & bibliothecam omni autorum genere instructissimam. Religionem verò amplectitur ex parte Evangelicam, secundum Confessionis formulam, quæ Anno XXX. ibidem exhibita est CAROLO *V. Cæsari, in Panegyri seu congregatione imperiali omnium augustissima & frequentissima, à Principibus, Imperijq; ordinibus, & civitatibus quibusdam, utut frementibus, minas ignemq; spirantibus Pontificijs. In hac urbe natus est* JOHANNES FÖRSTERUS *pijs & honestis parentibus, dictam illam Confessionem Augustanam itidem complectentibus, Anno MCDXCV. Verùm quia,*

Non, ut in os Midæ formicæ grana tulerunt,
Ars sine longo usu corda supina petit:

Et, si quis putat, subitò sine doctrina & exercitatione effici virum doctum, sicut ajunt, Hesiodum pastorem accepto à Musis calamo Poëtam factum, is fallitur, & fallit: Forsterus noster ad sinceriorem Theologiam propagandam quasi natus, in juventute multùm sudavit & alsit, juxta Horatianum istud. Et simul ac prima literarum rudimenta in patria feliciter percepisset, multas Germaniæ Academias perlustravit, linguarum studio potissimùm ardens.

In Schola Bavarica, quæ est Ingolstadij, CAPNIONIS *auditor fuit, qui cùm in senectâ sua non, ut Laërtes, se in agro abdidisset, sed in Academiam vocatus à Duce Bavarico secessisset, maximoperè delectabatur studijs juniorum, & ut quisq; maximè cupidus erat discendi & plurima sciscitandi: ita illi maximâ comitate respondebat, & libros dabat utendos. Hunc suum præceptorem non*

Digitized by Google

minùs quàm proprium veneratus est, parentem, præceptis ejus parendo, tùm observando & admirando quæcunq; seu dixisset, seu fecisset. Quod solertissimus Capnio animadvertens, non solùm illum redamavit & diligentiùs docuit, sed etiam aliis amandum & promovendum commendavit. Cujus rei testes sunt literæ ad Förstерum datæ, quæ sic sonant: Dn. Johanni Fõrstero Augustano, Philosophiæ Magistro S. D. P. Iohan Reuchlin: Quàm molesta mihi res est, dilectissime vir, à tua & aliorum studiosissimorum auditorum meorum præsentia recedere! Cùm enim in tanta tàm Hebraicæ, quam Græcæ linguæ discipulorum frequentia assiduo studio indefessas mihi aures præbueris, tùm unus omnium in lingua Hebraica plurimùm sudasti, ut dignus mihi visus fueris, cui publici auditorij pulpitum concesserim.

Quare perge incumbendo bonis literis & doctrinæ à me prælectæ: sic enim in virum literatissimum & linguarum ornatissimum interpretem, DEO aspirante, cæteris commodo & utilitati, evades. Vale feliciter. Anglopoli dabantur III. Idus Aprilis Anno Domini MDXXI. Hactenus Capnio, cujus discipulum fuisse, diximus, Förstерum.

Posteà Lipsiæ audivit PETRUM MOSELLANUM, cujus oratio verè Xenophonteam redolebat suavitatem.

Porrò hunc in modum feliciter jactis fundamentis, felicissimè superstruxit, Theologiæ sedulam navans operam, usq; ad coronam, & laurum. Ejus namq; facultatis insignia Doctoralia illi sunt collata, commendatâ simul publicâ sanctæ linguæ professione Vitebergæ, ubi consederat, cùm variâ & duriore fortunâ satis diu conflictatus.

Anno MDLIV. ad Conventum Neopurgicum in Thuringia, maximè propter Borussicas rixas indictum, unà cum PHILIPPO MELANCHTHONE profectus, suo etiam calculo veritati astipulatus est, ut & in aliis congressibus doctorum virorum.

Posteaquam

Digitized by Google

Posteaquam verò annos octo in Academia Leucorea multùm profuisset discentibus interpretatione Prophetarum, & linguæ Hebraeæ propagatione. Ecclesiis autem vicinis consilio & inspectione, vidensq; studiosam juventutem Rabinorum scriptis nimiùm detineri; Sacræ linguæ studium multò facilius proposuit, Dictionarium Hebraicum conscribens ex ipsis thesauris Biblicis, & accuratâ locorum collatione, depromptum, cum phrasibus Scripturæ Veteris & Novi Testamenti diligenter annotatis, ac tàm in rebus, quàm in vocibus non rarò cæcutivisse Grammaticos Hebræos demonstravit, sicq; ad linguam sacram accuratiùs cognoscendam doctorum ingenia magnoperè exacuit.

Qua de causa etiam Reverendo viro, D. MARTINO LUTHERO, Germanicam Scripturæ Propheticæ & Apostolicæ molienti versionem, adhibitus est & ipse, ut de phrasi Hebraea judicaret, & in tàm utili opere sæpè ejus judicium Lutherus cæteris prætulit, ut in sententia dulcissima Hoseæ: Non faciam furorem iræ meæ: non prorsus delebo Ephraim. Quia Deus ego sum, non homo. In medio tui sanctus. Nec tamen intrabo in civitatem. Hic cùm alia multa monebat, tùm verò hac phrasi (nam intrabo in civitatem) propriè significari dicebat: Non servabo regnum politicum Ephraim, seu Samariæ. Et hanc emphasin esse in verbo intrandi, ex aliis locis ostendebat. Cumq; rectè sentiret de omnibus Christianæ doctrinæ articulis, & abhorreret ab omnibus seditiosis, & fanaticis opinionibus: verâ fide Deum invocabat, in agnitione & fiducia Mediatoris, & animi pietatem erga proximum omnibus honestis officiis declaravit. Vitâ castâ & sobriâ fuit, pacem publicam, & nostrarum Ecclesiarũ conjunctionem semper tueri summâ curâ studuit. Hujus rei testem oculatum nominamus nobilitate generis, sapientiâ & virtute excellentem virum, Dn. D. MELCHIOREM FASOLTUM, tum temporis Rectorem magnificum, cujus verba, quæ 3. tom. Intim. Viteb. p. 30. extant, retinuimus.

Prætulit Forsterus periculoso cœlibatui pium conjugium, du-

Digitized by Google

gens vitæ sociam, ex qua sustulit bona indolis, & ingenuos liberos, de quorum numero mihi nihil certi constat. Una filiarum (quemadmodum ex concione quadam funebri hausimus) nupsit Reverendo viro, M. BALTHASARI ANSERI Past. Oenensi & Superattendenti Seidensi. Altera filiarum MARGARIS, parvula jam literas norat, legebat historiam Evangelicam, & assiduè repetebat κατήχησιν Christianam. In hoc ætatis & piorum studiorum initio, ex hac ærumnosa vita, pridiè ante obitum parentis, evocata est. De reliquis, si qui fuerunt, natis non legi.

In conjugio & vita privata suas quoq; habuit ærumnas Forsterus, quas tamen æquo animo eum tulisse, affirmat suprà nominatus Fasoltus. Nisi, quòd morbum, quo periit, paterna sogyrì propter filiæ mortem ei attulisset graviorem, cùm & anteà duas filias nuptas amisisset. Adeò verum est, nullum malum esse solum. Pridiè igitur, (uti dixi) ante patris mortem filia ex hac lachrymarum valle discessit.

Pater postridiè octavâ nimirum Decembris die cùm sese & Ecclesiam domesticam, & publicam ardentissimis votis Filio Dei commendasset, & sub eodem tumulo exuvia amborum humatæ sunt, in templo Parochiali Vitebergensi, ad tertiam meridionalem pilam, & dextram MATTHIÆ à SCHULENBURG, Anno Domini 1556. XII. Decembris, ætatis LXI.

Orationem de vita ejus M. VALENTINUM SCHINDELERUM, Decanũ Collegij Philosophici, in promotione Magistrorum Anno 1586. habuisse dicit BALTHASAR MENZIUS Nimecensis in suis elogijs præcipuorum Doctorum Theologiæ in Academia Vitebergensi. Vtinam illam parentationem mihi communicarent boni viri, ut, meâ abrogatâ, hic eam inserere possem. Hac enim spe fretus aliquantò negligentiùs egi in hisce rebus inquirendis & describendis. Verùm enim verò ut nihilominus fulcrum quasi quoddam habeat, quo se interim sustentet mea sermocinatio-

nis

Digitized by Google

nis oſcitantia: Epitaphium recitabo, quod Förſtero fecit HENRICUS MÖLLERUS *Heſſius carmine Elegiaco:*

Hæc tegit exuvias Förſteri tumba Johannis,
Qui celebris ſacrâ Doctor in arte fuit.
Ediderant ipſum clari virtute parentes,
Quâ Lycus Auguſtæ mœnia celſa rigat.
Quorum conſilio Muſisque Deoque dicatus,
Ad tantum ſummo crevit honore virum.
Sed diſciplinas quamvis raperetur ad omnes,
Cùm puer inciperet Muſica caſtra ſequi:
Divino tamen ipſius mens numine tracta eſt,
Ut veri cuperet dogmata noſſe Dei.
Ergò Paleſtinę decus & myſteria lingvæ
Ipſi præ reliquis diſcere cura fuit.
Huic & Bojorum vigil in ditione vacavit,
Inſtructus monitis, Capnio docte, tuis.
Mox etiam ſtudiis aliquò progreſſus & annis,
Diſtribuit partas ipſe decenter opes.
Et fido monſtrans Ebræos indice fontes,
Ingenij laudem judicijque tulit.
Ut quoque, Teutonico vertens ſermone Lutherus
Biblia, Förſteri ſæpè ſit uſus ope.
Ipſum præterea cœleſtia verba docentem
Viderunt multis templa ſcholæque locis.
Quattuor & totidem confecit Cynthius annos,
Dum docet Albinæ clara Lycęa ſcholæ.
Explicuit nitidâ ſacros gravitate Prophetas
Interpres lingvæ, gens Solymæa, tuæ.
Et procul inſpiciens mores operasque docentum,
Et, ſpargi in populo dira venena, cavens.
Sæpiùs externas legatus abivit ad oras,
Multa ferens operæ tædia, multa viæ.

Digitized by Google

Quid loquar, arbitrio quàm disceptaverit æquo,
Si qua fuit sacro lis dirimenda foro?
Non auræ studio popularis bella movebat,
Purus & in niveo pectore candor erat.
Et casti mores semper sine labe fuerunt,
Castorum norat vota placere Deo.
Cùm præstans igitur Doctores vixerit inter,
Ingenij propter judicijque decus.
Officijsque bonis vitamque fidemque probârit,
Insigni cedens à pietate nihil.
Tradideritq; suam lingvaq; & mente salutem,
In Christi moriens agnitione, Deo:
Ergò favore Dei superas evectus in arces,
Doctorum sanctis assidet ipse choris.
Quodq; piis semper votis & mente cupivit,
Conspectu fruitur lætitiaque Dei.

Hactenus Möllerus.

Quòd restat, sic precemur: Ô CHRISTE, *Fili Dei, Domine & Salvator noster, qui propter nos homines, & salutem nostram descendisti de cælo, & homo factus es, passus, mortuus, & resuscitatus, esto nobis propitius, Ecclesiolasq; nostras tàm privatas, quàm publicas in puritate verbi tui serva, ut simus & maneamus vasa misericordiæ tuæ in omnem perennitatem.*

DIXI.

ORATIO.

Digitized by Google

ORATIO,

De vita Reverendi Viri,

DN. IOHANNIS BVGENHAGII POMERANI, THEOL. D. ET PASTORIS Ecclesiæ Vitebergensis, à Petro Vincentio Vratislaviensi, Decano collegij Philosophici habita.

GRatias ago Deo, æterno Patri Domini nostri Jesu Christi, Creatori cæli & terræ, & Angelorum & hominum, una cum Filio suo coæterno, & Spiritu sancto, quod clementer nos servat & protegit, & præbet doctrinarum lumen. Et toto pectore eum oro, ut semper inter nos sibi æternam Ecclesiam colligat, & protegat, & gubernet nos, ut salutaria doceamus, & discamus, nec fingamus, aut stabiliamus ullas pernicioſas opiniones. Ad hanc meam orationem & vestra adjungite, & petite, ut Filius Dei summus Sacerdos noster sit προσδοτης, perferens nostram precationem ad æternum Patrem.

Rectè autem institutum est, ut in his congressibus oratio habeatur, vel de aliqua parte doctrinarum, vel de exemplis cognitione dignis. Cum igitur de argumento deliberarem, & in hoc recenti luctu adhuc imago Reverendi viri, JOHANNIS BVGENHAGII, Pastoris Ecclesiæ nostræ oculis & mentibus nostris obversetur, non aliud argumentum anteferendum ipsius historiæ censui, quæ & de doctrina juniores multa monet, & exempla continet vitæ utilia. Cumq; in hanc ætatem inciderit mutatio Ecclesiarum insignis, plurimum refert posteritatis, scire quales fuerint, qui doctrinam emendarunt, & initio propagaverunt, & quorũ Principum & gubernatorum studiis adjuti sint, ne cæco multitudinis impetu recepta doctrina putetur. Extant fragmenta certaminum veteris Eccle-

siæ,

Digitized by Google

sia, quæ etsi sunt exigua, tamen de multis magnis rebus confirmant pios. Vt apud Irenæum & Tertullianum, qui antecesserunt Synodum Nicenam ferè ducentos annos, leguntur illustria testimonia περὶ λόγου. Apud Clementem refutatio est illorum, qui conjugium prohibuerunt, & sunt insertæ dulcissimæ narrationes. De recipiendis lapsis redeuntibus ad pœnitentiam, confirmamur testimonio Petri Alexandrini, qui Meletio adversatus est. Ac optarim majore curâ eruditorum & piorum historias, præsertim eas in quibus certamina doctrinæ narrata sunt, conservatas esse. Has legi multò utilius esset, quàm recentium Pontificum consilia, qui ut suam tyrannidem stabilirent bella moverunt, quæ in Italia & Germania magnas vastationes fecerunt. Nobis verò in Academiis præcipuè curæ est, posteris tradere doctrinæ testimonia in historiis eruditorum & piorum qui Ecclesias & studia gubernaverunt.

Quare de vita nostri Pastoris hanc narrationem bonâ fide collegi, quam piis gratam & posteris utilem fore judico.

Etsi autem Basilius inquit, de sanctis non opus esse commemoratione patriæ, quia una sit communis patria, omnium nobilissima, Ecclesia: tamen sciri prodest majorum disciplinam, ex quibus quisq; natus est. Primùm igitur de patria nostri Pastoris dicendum est.

In littore Germanico ad Oceanum Arctoum, indè usq; à flumine Vistula, quod notum est, versus occasum ad urbem Sundium longa regio est, quæ nunc Pomeraniæ nomen habet, ferè mediam influit Viadrus, quæ multis rebus ad vitam necessariis ita abundat, ut aliis gentibus multis frumenta, pecudes & pisces vendat. Quare & magnis & opulentis urbibus ornata est, in quibus nisi leges honestæ severè defenderentur, multitudo tranquilla esse non posset, nec commercia cum peregrinis esse possent.

Principes igitur & Magistratus justitiam constanter tuentur. Et cùm sint Ecclesiæ ibi Dei beneficio rectè constitutæ, amantur etiam cæteræ virtutes, vera Dei invocatio, conjugiorum fides & modestia. Sunt ibi & doctrinarum studia. Est verò & in ea regione magna frequentia

Digitized by Google

quentia Nobilitatis, in qua multi nunc quoq; usu militiæ clari sunt, multi virtute & opibus ornati, domi consilia publica regunt.

Nec in ulla parte Germaniæ plures ex Equestri ordine doctrinas intelligunt, quàm ibi. Fuisse eam regionem olim gentis Svevicæ sedem ex Cornelio Tacito intelligi potest. Est autem & Svevica gens, ut Dai & Saca, quibus vicina fuit, ex Asia ad hoc littus paulatim progressa. Fuerunt enim in Asia Svevi, unde sunt Svedi, Sviones & Svevi. Permixti his & Heneti fuerunt, qui magnam oram in eo littore compleverunt, & adhuc tenent.

Horum pars Sidini fuerunt, à quibus Stetini appellatio reliqua est. Non procul à Stetino oppido est Iulinum, ubi influit Viadrus in lacum, qui effunditur in Oceanum, & portus est commodissimus.

Quare ibi propter mercatum fuisse olim, ajunt, amplam urbem, quam Venetam nominant, & ruinæ adhuc cernuntur. Nec miror id nomen ibi celebre fuisse, cùm certissimum sit, ibi Henetos & fuisse & esse. In eo oppido Julio natus est Johannes Bugenhagius in familia honesta & senatoria, die Junij 24. Anni 1485. Anno ante Maximiliani coronationem. Et natura robur significat conjunctio Saturni & Jovis in Scorpio. Simul autem & domesticâ disciplinâ & Scholæ consuetudine Bugenhagius in pueritia ad Christianam κατήχησιν assuefactus est, & cùm Grammaticem & Musicen didicisset, in Academiam Gryphiswaldensem missus est. Ibi & tyrocinium linguæ Latinæ melius habuit, & Dialecticen, & elementa Physices didicit.

Erat natura non solùm capax doctrinæ, sed etiam avida, & accendebant aviditatem tempora, quia jam Hegij Daventriensis, & Rodolphi Agricolæ, & Hermanni Buschij scriptis taxata erant solœca priorum temporum, & revocabatur juventus ad diligentiam rectiùs loquendi. Semina etiam Græcæ linguæ spargebantur. Hæc velut aurora doctrinarum bonis ingeniis jucundissima erat. Flagrabat igitur adolescens studio discendi, & cupidè legebat veteres linguæ

Digitized by Google

Latina Scriptores, & se inscribenda soluta oratione, & in componendo carmine exercebat. Cùm jam vicesimum attigisset, in oppido Trepta docere juventutem cœpit: ubi quia lingvæ Latinæ exercitia meliora erant, quàm in aliis scholis, fama frequentiam scholæ ipsius augebat. Cùm autem adolescens studiosè didicisset elementa doctrinæ Christianæ, quantùm tunc potuit, & haberet initia earum virtutum, quas Filius Dei voce Evangelij & Spiritu S. accendit, libenter & assiduè legit scripta prophetica & Apostolica, & adhibuit ennarrationes Hieronymi & Augustini, & miscebat precationem, quâ se doceri & gubernari petebat, & verâ pietate Deum colebat. Accesserunt & Erasmi lucubrationes, quæ taxant Monachorum histrionicam & statuarum adorationes similes Ethnicis. Cùm igitur fontes legeret, & veritatem quæreret, non fuit labor irritus. Fugiens illa tetra spectacula invocationis hominum mortuorum, regulam toto pectore amplexus est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies. Et intellexit, Deum non velle coli histrionicâ externorum gestuum, sed ijs virtutibus, de quibus ipse inquit: In præceptis meis ambulate. Ut igitur & auditores ad veram pietatem flecteret, enarrare Matthæum, & Epistolam ad Timoth. & Psalmos in Scholis cœpit, & κατήχησιν juventuti tradidit, in qua Symboli & decem præceptorum enarratio erat, in qua monstrabantur veri cultus Dei, & exempla Ethnicorum similia taxabantur, ac docendo proficiebat ipse. Adeò grata pijs hæc in scholis lectio fuit, ut ad eam audiendam accederent & cives & sacrificuli, & Monachi, qui non erant ἄθεοι. Et quanquam Pastor non erat, sed tantum scholæ præerat, fuerunt tamen ei hortatores amici, ut in templo concionaretur, quod ut facere posset, usitato more Collegio Presbyterorum adjunctus est. Pij ejus concionibus & lætabantur, & meliores fiebant. Et fama doctrinæ ipsius, cùm ab auditoribus, tùm ab aliis latè spargebatur. Et quia multos habebat auditores adolescentes, natos ex Equestri ordine, expetebatur ejus familiaritas à nobilibus, ac præcipuè ab eruditis, cum quibus, cùm aliàs de Ecclesia, aliàs de patria sæpè colloqueretur, hortantur eum plerique, ad colligendam

patriæ

Digitized by Google

patria historiam, quam ad rem cùm & sumptibus, & mandatu Principis opus esset, aulici rem ad Principem Bugulaum referunt, qui cùm audiret eruditionem & virtutem viri praedicari, & historiam Patriae sibi & filiis & Consiliariis notiorem esse vellet, & naturâ munificus esset, consilium probat, dat mandata, ut monumenta vetera in aula inspiciantur: jubet ipsum Bugenhagium in Collegiis & Monasteriis quaerere historias & inspicere literas, & sumptibus eum instruit, qua in re cùm biennium insumeret, seriem Principum, bella, Ecclesiarum constitutiones ordine & prudenter descripsit. Liber adhuc in aula custoditur, & cùm à Principibus, tùm à Consiliariis saepè legitur. Nec diligentiam tantùm & fidem probant hi, qui legerunt, sed etiam formam operis & orationem.

Circa id tempus & Reverendi viri Martini Lutheri certamina mota sunt, quorum fama statim universam Germaniam pervagata est. Erat, ut scitis, πρώτη ὑπόθεσις de Indulgentiis, ingrata Monachis & aulae Romanae. Sed quia fontes doctrinae de verâ Paenitentia, seu conversione, & salutares consolationes monstrabat, omnibus piis in universa Germania, gratissima. Crescente igitur certamine, doctrina Ecclesiae paulatim magis illustrata est. Legit scripta Lutheri Bugenhagius, & vidit ibi perspicuum discrimen ostendi Legis & Evangelij, vidit justiciam fidei meliùs exponi, quàm ab Origene, vel à Thoma exposita est: videt congruere Augustinum & Lutheri sententias, ac re tantâ consideratâ, Lutheri enarrationẽ probat, deinde & hanc consolationem populo copiosiùs declarat, & in doctrina Paenitentia tenebras Ecclesiae sapiùs deplorat, & deliramenta Monachorum liberiùs taxat.

Ibi artificiis Hypocritarum quorundam Principis animus à Deo fit alienior. Quare de migratione ex Patria deliberat, praesertim cùm audire Lutherum coràm & familiariter eum sciscitari quaedam velle. Invitabatur etiam literis Petri Svavenij, cujus erat excellens eruditio & qui judicabat multùm ei profuturam esse Lutheri familiaritatem. Venit igitur, Deo haec consilia gubernante, Iohan. Bugenhagius Vitebergam An. 1521. paulò ante iter Lutheri ad conventum Imperatoris

Digitized by Google

toris Caroli V. qui eo tempore fuit in urbe Vangionum. Addebat jam in viro docto & non rudi ætas judicij gravitatem. Agebat enim annum quartum & trigesimum. De multis igitur doctrinæ membris cum Luthero colloquitur. Posteà Lutherus rediens ex conventu, abducitur in suam Pathmon; & circiter biennium hinc abest.

Interea ducit uxorem vir honestus & doctus, (Bartholomæus Bernhardus Feldkirchius,) Pastor Ecclesiæ Kembergensis, qui cùm jussus esset causas exponere, cur nec Pontificiâ lege, nec voto impediantur conjugia divinitùs probata, magnæ hic disputationes ortæ sunt: An tantùm Pontificiâ legum conjugium sacerdotibus ademptùm sit? An accedat votum? An votum Monachorum sit majùs vinculum? Consulitur Lutherus absens, qui mox propositiones de voto, & deinde librum, qui extat, mittit: in quo, ut Alexander Gordium nodum dissecat, ita laqueos & legum impiarum, votorum impiorum unâ machærâ discidit. Erant tunc convictores D. Philippi, Petrus Svavenius & Bugenhagius. Cùm igitur in cœna Propositiones Lutheri Philippus accepisset, legit & relegit attentè Propositiones Bugenhagius, & cùm aliquandiu tacitus magnitudinem rei cogitaret, tandem inquit: Hæc res mutationem publici status efficiet. Doctrina ante has propositiones tradita non mutasset publicum statũ. Hæc sunt initia liberationis Monachorum verè recitata.

Posteà Carolostadius, ne tantùm videretur Lutheri miles, aut ἀκτεσεγνωσιὲ, propria bella movit, alterum de statuis tollendis, alterum de legibus Moysi in forum recipiendis. Ac statuas privati quidam sediosè ex templo tollebant. Quia verò aberat Lutherus multorum animi clamoribus Carolostadij turbabantur. Sed adversabatur ei graviter Bugenhagius, & seditiosas statuarum eversiones improbavit, & de judiciis & legibus Romanis eruditè ostendit, non oportere nostras Politias transformari in Judaicam. Hæ controversiæ cùm agitarentur, redit hùc Lutherus, ut dissidia tolleret, & tranquillitatem hujus Ecclesiæ restitueret. Hoc tempore Bugenhagius Psalterium enarravit, & juventutem utiliter docuit, & de tuenda concor-

Digitized by Google

concordia & pace hujus Ecclesiæ, moderationem & constantiam eximiam præstitit. Quare aliquantò pòst, consentientibus suffragiis Senatus Academiæ & Senatus oppidi, factus est Pastor Ecclesiæ Vitebergensis, quam, Deo juvante, piè & feliciter, in magna varietate temporum, gubernavit, annos sex & triginta. Nec à sua statione discessit propter pestilentiam & bella. Cumq; ad magnas opes & Episcopi splendorem in Daniam & in Pomeraniam, & quidem ab optimo Rege, & ab optimo Principe vocaretur, nunquam voluit hunc tenuẽ nidulum relinquere. Ac sæpè dicentem audivimus, intelligere se, quãtum onus sit qualibet Academia, quia inde difficilimarum cõtroversiarum dijudicatio petitur, & liberum est dicere sententiam cuilibet, etiam ingratam alteri, se posse habere opes & ocium, si sit alibi, & tenere talem locum, in quo suis sententiis non facilè alij adversentur. Sed tamen se ab Academia non discessurum esse, quia non dubitet, hanc vocationem, ad solius Ministerij Evangelici labores & pericula factam, divinã esse, nec se alibi voluptates & opes quæsiturũ esse. Nec se amare tyrannides, sed æquabilem ἰσονομίαν, præsertim in qua possit fieri collatio judiciorum cum bonis & doctis viris.

Nec tamen defuit aliis gentibus: sed, ut olim nominabantur Evangelistæ, qui in pluribus locis docebant, & Ecclesias constituebant, talis & ipse fuit Evangelista, vocatus Lubecam, Brunsvigam, Hamburgam, in Pomeraniam, & in Regnum Danicum, incorruptum Evangelij doctrinam ibi docuit, delevit idola & errores Papisticos, &, Deo juvante, Ecclesias piè constituit, quæ quidem annos circiter triginta hactenus eandem Evangelij vocem pio consensu retinent.

Legimus ab Othone Bambergensi initiò constitutas esse Ecclesias Pomeranicas, quem constat fuisse virum nobilem, comitem Andecensem, ex familia Ducum Meraniæ, qui tenuerunt Voitlandiam, & cognatum Hedvigis Sleſiacæ, & Elisabethæ Thuringicæ. Non constat quid docuerit, quod quidem maximè fieri oportebat, sed quod sit doctrinæ genus, quod unum & incorruptum in omnibus locis tradidit Pastor Ecclesiæ nostræ Iohann. Bugenhagius, notũ est & ex illius scri-

Digitized by Google

ptis, & ex monumentis illarum Ecclesiarum, quarum fuit auctor, in quibus omnibus expresse hoc affirmat, se amplecti confessionem à Duce Saxoniæ Electore exhibitam Imperatori CAROLO in conventu Augustano, Anni 1530. Hoc totum doctrinæ genus notum est ex Confessione, quæ extat, & (Deo juvante) ad omnem posteritatem perventura est. Non instituo collationes, ut fit in declamationibus, magnum decus est in bonis principibus, honestam formam politiæ, leges & judicia reddere urbibus, ut multi honesti victores fecerunt. Aliud quiddam est, & majus Dei beneficium est, Ecclesias rectè constitui, in quo beneficio cùm Bugenhagius fidele organum fuerit Dei, magnum id decus esse, & gratitudinem ei sempiternam deberi manifestum est. Prodest & hoc testimonium de ejus moribus posteritati, quòd sciet, talis viri vocem hanc doctrinam fuisse, cujus mores probati fuerint optimis Regibus Danicis, FRIDERICO & CHRISTIANO & optimis Principibus Ducibus Pomeraniæ, & tot urbium Senatoribus sapientiâ & virtute præstantibus, qui nisi mores hujus viri justos, & castos esse scivissent, non expetivissent eum, nec ad se, & ad suos vocassent. Cumq; res difficilimæ sint, constituere Ecclesias, refutare adversarios, non abduci ab officio, ambitione, iracundia, cupiditate vindictæ, aut pecuniæ, nemo sine auxilio Dei tantas difficultates superare potest. Fuit autem cursus Pastoris nostri sine labe & felix. Quare divinitùs gubernatum esse, fatendum est. Illustre testimonium de ejus moribus & hoc est, quòd Rex Danicus Christianus, & Regina Danica, cùm quidem excellant pietate, justitiâ, castitate, & omnib⁹ virtutibus, voluerint ab eo in precatione publica coronari, ad quam neminem certè adhibituri erant, nisi quem iudicassent Deum rectè secum invocare, & ardentibus votis salutem Regno petere, & habere castam mentem, & castas manus. Hactenus brevissimè dixi de cursu Pastoris nostri, qui fuit & vitæ ipsius, & hujus nostri seculi velut Aurea ætas, cùm videlicet ante bellum Caroli Germanicum Ecclesiæ florucrunt, & tranquillæ fuerunt. Secuta est deinde ferrea ætas, in qua multæ confusiones & Principum & Theologorum bellis ortæ sunt. In his captivitas Principum, hujus oppidi obsidio, & cætera belli mala ingentem dolorem

vire

Digitized by Google

viro optimo in hac Senecta attulerunt, ut Prophetæ Jeremiæ, clades & mors optimi Regis Iosiæ. Nec tamẽ ita fractus est animo, ut aut fugeret, aut quidquã in Ecclesia mutaret, sed erexit se assiduâ precatione, & hac consolatione mœstitiam leniit, quòd vidit tamen inter tãtos fluctus Cymbam Christi mirabiliter à Deo servari, cui sit laus & gratiarũ actio. Deinde moto dissidio Flacico, fuit in dolore nõ tàm suâ causâ, quàm propter Ecclesiam. Conscientia n. ipsius non erat sauciata, & impudenter sparserant quidã manifesta mendacia, quæ sciebat refutari tempore. Nam neq; in bello, neq; postea vocẽ doctrinæ, nec ullum in Ecclesia ritum mutavit. Et quanquam ad alitũ Dominum hæc regio translata est, tamen semper voluit manere eandem Ecclesiam, & sæpè dixit: Date Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ sunt Cæsaris. Verumq; n. constanter præstitit, fuit alienissimus à sediosis consiliis, & in retinenda doctrinæ puritate firmus. Itaq; ut de Severo Imperatore scriptũ est, fuisse eum intentum in ea, quæ agenda erant, & neglexisse populi fabellas, ἐπιμελῆ ἦ τῶν πρακτέων, ἀμελῆ τῶν περὶ αὐτὸν λογοποιουμένων, sic ipse cùm illæ sycophantiæ spargerentur: propter eas tamen necessarios labores non omisit. Sed Ecclesiæ causâ doluit, accendi odia & discordias de maioribus rebus, cùm quidẽ astutissimus signifer istius tribunitij agminis sciat, nobis coniunctione opus esse adversus communes hostes, & esse alias graviores controversias, de quibus nos placidè deliberare oportebat, ut posteris testimonia non ambigua relinqueremus. Sed hos dolores Pastori etiã precatio & bonæ spes leniebant, ac sæpè dictum Psalmi repetebat: Commenda Deo viam tuam, & spera in eum, & ipse faciet. Non opus est de domestica ejus vita prolixè dicere, quæ nisi fuisset honestissima, ut antè dixi, non fuisset vocatus ad Ecclesias cõstituendas à tot sapientibus & piis Principibus & Gubernatoribus. Hoc addam de gradu.

Cùm juxta Academiæ consvetudinem Casparum Crucigerum oporteret petere gradum Doctorum, & inclytæ urbis Hamburgæ Senatus hùc misisset Reverendũ virum, Iohannem Æpinum, ut & ipse gradum peteret, aderat hic Dux Sax. Elector JOH. FRIDERICUS, cũ illustrissi-

Digitized by Google

illustrissima conjuge, qui cùm audivisset testimonium publicum Caspar. & Æpino tribuendum esse, voluit, ut his Pastor adjungeretur, & addidit, se & disputationem & renunciationẽ auditurum esse, & levaturum eos sumptu. Etsi Pastor excusationem senectæ afferebat, tamẽ, quia verecundius erat in re tali non diu refragari, ait, se obtemperaturum esse. Postridiè venit ad disputationem Princeps cum præcipuis Consiliariis, & studiosè audit Lutheri, Crucigeri, Pastoris & Æpini responsiones, de Iustitia, de Ecclesia, de discrimine ministerij Evangelici, & potestatis politicæ, in qua materia diserte voluit explicari, cur, cùm violans politicæ potestatis edicta, peccet, non etiam peccet violans Ecclesiasticam traditionem factam à pio pastore. Fuitq; ei pergrata nostri Pastoris oratio, qui dicebat: armatam esse potestatem politicam authoritate condendi proprias leges, non pugnantes cũ Decalogo, & de his traditum est severissimum præceptum: Necesse est obedire propter conscientiam, sed Pastoribus expresse prohiberi, cõdere proprias leges. Sic enim dicitur, Nemo vos arguat in cibo, potu &c. nec posse hanc libertatem ullius creaturæ authoritate tolli. Et, ut in amplissima quæstione, multa de dignitate politicæ potestatis, & Evangelici ministerij dicta sunt.

Querela etiam addita est, in qua narrabatur, citò in Ecclesiam irrepsisse superstitiosas opiniones, quæ finxerint humana exercitia esse eximios cultus, quæ tunc quoq; à sanioribus taxata sunt, ut Athanasius superstitiones reprehendit, inquiens: καλὸν ἡ ἄσκησις μετ' ἀληθοῦς γνώσεως & συμμετρίας. Vult intelligi exercitia non esse justitiã, aut cultus, & vult moderata esse. Hæc cùm exposita essent, Princeps ipse gravissimè dixit, se Deo gratias agere, quod hæc discrimina perspicuè in Ecclesiis nostris illustrata extent, & Dei præsentia in utroq; gradu à piis agnoscatur & celebretur. Manifesta enim testimonia de Deo, & de providentia, sunt ipsa lex in mentibus hominum lucens, & miranda conservatio societatis humanæ, in tàm horrendis cõfusionibus, & imperiorum constitutio in tantis impedimentis. Quid enim mirabilius est, quàm Romam inter assidua tribunitia certamina stare posse. Bonis

viris

Digitized by Google

viris ad posteritatem virtutis testimonium est, cùm à bonis Principibus ornantur. Ipsis verò Principibus multò magis honorificum est, intelligere & amare doctrinas, & earum studia excitare & juvare.

Fuit autem & postremus vitæ Pastoris nostri actus, Dei beneficio, placidus. Cùm ita languefacta essent vires postremo anno, ut concionandi laborem sustinere non posset, venit tamen quotidiè in templum, & piâ precatione Ecclesiam, & sese, & nos Deo commendabat: veniebat etiam ad necessarias deliberationes. Tandem mense Aprili decumbens, sine magno cruciatu, quotidiè precationes repetivit.

Sapè etiam suaviter cum amicis de spe salutis æternæ, & de posteritate collocutus est. Vigor mentis adeò fuit integer, ut octiduo ante mortem Doctorem Tilemannum Heshusium, Heydelbergâ redeuntem, mox agnosceret, & lætus gratularetur ei reditum, & scisciteretur, an in Academiam Heydelbergensem migraturus esset, & ei fausta precaretur. Postea die 20. Aprilis (Anno Christi 1558. ætatis 73.) cùm se quotidiè Filio Dei Domino nostro Jesu Christo commendasset, placidè ex hac mortali vita decessit.

Nec dubitandum est, esse eum in numero illorum, de quibus scriptum est: Beati mortui, qui in Domino moriuntur. Querelas igitur funebres omitto, ac potius oro Filium Dei, sedentem ad dexteram æterni Patris, ac dona dantem hominibus, Pastores & Doctores, ut rursus Ecclesiæ nostræ Pastorem tribuat salutarem, & nos omnes clementer gubernet.

Hanc verò narrationem volo testimonium esse de nostra erga ipsum reverentia, & Deo gratias agimus, quòd huic Ecclesiæ tàm fidum Pastorem his turbulentis temporibus tribuit: juventuti etiam eius memoriam tradimus, ut in eius cursu præsentiam Dei consideret, & agnoscat pios à Deo juvari: imitetur etiam diligentiam ipsius in regendis moribus. Proderunt & libri ipsius legentibus, quorum lectio bonis non eò tantùm grata erit, quia multa obscura dicta

Digitized by Google

enarrant, sed etiam quia diligentia in quærenda nativa sententia, ostendit amorem veritatis in eo fuisse eximium. DIXI.

ORATIO
HABITA IN FUNERE
DN. PHILIPPI MELANCHTHONIS,
à VITO WINSHEMIO, ARTIS MEDICÆ
Doctore, die 21. Aprilis, Anno Christi 1560.
Vitebergæ.

REverendi & Clarissimi Viri, doctrinâ, virtute & fide præstantes, patroni & Collegæ colendi, vosq; optimi auditores: Non est, ut jam à me expectetis orationem studio aut meditatione aliquâ elaboratam, qualem hic locus & argumenti dignitas requirebat. Neq; enim in tanto hoc publico luctu, & meo acerbissimo dolore, addicendum afferre possum eam animi præsentiam, & spiritus atq; hæc ipsa vox testis, pietatis, observantiæ & gratitudinis nostræ erga pientissimum & optimum Præceptorem, lachrymis & mœrore impeditur atq; interclauditur:

Res verò ipsa, hoc est, pietas, doctrina & virtus Reverendi Præceptoris, de quibus hoc tempore dicendum erat, non mediocrem dicendi facultatem, sed vim & flumen orationis uberrimum postulant, à quo me quàm longissimè abesse, sentio.

Audietis igitur in præsentia, non orationem vel huic loco, vel auribus vestris, vel magnitudini huius argumenti convenientem, sed miseras tantùm, concisas, & malè cohærentes querelas, quales animi luctu & dolore perturbati, temerè solent effundere, quibus, ne

vobis

Digitized by Google

vobis vi mium molestus fuit, moderabor ipse mihi, & breviter tantùm summa quædam capita rerum percurram, cætera si vivam, fortasse alio tempore paulò uberius tractaturus.

Etsi, ut dixi, intelligo me, & propter ingenij tenuitatem & orationis inopiam, huic argumento pro dignitate tractando, longè imparem esse, tamen vel doctrina & virtus huius viri, vel ipsius non tantùm erga Germaniam nostram, sed totum Christianum orbem merita, & præcipuè erga harum regionum Ecclesias, & hanc scholam, & seorsum erga me beneficia, vocem mihi exprimunt, ut his saltem lugubribus querelis optimi Præceptoris manibus parentem, quibus & ingentia bona, quæ interitu huius viri amittimus, & Ecclesiarum schola, ac nostram orbitatem, deplorem.

Nam si & de pœnis divinis, quæ, cùm tales viri ex hac vita evocantur, imminent, & impendentibus nobis miseris dicendum foret, magis etiam animo frangerer, & velut sub immodico onere victus, succumberem.

De vita Reverendi & optimi Præceptoris, pauca quædam, quantum per lachrymas potero, dicam, ubi, ut res ipsa postulabit, etiam de doctrina ipsius aliqua erunt inserenda. Deinde & de felici ipsius ex huius vitæ miserijs transitu, in æternam sanctorum sedem, aliqua adijciam.

Natus est PHILIPPUS MELANCHTHON anno 1497. die Februarij 16. horâ septimâ vespertinâ, in oppido BRETTA, quod pertinet ad ditionem Principum Palatinorum Rheni in domo & familia honesta, Pater ipsius Georgius Schwarzerdt, natus Heidelbergæ, fuit Magister armorum apud Principes Palatinos Philippū & Rupertum, & propter eximiam prudentiam, artem, fidem ac virtutem carus MAXIMILIANO Imperatori & multis Principibus atque Comitibus, fuit vir pius, & penè usquè ad superstitionem religiosus, singulis noctibus horâ duodecimâ consuevit è lecto surgere, ad usitatarum precum recitationem, liberos & familiam magno studio & curâ regebat, & hoc unicè operam dabat,

Digitized by Google

ut tota domus piè & honestè viveret. Deniq; civis erat Principibus, Reipublicæ ac Patriæ utilis. Mater BARBARA *Matrona fuit honestissima, singulari sapientiâ & morum gravitate prædita.*

Ex talibus Parentibus natus, & ab his tàm sanctè educatus fuit Philippus, ut non sit mirum in tantum eum virum postea evasisse. Verè enim dictum est à veteri Poeta.

ἀνὴρ ἀνέρων παιδεύσει τὰ λώϊα, θυγατὴρ δὲ οὔ.

Res fuit illis non tennis, sed quæ propè mediocritatem superaret, eam sustentabat & augebat præcipuè Benedictio divina, ipsorum sobria & honesta frugalitas, & in agricultura industria & vigilantia.

Et vivit adhuc, superstes Philippo, GEORGIUS *frater in domo Paterna, honestiss. ac præcipuæ authoritatis in Palatinatu. Patrem Philippus amisit anno à nato Christo 1508. die 29. mensis Septembris ipse natus jam annos 12. Avum maternum in quo fuit excellens & verè senilis prudentia, gravitas, & integritas coniuncta cum authoritate summa, amisit ante Patrem diebus undecim. Huic, Patre occupato negocijs Principum, præcipuè educatio & institutio Philippi curæ fuit. Quare cùm in eo admodum puero evidentiora quàm pro ætate, rara atq; excellentis indolis indicia inesse animadverteret, quàm primùm per ætatē literas discere potuit, cum in schola Patriæ publica erudiri curat.*

Inde posteà abductum propter contagij cuiusdam metum, quo schola gubernatorem infectum esse compererat, domestico Præceptori formandum tradit, is erat JOHANNES VNGARUS, *qui posteà sub ingravescentem ætatem verbi divini Concionator factus est in oppido Marchionatus Badensis, cui est nomen à Porta Hercinia, vixitq; usquè ad annum à nato* CHRISTO *ex Maria virgine 1553 quo anno mortuus est. Conservavit huius viri memoriam Philippus donec vixit, singulari cum pietate & veneratione.*

Fuit eo tempore celebris schola in oppido Portæ Herciniæ, quam guberna-

Digitized by Google

gubernavit GEORGIUS SIMLERUS Wimpinensis, cuius integritas, virtus & in docenda juventute assiduitas ac fides, tùm præ cæteris per eam Germaniæ oram prædicabatur. In eam scholam Philippus missus, apud Sororem Doctoris JOHANNIS CAPNIONIS cognatam suam collocatur. Collegam habuit Simlerus quendam Johannem Hillebrandum, qui præter publicorum in schola studiorum operas, privata quædam cum quibusdam habuit exercitia, in lingua utraq; Latina & Græca. Hoc Magistro & Præceptore primùm Philippus elementa Græcæ linguæ degustavit. Utrumq; ut alterum Patrem coluit, & Simlerum posteà Tubingæ publicè docentem audivit.

Cùm autem reversus ex Gallia Capnio crebrò in patriam exspaciaretur, invisendæ sororis causâ, apud quam Philippus alebatur, considerare naturam pueri atq; ingenium & profectus explorare incipit, quæ omnia cùm non probaret tantùm, sed admiraretur, quem dilexerat anteà propter cognationis vinculum, eum propter ingenij præstantiam etiam ut magnificaret, movetur, donatumquè libello Græcæ Grammatices, Lexico, ut vocant, Græco, & Bibliorum codice, ad gnaviter, ac strenuè pergendum incitat, additis exhortationibus & impositio in caput eius pileo purpureo, quo ipse, cùm Doctor fieret, ornatus fuerat, talem futurum præsagiens, qualis evasit. Bibliorum codicem & circumtulit secum perpetuò, & legit diligentissimè, & hanc legendi textus Biblici consuetudinem, quòd sibi adolescenti profuisse plurimùm expertus esset, cùm retinuit ipse ad extremum usquè, tùm nobis universis discipulis suis sæpè commendavit.

Biennium versatus in ea schola, mittitur in patriam patris, nempè in publicam scholam Heidelbergensem, ubi adolescens propter rari & mirandi ingenij præstantiam, morumq; suavitatem ac vetustatem, omnibus bonis & honestis hominibus valdè carus fuit, Et conservavit locus ille memoriam huius alumni sui Philippi cum perpetua benevolentia usq; in hunc diem. Ludovicus Comes à Leonstein

Digitized by Google

stein ibi liberos suos illi erudiendos commendavit, & vixit in domo Doctoris Pallantis Theologi, cuius integritatem, virtutem & sapientiam nobis sæpè prædicavit.

Intercessit illi Heidelbergæ singularis familiaritas cum Petro Sturmio Argentoratensi, fratre Jacobi, cui tunc privatus Præceptor erat Wimphelingius, vir ut optimus & integerrimus, ita eruditissimus. Triennium Heidelbergæ vixit, partim ante, partim post mortem patris, audivit ibi docentem Guntherum Rhetorem, & cum Sorbillo quodam Poeta, cuius venam sæpè laudabat, vixit familiariter, scripsit jam tunc adolescens Professoribus (Ego hoc mirur Professoribus præscribi orationes,) in ea schola orationes, quæ publicè recitatæ sunt: Et linguarum studia ac præcipuè scribendi exercitium solutâ oratione & versu excitavit.

Agitabantur eo tempore in scholis quæstiones, quæ habebantur vel Gordio nodo difficiliùs explicabiles, de propositionibus modalibus, item de universalibus realibus, multum hæ rixarum inter disputantes pariebant, de his enim inter se jugiter digladiabantur, hos nodos ipse dissolvit, & certamina hæc, cum magna omnium admiratione, sustulit, conscripsit tunc & rudimenta Græcæ linguæ, quæ postea in publicum edita sunt.

Primum scholasticum gradum, cui à Laurea nomen est, assumpsit, cùm natus jam esset annos quatuordecim, Nempè anno à nato ex virgine Christo, 1511.

Indè cùm propter cæli gravitatem quotannis sub autumnum cum febre conflictaretur, mater periculum metuens, Tubingam ipsum transfert, ibi rectiùs valuit, & totum sexennium vixit, Privatim ac publicè, cum magna laude & admiratione, docuit, & scripta quædam ceu primos fœtus, ex quibus satis apparuit, qui proventus in posterum exspectandi forent, in lucem edidit. Audivit ibi & Jureconsultos ex quib. illo tempore celebres fuerunt Lamperterus, Ebingerus & alij, Lamperterum præcipuè laudabat. Audivit item Theologos, de quorum ineptis & inutilibus disputationibus in rebus

gravissi-

Digitized by Google

grauissimis dicere, & multa ridicula ipsorum deliramenta commemorare solebat.

De Monacho quodam concionatore eius loci narrare solebat, quòd pro concione, omissâ Euangeliorum doctrinâ, Ethica Aristotelis explicâsset, non parvo audientium studio, qui cupidiùs Aristotelica cognouissent, quàm fabulas aniles, quibus implere templa illius barbaricæ superstitionis temporibus usitatum fuit, CHRISTI *mentione prorsus neglectâ, Et hæc recitans sæpè deplorabat cæcitatem & infelicitatem illius seculi.*

Præfuit & Typographicæ officinæ Anshelmi aliquandiu. Excudebatur tunc illud grande historicum volumen Naucleri, *in quo multa quæ corrupta erant, ipse emendavit, mutila multa complevit, confusanea in ordinem redegit, obscuris lucem reddidit, supervacanea præcidit, effecitq; ut is liber, qui antea erat farrago verius, quàm integrum historiæ corpus, postea à multis & adpeteretur, & magna cum utilitate legeretur.*

Hoc sexennio crebrò & multum fuit cum Capnione. *Fervebat tunc certamen, quod Capnioni erat cum hominib. improbissimis & importunatissimis, nempè cum Monachis & Monachorum propugnatoribus sophistis, cuius certaminis causæ & varij eventus referuntur à Philippo in Oratione, quæ extat, continens historiam vitæ Capnionis. Cum his catharinatis vir optimus conflictabatur, & quidem crudeliter ac duriter ab illis exercebatur, qui in ea conflictatione multa scripsit, quæ partim Romam, partim ad Imperatorem missa sunt, ex his pleraq; Philippus ipse suâ manu descripsit. Cumq; Capnio subinde ex Stukgardia Tubingam veniret, solebat apud Philippum divertere in illo scholastico diversoriolo, & unà cum eo in Collegio cibum capiebat. Stofflerum Mathematicum in Tubingensi schola sedulò audivit, quem & inprimis laudare solebat. Audivit tunc & Poëtam Bebelium, & jam tunc ea erat ipsius authoritas, ut omnium oculi in eum conjecti essent.*

Princeps

Digitized by Google

Princeps autem Saxoniæ Elector FRIDERICUS, *cujus sapientia celebratur, cùm ante annos non multos magno studio hanc Academiam condidisset & undecunq; viros doctos, quibus eam instituere & exornare posset, conquireret, hac in re usus est consilio Capnionis in conventu Imperij Augustano, Anno à nato* CHRISTO *1518, Commendat Capnio Principi Friderico Philippum tunc juvenem adhuc, qui ipsum assumptum huc misit, ut Græcam linguam hic doceret. Quæ tenebræ tunc hic fuerint, non jam dicam, sed intra paucos annos Philippus eam lucem, non tantùm linguarum, sed & cæterarum optimarum disciplinarum, hic extulit, ut unius hujus viri ingenio & operâ hac schola facilè cæteras in Germania Academias celebritate superaret.*

Et quàm id initiò difficile fuerit, facilè existimari potest, cùm omnia fœdâ barbariè, ceu densâ caligine, obruta jacerent, multi autem in illo Barbarico cœno sepulti, ita ut fit, & si propter Principis authoritatem palàm adversari minùs auderent: tamen clàm vel contemnerent, vel obtrectarent. Deessent præterea exempla Græca, & officinarum Typographicarum ministerium, non leve ad excitanda studia adminiculum.

Memini ipse, cùm ferè biennium hic fuissem, & Philippicas Demosthenis optimus Præceptor nobis publicè enarraret, anno ab hinc trigesimo sexto, auditores illi eramus numero tantùm quatuor, propter exemplorum inopiam, describere enim cogebamur, & unicum tantùm erat exemplum Præceptoris, unde describeremus, tamen ex his difficultatibus omnibus eluctatus est, incredibili patientiâ, cùm etiam vigilijs eo tempore affligeretur, & valetudine minùs commodâ uteretur. Vidi Epistolam à Principe Electore Friderico tunc ad eum scriptam, quâ ipsum hortatur, ut valetudini pareat, nec nimio se labore conficiat, & ex cella sua commodum potum illi offert, citabat in ea Epistola Optimus Princeps dictum Pauli Apostoli: Honorem habendum esse corpori. Et, si cætera dicta Pauli vera esse credis, inquit, & hoc verum esse, atq; illi obediendum, crede.

Cùm

Digitized by Google

Cùm autem ante ipsum hûc venisset, D. Martinus Lutherus *qui hic sacram Theologiam docebat, & crebrò disputabat, facilè contraxit eos, ita ut sit, mutua virtutis & ingeniorum admiratio. Philippus in* Luthero *animi magnitudinem penè plùs quàm humanam, ingenij acumen, in judicando inimitabilem* σοχασμόν, *in explicandis controversijs doctrinæ dexteritatem summam, & alia dona divina, supra communem hominum captum, (ut erat talium donorum Dei non segnis æstimator,) considerans, cœpit eum, ut virum singularem & heroicum, per quem DEUS nos maximas efficere in animo haberet, admirari, colere & magnificare. Sicque ipsum non tantùm coluit viventem, sed & post mortem, donec ipse vixit.*

Lutherus *vicissim eadem dona* DEI *in Philippo tanquam suam in speculo imaginem contemplans & quantam lucem linguarum atq; artium tùm dicendi, tùm cæterarum cognitio doctrinæ sacræ afferret, expendens, præterea & ingenij suavitatem, atq; illas leniores & mansuetiores virtutes in Philippo considerans, ut & ipse non rudis talium donorum* DEI *æstimator, magno veroq; amore ipsum amplecti cœpit. Cùm super hæc omnia hoc etiam in eo inesse animadverteret, quòd Philippus dissoluta in suum ordinem contrahere, confusa rectè distribuere, incertis locum & quasi jus suum restituere, ambiguis proprietatem, obscuris, definiendo & explicando, lucem præbere posset, Et breviter, quòd ipse singulare & rarum quoddam organum esset, per quod* DEUS *aliquid mirandum esset effecturus.*

Conjunxit igitur DEUS *hæc duo organa sua, atq; hos duos viros tantos, mirabili quodam temperamento: ut cùm* Lutherus, *Erasmo Roterodamo, & alijs quibusdam, medicus morborum Ecclesiæ immitior videretur,* Philippus *verò eundem cursum urgens, nec ab eo deflectens, lenior ac mitior haberetur, tali* σύγκρασία *medicationis* DEO, *sicut videtur, libuit uti, in hac extrema Ecclesiæ*

R *senescen-*

Digitized by Google

senescentis ægritudine, quæ jam, ut illi de senescente Rep. sua dixit, neq; morbos suos facilè, nec remedia ferre, potest.

Cùm igitur animis & sententijs jam essent conjunctissimi Lutherus & Philippus, *evenit ut Eccius Theologus, per præcipuas Academias Germaniæ penè omnes circumvagaretur, & ubiquè themata sua, quibus sedem Pontificiam, & eorũ temporũ horrendos errores tuebatur, disputando spargeret, ac defenderet, victoriæ deinde sua & triumphos Thrasonico more decantaret. Is tandem & Lipsiam venit anno 1519. Cum quo* Lutherus *ut congrederetur, Lipsiam vocatus fuit, qui secum adduxit Achaten suum Philippum, cùm propter eam, quæ inter ipsos erat, conjunctionem, tùm & propter linguarum cognitionem, ex quibus tanquam ex ipsis fontibus de testimonijs scripturæ & antiquitatis certa dijudicatio fieri posset, & navavit tunc Philippus in illa disputatione eam operam* Lutheро, *atq; ita interpellavit ac refutavit Eccium, ut ille, sicut erat impatiens, tandè in hæc verba prorũperet: Tace tu, Philippe, ac tua studia cura, ne me perturba. Præsagijt tunc Eccio, credo, animus, qualem illum adversarium aliquando esset habiturus.*

Redière ab illo congressu nostri, ac inter eos amor & sancta concordia in dies singulos magis magisq; coaluit. Fuit tunc id tempus, quo se furor adversariorum nostrorum usq; adeò effundebat, ut ne quidem furtis suis, & impostoris placidè contenti esse, aut quiescere possent, Sed ea insuper pro summa pietate, sanctimonia & justitia adorari, postularent. Accidit ergò, ut Lutherus *penè invitus, ad contradicendum manifestis illorum blasphemijs, compelleretur, adfuit illi fidus ubiquè & assiduus παρακλητος Philippus, Atq; ita ambo, ut fit, post consertum prælium in medium æstum certaminis pertrahuntur,*

Hoc tempore multa moliti sunt adversarij, nostros ut everterent, id quòd scripta & acta eorum testantur. Adjungunt & nostris aliqui se, qui παραλογα quædam movent, sicut fit rebus motis & perturbatis. Hoc loco in quas difficultates, & quæ certamina

Reveren-

Digitized by Google

Reverendus Dominus Præceptor inciderit, commemorare possem, sed in aliud tempus ista reservo. Etsi hoc quidem scio, & verè affirmare possum, ipsum multas sanè horridas sententias, ne quid tristius dicam, tunc aliquibus cum multa lenitate & mansuetudine è manibus extorsisse: Quale hoc est, homini Christiano non licere litigare in judicio, aut: Magistratus politici cognitione vel subsidio uti: Jus Mosaicum in forum esse revocandum, neq; ullis legibus utendum Christianis. Non ista Lutheri *culpa movebantur, sed fiebat id, quod in talibus mutationibus & meditationibus accidere solet: bona enim sæpè cum malis eradicantur, & sana cum morbosis ejiciuntur. Nota adhuc mihi & quasi in conspectu sunt eius ætatis hæc & alia certamina, quæ sustinuit, & sæpè de his querelas suas, Dominus Præceptor apud me deposuit. Sed ut formicæ certum & unum iter terunt, ita ille unum cursum urgebat semper simplicem veritatem, eamquè illibatam ut tueretur, illum cursum tenuit, eamq; metam secutus est, donec vixit, nec ab ea ullis se contumelijs aut injurijs dimoveri passus est. Et* Deum *immortalem, quæ interea ignita tela Satanæ, quas insidias falsorum fratrum, quàm & tetram & abominabilem huius seculi Sophisticam, quæ mendacia, quas contumelias tanta cum patientia, ac penè sine sensu sustinuit, quasi ad omnia hæc jam pridem occalluisset. Nos verò cùm impatientiâ nostrâ moti & illius vicè dolentes, interdum ei hortatores & instigatores essemus, ut respondendo & mendacia refellendo, Zoilis illis aliquando tandem ora obstrueret: Respondet ille doctrinam suam & scripta nota esse, nihil aliâ responsione, aut refutatione opus esse. Interea suum iter, ut dixi, urgebat, cum Pontificijs doctrinæ nostræ hostibus sua in statione acerrimè depugnabat.*

Edidit scripta plurima utilissima & valdè necessaria, quæ hîc singula recensere longum foret, sed fiet & hoc, Deo auxiliante, alio tempore, Sunt autem ex his quædam ἐξηγητικὰ, quibus præcipui libri sacri luculentâ interpretatione explicantur, ut

Digitized by Google

commentarij in Danielem, Johannem Evangelistam, Epistolas Pauli, & alios libros sacros, quibus non scio quid exactius, aut magis perspicuum esse possit. Conferant hæc cum veteribus, qui volent, & me verum testem esse fatebuntur. Pugnat & cum hostibus veritatis ubiq; ut dixi, acerrimè, & illis quidem jugulum premit, etsi minùs fortasse tumultuatur, quàm aliqui vellent. Postremo, ut alia omittam, summam doctrinæ Ecclesiarum nostrarum commodissimo, & eruditissimo compendio complexus est in duplici ἐξομολογήσει, Augustana, & illa, quæ superioris repetitio est, edita anno 1551. His accedit & plena & exactissima explicatio dogmatum singulorum comprehensa libro, cui titulus est, Loci Communes, *Quem librum cùm vidisset* Lutherus, *ausus fuit dicere, non dubitare se, quin vel unum hunc librum Philippi omnibus sententiarijs, & scholasticis scriptis anteferret. Atq;, ut rumpant se invidi, qui postea viro tanto obtrectare cæperunt, proferre neq; ex veterum, nec recentiorum scriptis, neq; etiam suo ex theatro quidquam possunt, cum hoc scripto, quod sit conferendum. Et, si non nimis iniqui sunt æstimatores alieni laboris, dicant illi nobis, nisi utramq; confessionem Philippi &* Locos Communes *haberent, quodnam corpus integrum, aut quam summam huius doctrinæ essent habituri? Non jam dicam de illius utilissimis scriptis in alijs disciplinis. Quod compendium Dialectices, quod Rhetorices, quod Doctrinæ moralis, quod deniq; Physices, aut doctrinæ de Anima commodius, luculentius, aut exactius habemus, quàm ea quæ ipse nobis reliquit? Denique quantum in omnibus his disciplinis caliginis & tenebrarum fuit, antequam ipse his lucem præbuit? Consumebatur tota vita in sola Dialectica Aristotelis discenda, neq; ad eam vita, quantumvis longa, sufficiebat, de cæteris ut brevitatis causâ jam taceam. Hæc autem laboriosissima & fidelissima apicula pervolavit per universos doctrinarum campos, atq; inde ex varijs scriptorum flosculis lectissimum & dulcissimum succum nobis in favos congessit, juxta veteris Poëtæ (Lucretij lib. 3.) sententiam:*

Flori-

Digitized by Google

Floriferis, ut apes, in saltibus omnia libant,
Omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
Aurea, perpetuâ semper dignissima vitâ.

Nunc ea vicissim est nostra ingratitudo, libenter quidem his donis DEI *fruimur, Sed postea his obsaturati, rabiosis dentibus in tantorum beneficiorum autorem ferimur, Et quod de ingratissimis hospitibus à Plauto dicitur, Vituperamus & comedimus tamen. De scriptis huius viri, deq; ingratitudine hominum pro his, alio tempore plenius,* DEO *juvante, nam hac temporis brevitas ad alia me vocat. Scripta tamen indicant ingenium quale fuerit, qui labores, quod studium benè merendi de toto genere humano, quem ipsius cursum utinam non sæpè interrupissent certamina & miseriæ nostrorum temporum. In quibus ad perferendos labores molestissimos, injurias insuper & contumelias, animo semper invicto & patientissimo fuit. Nemo illum unquam, quantumvis oportunus, de gradu suo deturbare valuit, quin veritatem & eam unam quæreret ac propugnaret. In judicando rectus, in pronunciando cautus ac circumspectus, in communicando omnium facilimus & fidelissimus. Sed hoc ipsius summum & patientissimum studium sæpè interpellarunt labores importuni & odiosi. Quoties ad conventus & Theologorum congressus avocatus fuit, quos ibi labores, quas miseras sustinuit? Cùm non tantùm rabiosis adversariorum morsibus expositus esset, sed & domesticorum τὰς ἀμαθίας ferre cogeretur.*

In Conventu Augustano, Anno 1530. cùm nostra Confessio ab illo scripta esset, quæ ut tunc in Regum & Principum consessu invicta mansit, Ita Deo *& Domino nostro* Jesu Christo *defensore, manebit in æternum, etiam contra portas inferorum, quemadmodum tunc magno animo* D. Pontanus *coram Imperatore & Principibus dixit. Hæc, inquam, Confessio, cùm à nostris exhibita esset Imperatori, atq; totius Imperij ordinibus, fremuerunt Pontificij, & in primis Campegius, atq; in aula Imperatoris aliqui non infimi, qui Imperatorem vel tot regna in discrimen conijcere paratum esse dicerent,*

Digitized by Google

potiùs quàm ista ferret. Postridiè cùm totum ovile ejus congregatum esset, accersitur Philippus, qui animo infracto ad eos ingreditur, vidit ibi se circumseptum illo gyro dentium Satanæ, &, ut Jonas Propheta, solus intrà costas belua marinæ quassatur. Instat Campegius, & horrenda fulmina iratissimi ac sævissimi Jovis sui vibrat, cæteri tot regnorum potentiam & vires contra istum, heu miserum & exiguum imbecillium CHRISTI *ovicularum gregem, minaciter intentant.*

Poterat ibi etiam vir fortis & constans commoveri. Interrogatus igitur Philippus, num cedere vellet, respondet, Cedere non possumus, nec veritatem deserere, Oramus autem propter DEUM & CHRISTUM, *ut Adversarij nobis ignoscant, &, si possunt, nobiscum dispensent, id est, concedant nobis ea quæ bonâ conscientiâ relinquere non possumus. Contra quam vocem auditam reclamat Campegius, Non possum, non possum, clave non errante. Ad quod tonitruum Philippus, etsi stabat velut in medio Leonum, Luporum atq; Ursorum, qui ipsum impunè vel in minutas particulas discerpere potuissent, tamen ingentem animum angusto in corpore versans, fortissimè respondit, DEO, inquit, & causam & nos committimus,* Si Deus pro nobis quis contra nos? *Deniq; quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est. Addidit & hoc, habemus jam in nostris regionibus tot miserorum Parochorum & ministrorum Ecclesiarum conjuges & liberos, qui vel quadraginta millium numerum superant, tot animas deserere non possumus, faciemus igitur quod poterimus, à Filio Dei, cujus hæc causa est, auxilium petemus, nostro in loco & statione quoscunq; labores & difficultates perferemus, etiam pugnabimus, si necesse erit, & moriemur, si Deus ita voluerit, potiùs quàm ut tot animæ à nobis prodantur. Hi sermones, & eo in loco dicti, num pusillum aut languentem animum indicare videntur, quem illi malevoli falsò tribuunt? Sustinuit similia certamina aliquoties in talibus congressibus, & nunquam tamen animo succubuit. Longum verò foret omnia hæc in præsentia commemorare.*

De

Digitized by Google

De uno adhuc congressu, qui inter nostros fuit, pauca quædam dicam, & veniam mihi dari peto, repetendi nunc de homine carissimo morte erepto, ea, quæ ipse vivus nobis dulcissimo sermone referre solebat. Erat jussu Principum Torgæ in domo Parochi, instituta inter Doctores nostrarum Ecclesiarum primarios deliberatio difficilima. Adversarij enim tunc penè jugulo nostro ferrum admovebant & superiori petestas, pacem, quam toties nostri supplices petiverant in libra aurificis, ut quidam præstans & magnus vir dixit, nobis admetiebatur, nostriq; Principes, & qui docebant, non levi de causâ commovebantur. Quapropter D. Martinus & alij quidam docentes, Torgam convocabantur, ubi tunc aula erat, ut in medium consulerent, quid fieri, vel non fieri posset. Existiment jam illi Heroes, qui nunc in tuto feroces sunt, qui tunc agon constitutus fuerit. Nam ut de ministaceam, conatus certè & molitiones adversariorum eiusmodi erant, eaq; pericula nobis impendebant, qua nemo sanus facilè contemnere posset.

Contra quæ etsi Principes animo viderentur magno atq; instructo esse, tamen quia ad multos periculum pertinebat, qui non pariter omnes animosi erant, & magna vastitas imminere videbatur, paucis docentibus, qui aderant, valdè difficilis consultatio proposita erat. Sedet igitur pauper & paucorum senatus, à solo Deo auxilium orans, sperans & exspectans. Tandem post preces & satis longum colloquium, Philippus defatigatus & mœstus surgit, erat enim paulum evocatus nuncio quodam interpellante, quo dimisso, in reditu ingreditur conclave, in quo una erant miseræ mulierculæ, Parochi & duorum Diaconorum conjuges ac parvuli liberi, quorum alij iam mammam sugebant, alij à matribus preces recitantes audiebant.

Adstat & audit Philippus cum admiratione & magna delectatione, sicut solebat, puerorum balbutientes preces, memor dicti: Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem, Et quod præcipuè ipsum movebat, videt ex Diaconorum uxoribus unam lactantem filiolum, & simul pastinacam in prandium marito incidentem, atq;

Digitized by Google

atq; audientem alterum parvulum recitantem usitatas preces & invocantem Deum. Exclamat, ô tres sanctos & Deo gratos labores. Ab hoc spectaculo confirmatus animo, ac jam lætus atq; alacris in senatum redit hilari vultu. Excipit eum Lutherus, Quid tibi, Philippe, accidit, inquit, quod ita hilaris ad nos redis, qui paulò antè tristior hinc exibas, respondet illi, ne simus animo pusillo, Domini, jam enim vidi eos, qui pro nobis pugnaturi sunt, qui nos defendent, quiq; contra vim omnem invicti erunt & manebunt. Quærit Lutherus, quinam sunt hi tàm fortes duces ac mìlites: Parochorum nostrorum & Diaconorum uxores, inquit Philippus, & parvuli liberi, quorũ preces jam audivi, quas Deus non est surdus auribus auditurus. Neq; eas adhuc neglexit optimus Pater Domini nostri Jesũ Christi, nec porrò, ut speramus, negliget. Exceptus hic sermo est. ut felix & faustum omen, & jam animis magis confirmati, statuunt id, quod pios & constantes verbi divini Doctores decebat, & illud ipsorum consilium, beneficio Dei, salutare fuit Ecclesiis, & adflictionem, quæ imminebat, Deus clementer lenijt. Possem alia multa commemorare, quæ ostendunt etiam vivo Luthero, Philippum nostris neutiquam metuendi autorem, sed ad fiduciam in Christo & constantiam semper hortatorem fuisse.

Verùm cùm idem loquuntur omnia ipsius scripta, fortasse supervacaneum videatur his immorari. Quòd autem lenior naturâ & placidior fuit, nec quantum aliqui vellent tumultuatus est, cùm tamen eundem cursum, constantissimè urgeret, id laudi potiùs quàm vitio tribuent homines modesti, & de illo quidem nostrorum congressu hæc dixisse satis sit.

Porrò in Conventu Ratisbonensi, qui habitus est anno à nato ex virgine Christo 1541. tantos labores pertulit Philippus, quantos vix decem alios robustissimo corpore perferre posse crederem, ut omnes mirantur, quomòdò hoc tàm debile corpusculum tanto oneri sufficere posset, & quid in eo conventu effectum sit, norunt & agnoscunt boni ac pij.

Ex his

Digitized by Google

Ex his congressibus, domum & ad scholasticos, eosq; sibi, ut ferebat, dulcissimos labores reversus, in illis quoq; multipliciter interturbabatur, tamen tantum erat in eo omnibus benefaciendi studium, ut nihil molestiæ patientia non vinceret, huic versus, vel epistolam, alteri orationem, tertio prælectionem aut concionem scribebat vel emendabat. De aulicis enim occupationibus & Ecclesiarum gubernatione jam non dicam. His tantis, tamq; multis rebus, cùm distineretur, non tamen ille doctrinæ studium, non serias meditationes & scriptiones, non explicationem gravissimorum dogmatum omittebat. Luthero assiduus adjutor fuit, cùm in aliis laboribus, tùm & in sacrorum Bibliorum translatione, quæ magno aliquot annorum labore instructa & perfecta est. Fuitq; inter eos, dum vixit Lutherus, conjunctio plus quàm fraterna, ipse enim Lutherum reverebatur, & ab ipso vicissim serio atq; ardenter diligebatur, fuerunt quidem inter eos, ut fit inter homines doctos veritatem inquirentes aliquando inter disputandum disceptationes quædam, seria dissensio, quod certò scio, nunquam fuit. Et quantum ipsum amârit Lutherus, inde æstimari potest, cùm Philippus Wimariæ in morbum periculosum incidisset, quo intra paucos dies ita consumebatur, ut jam omnes de vita ipsius desperarent, accersitur principis jussu Lutherus, qui quantâ potuit celeritate, dies & noctes iter faciens, ad eum venit: cumq; ita ad extremum attenuatum videret, ut præter vocem, eamq; valdè exilem, nullum vitæ indicium amplius reliqui esset, cum gemitu & lachrymis exclamat, heu quàm preciosum, & Ecclesiæ utile organum divinum, quàm miserè nobis est affectum, & penè interijt. Cumq; ipsum tantùm salutasset, statim in genua procumbens, orare cœpit. Scimus autem, quàm seria & ardens fuerit Lutheri precatio, quâ & tunc Philippus quasi è media morte revocatus credebatur.

Tandem cùm Lutherus cursum suum jam confecisset: & Deus ipsum ex hac mortali vita in illam cælestem scholam evocâsset, vidimus quâ pietate interitum tulerit Philippus, quibus beneficiis vi-

Digitized by Google

duam relictam & liberos Lutheri cumulaverit. Neq; quicquam post Lutheri interitum, vel in doctrina vel in ceremoniis mutatum est. Sed statim secutum est illud tristissimum bellum, si id secum, sicut fit, aliquid attraxit, non id Philippo imputandum est, sed potiùs temporum asperitati. Etsi in schola & in Ecclesiis, ut dixi, beneficio Dei, doctrinæ vel ceremoniarum mutationem nullam vidimus. Excitata deinde sunt, instigante Diabolo, dissidia & certamina inter docentes, quæ qui moverunt, quàm graves & necessarias caussas habuerint ipsi viderint, & nos nihil aliud illis precamur à Deo, quàm ut seriò sentiant, quid fecerint, quòd istâ horribili distractione Ecclesias lacerarunt, & in tàm piorum ac bonorum hominum cordibus Spiritum sanctum perturbarunt.

Cogitent aliquando hanc severam Christi redemptoris vocem, qui, tolerabilius esse, ait, in imo mari submergi, quàm saltem unum, de parvulorum grege, offendere.

Est autem in his certaminibus Philippus, præter meritum suum, inclementer acceptus, ab illis præcipuè, quos ipse evexit. Summa peccati hæc est, quòd leniorem, post bellum, & non satis tumultuosum fuisse, dicunt. Quodq; consultationibus interfuit, in quibus utrum aliquid concedi posset, quæsitum est.

In his quæ fuerit ejus constans & perpetua sententia, satis exponitur in libro nostrorum de actis Synodicis, & testatur repetita post eas consultationes confessio nostra, aliiq; libri eandem doctrinam continentes, quibus facilè placari possent, si sanabiles essent. Quâ verò lenitate & animi tolerantiâ illorum importunos clamores, injurias & contumelias tulerit, & quâ interea fide atque assiduitate veritatis doctrinam propagare perrexerit, omnes novimus. Hoc autem consilio tacuit & ita se proscindi passus est, quia præcidere voluit occasiones majorum certaminum non necessariorum. Vicit ergò illos, ut novo, ita pulcerrimo genere victoriæ, nempè silentio & patientiâ juxta dictum: In silentio & spe fortitudo vestra. Sed de his controversiis, cùm scripta & apologiæ nostrorum vulgò extent,

Digitized by Google

tent, quibus sibi satisfieri patientur, si qui sunt sanabiles, supervacaneum videtur in præsentia plura verba facere. Ad priora itaquè redeo. Mutationem, ut dixi, in schola & Ecclesiis, nullam vidimus, neque aliter docuit Philippus post bellum, quàm ante bellum, sicut aliqui de eo falsò vociferantur, quibus fortasse alio tempore plenius respondebitur: Hæc enim temporis angustia nos ad alia avocat. De scriptis ipsius & doctrina, denique perpetuo instituto & cursu vitæ, quantum in hac animi mei perturbatione & temporis brevitate fieri potuit, dictum jam à me est.

Nos enim, qui jam per annos multos cum hoc viro versati sumus, hoc certò scimus, eum omnes cogitationes, consilia, labores, & studia sua tantùm direxisse ad veræ, certæ & perspicuæ doctrinæ propagationem, ad gloriam Christi filij Dei illustrandam, denique ad Ecclesiarum & quàm plurimorum hominum salutem, hæc illi constans & perpetua intentio, hic scopus fuit.

Ab ambitione quàm longissimè abfuit, honorem & opes non curavit, nec quæsivit, quod hæc misera rudera rei familiaris satis testantur. Delectabatur hoc dicto Achillis, quod est apud Philostratum, ἐμὸν ἔστω τὸ πλεῖον τῶν ἔργων χρήματα δὲ πλεονεκτεῖτω ὁ βουλόμενος, id est, mea sit laborum pars major, pecuniâ autem abundet qui volet.

Scimus quàm amplæ conditiones illi sæpè oblatæ fuerint, non ut à nobis deficeret, (quod quidam propriâ malicià sicut Ischariotes ille, & multo leviore compendio moti fecerunt) sed ut tantùm in quibusdam doctrinæ partibus mitius ageret.

Sic enim dicebant, concederet quædam, quæ non magni momenti esse viderentur, nec sineret ob ista levia concordiam Ecclesiæ dissolvi. Ad quæ respondit ille, scire se etiam olim Arianos ab Homousianis eodem modo postulasse, ne propter duo verba Ecclesiam lacerari sinerent, illos tamen non concessisse, se quoq; nihil illis largiri, aut cõcedere posse, Hæc dogmata oportere pura conservari, & refutari, &

Digitized by Google

refutationem tàm tetrorum errorum necessariam esse. Sicut illis tunc respondit, ita perpetuam ejus & constantem sententiam fuisse, ipsius scripta testantur, & norunt omnes, quibus propiùs notus fuit.

Nunc venio ad mores & vitam interiorem, in quibus nihil asperum fuit, sed summa lenitas & mansvetudo. Nam bilem, quâ corpus in juventute affici poterat, meditatione & patientiâ mansvefecerat. Sæpè enim hoc Sophocleum in ore habebat, σέβεσθαι χρὴ καὶ παθὰι μεχ' ὧν χρόνῳ ξυνῆν μακρὸς διδάσκει, καὶ τὸ γενναῖον τρέπει. In familiari convictu & colloquio omnibus nobis svavitas illius, ut notissima, ita jucundissima fuit. De aliis non dicam, ego quidem lachrymo, quoties cogito, quæ mea futura sit in hac misera senectute illo amisso solitudo: φιλοστοργίαν non scio, an in ullo homine majorem viderim, tanto & tàm vero amore conjugem, liberos, nepotes & neptes complectebatur. Hæc me vera dicere omnes noviştis. Beneficentia verò, atq; etiam, ut in illa tenuitate rei familiaris erga omnes munificentia penè major fuit, quàm ipsius res ferre posset, nemo ab illo beneficium, aut eleemosynam frustrà petebat, neq; ulli quantumvis importuno petitori præclusa erat ipsius benignitas. Rem familiarem tenuem & attritam reliquit, sed locupletissimum Patrimonium liberis est bona fama parentum, & Deus hæredibus ipsius etiam benedicet.

Viribus corporis imbecillibus fuit, & valetudine tenui, inde usque à pueritia, sed temperantiâ, sobrietate ac optimo vivendi ordine, ita corpus alioqui debile roboravit, ut maximis etiam laboribus sufficeret. Animadvertimus tamen post conjugis interitum in dies singulos magis attenuatum ac debilitatum fuisse.

Animo ad mortem semper fuit æquissimo, inde usq; à juventute, hoc autem proximo biennio etiam cupidus moriendi, quæ causa fuerit facilè existimari potest, tædebat eum jam petulantiæ, Sycophantiarum, & malitiæ hominum, hujus nostræ ætatis.

Ultimus autem actus testis est certissimus, de tota ejus superiore vita, animo & consiliis omnibus, atq; ostendit, quòd nihil unquam spectæ-

Digitized by Google

spectaverit aut quæsiverit aliud, quàm gloriam Christi, & Ecclesiæ salutem. Tempus enim & hora mortis non fert hypocrisin. Quoties his annis, & præcipuè proximis mensibus ante mortem, cum gemitu & lachrymis deploravit Ecclesiarum nostrarum distractionem, quàm ardentibus votis & precibus à Deo petivit, ut ipse inter docentes concordiam sanciret, & hæc mala sanaret? Hæc una cura illi semper in ore & corde fuit.

Et de sermonibus ipsius ante mortem multa dicere possem, si hæc temporis angustia pateretur. Præsagijt enim ipse sibi, instare diem migrationis, mihiq; paulò ante mortem dixit: Nescio quid mihi feret conjunctio Martis & Saturni, quæ erit decimâ quintâ die hujus mensis, cumquè febre correptus esset, & ego corpusculum jam antè penè ad extremum attenuatum considerarem, atque cum gemitu dicerem: Quomodo feret hoc corpus febrem paulò longiorem, subridens respondit mihi, cupio dissolvi & esse cum Christo.

Dixit & pridiè quàm moreretur ad generum, (Peucerum,) non morbo moveor, neque ulla est solicitudo, quæ animum meum angit aut perturbat, Una cura est, una solicitudo, ut Ecclesiæ sint in CHRISTO JESU concordes. Hinc satis apparet, quæ fuerint ejus perpetuæ cogitationes, & quid semper animo propositum habuerit. Dixit & eodem die: Si me Deus jam evocaverit ex hac vita, liberabor ab inimicis plenis odio, Sophisticâ & mendaciis, hoc monstroso anno naturæ. Sæpè ante mortem iteravit hanc precationem Redemptoris, quæ est in Johanne, sint unum in nobis, sicut & nos unum sumus. Sæpè & hoc dictum Pauli Apostoli, quod est in 1. ad Cor. Christus factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, & redemptio. Edidit alias multas ante mortem sanctissimas voces, quæ fuerunt testimonia pietatis ipsius, neq; hic referri omnes possunt. Paulò autem antequam exhalaret animam, cùm à Domino Pastore recitarentur verba quæ sunt in Evangelio Johan-

Digitized by Google

nis: Dedit eis potestatem, ut filij DEI fiant, qui credunt in nomine ejus: Sublatis oculis & manibus dixit: Hoc dictum animo meo semper obversatur: O te felicem, Praeceptor, qui in hac hora hanc firmissimam salutis anchoram prehendere potuisti. Denique assiduè donec spirare potuit, iteravit hanc precationem: Deus miserere mei per Christum filium tuum, & sensibus integerrimis fuit, usq; ad ultimum vitae articulum, Nam haec fuit ejus postrema vox, qua testatus est se audire & intelligere ea, quae à nobis ex Sacra Scriptura recitabantur.

Resolutus itaquè paulatim, penè sine sensu mortis tandem spirare desiit, & quasi obsopitus jacuit, neque ulla in facie apparuit deformatio, aut lineamentorum mutatio, sicut in morte fieri solet.

Felix ipse, quem post talem Confessionem & tàm multiplicem invocationem DEUS ita placido & tranquillo transitu ex hac misera & aerumnosa vita ad aeternam felicitatem transtulit. Nobis autem, suisq; omnibus & harum regionum Ecclesiis, atque huic scholae tristissimum sui desiderium reliquit, qui cùm velut in saevis tempestatibus maris jactemur, nauclerum nostrum amisimus, tunc cùm ejus praesentia nobis quàm maximè opus esset, neque ullo tempore minùs, quàm nunc, eo carere poteramus. Et satis appareret, quid Deus in animo habeat, cùm tales homines ex hoc mundo aufert, ne sint spectatores imminentium calamitatum. Nolo malè ominari, ad poenitentiam tamen nos & ad patientiam praeparemus, aut vel iram Domini effugere, vel, si sit opus, paternam castigationem obedienter ferre possimus. Debet enim talium virorum interitus nos excitare ad timorem Dei, ad poenitentiam & ardentiorem precationem, & ut cauti, diligentes, ac fideles simus in custodiendo depositio, quod hi duo viri Lutherus & Philippus apud nos reliquerunt, nempè in puritate castae & incontaminatae doctrinae conservanda.

Non

Digitized by Google

Non igitur nunc hora est, ut simus securi, aut stertamus, sed simus vigilantes. Vidimus quid post Lutheri mortem secutum est, quid jam sit expectandum, pro se quisq; reputet. Non possum plura addere ob temporis brevitatem, & animi mei perturbationem.

Tibi aterne DEUS & Pater Domini nostri JESU CHRISTI gratias agimus, quòd hunc virum, hunc, inquam, Angelum tuum nobis tàm din concessisti, & lucem verbi tui per eum inter nos accendisti. Oramus te, ut alios huic similes Doctores, & ministros semper in hac Schola & Ecclesia excitare velis, juxta dulcissimam promissionem JESU CHRISTI filij tui, Non relinquam vos orphanos, certè nunc Patre hoc amisso, orphani sumus, nisi tu Deus optime, nos clementèr respexeris. Tu igitur lucem verbi tui in nobis non patiare exstingui, tu semper tibi Ecclesiam inter nos congrega, quæ te rectè invocet & celebret in aternum, Tu da fidos Doctores, qualem jam à nobis ad te revocasti. Et nos in fide CHRISTI filij tui, in fide, inquam, vera & in verbo sincero conserva in omnem aternitatem, per CHRISTUM filium tuum.

DIXI.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS IOHANNIS STURIONIS, conscriptâ à J.B.

FEstivi ingenij quendam adolescentem ferunt lusisse aliquot senes, à quibus in cœmiterio ad colloquium invitabatur, ac dixisse; Mihi non est integrum venire, Quia prope ædes vestras estis animosiores:

Confectos ætate senes, lethoque propinquos,
Ipsorumq́; notans, esse sepulchra domos,

Vt GEORGIUS SABINUS *in Epigrammatis suis hac de re scribit pag. 282. Vnde & Alexis, poëta Comicus, propter ingravescentem ætatem ægrè lenteq́; incedens, cùm interrogaretur, quid ageret, respondit: pedetentim morior: significans senes fermè non vivere, sed lentè mori. Inde fit, ut Senex à nonnullis quasi seminex, hoc est, semimortuus, dicatur.*

Verùm in hac naturæ humanæ fragilitate, quæ lapsum protoplastarum secuta est, non solùm senes decrepiti, sed multi etiam ante justam moriuntur senectam, sicut & poma ante maturitatem sæpè decidunt. Id quod, ut aliorum complurium; sic IOHANNIS STURIONIS *exemplum convincit. Is enim annorum quidem ratione mediocritatem nondum excesserat; judicio tamen, sapientiâ, & innocentiâ ad maturitatem pervenerat, juxta illud Salomonis, Sap. 4. Senectus honorifica non est ea, quæ longo tempore constat, aut quam annorum numero metiaris: sed canos hominibus Sapientia conciliat, & ætas senectutis est vita immaculata.*

Huic Johanni Sturioni, R. & doctissimi fratres, hac vice veluti parentabimus, dicentes nonnihil de ejus vita & rebus gestis.

Digitized by Google

stis. Quare mihi faciles ut præbeatis aures, obnixè vos oro, atque obtestor.

Natus autem est dictus Sturio Anno 1525. XIII. Aprilis post 7. h. matutinam Curiæ *Nariscorum, seu Voitlandinorum, zum* Hoffe *(ut ea urbs Germanis vocatur) ex honestis parentibus, ac virtutis amorum ab ipsa stirpe attraxisse visus. Ingenium enim ejus, ut rectum & probum, ita ad omne disciplinæ genus idoneum erat. Imò quemadmodum aquileges cùm manè halitum quendam erumpentem è terra vident, hoc pro indicio habent latentium aquarum: sic de fœcunda scaturigine virtutum spes magna in adolescente elucebat, & præcipuè ex immensa discendi apparebat cupiditate, quæ etiam ad mechanica illa ferebat, quorum beneficio πάχνη κραταιὸς ἐμφύσει οἰκόμενα. Itaq; præter linguæ Sanctæ scientiam, & Ecclesiæ doctrinam, universæ Philosophiæ cognitionem, summumq; in ea gradum sibi comparavit, operum atq; effectionum naturæ scrutator diligens, & explicator acutus, qua in re multùm commodo fuit nõ exiguo. Testes nobis sunt viri, qui eum noverunt doctissimi. In primis Vitebergensi Academiæ, & universæ civitati spectata pietas & fides ejus est, cùm ibidem in Ecclesia docuerit octo continuos annos, inferiore quidem, & Diaconi loco, sed nihilominus instructus omnibus, quæ in Ecclesiæ ministro desiderantur, donis, ut inter primarios locum tueri facilè potuisset. Extat judicium Philippi Melanchthonis de Sturione, qui dignum eum, qui præficeretur Ecclesiasticæ gubernationi, censebat.*

Quamvis autem ingenij acumine & eloquentiâ multis antecelleret; erat tamen absq; fastu, suâ conditione contentus, nec altiora affectabat. Rarum certè modestiæ exemplum. O quàm multos præstantis ingenij fiducia ad movendas tristissimas in Ecclesia Dei turbas impulit! Exemplo esse possunt, Arius, qui ægrè ferebat Alexandrum, nec ingenio, nec eloquentiâ sibi conferendum, & in Episcopatu tamen prælatum esse. Macedonius primùm artis plumariæ, deinde Presbyter, & demum technis suis Episcopus factus in Ecclesia Con-

Digitized by Google

stantinopolitana, cum factione Arianorum, qui omnia sub Constantio poterant, antecessorem Pazum de gradu deturbavit, & strangulari curavit. Apollinaris junior, postquam Episcopatus, quem affectabat, spe decidisset, à recta veraq; Christi doctrina descivit. Similiter donatus cùm ad Carthaginensis Episcopatus dignitatem aspiraret, prælatum sibi Cæcilianum perfidiæ, atq; abjurati nominis Christiani apud Ecclesiam falsò accusavit. Quin & in hodiernum diem nihil adeò frequens inter collegas, quàm simultas, & contentio, partim ex avaritia, partim ex invidia orta. Ecclesiarum Pastores possim conqueruntur, Diaconos, Ludimoderatores, & adituos, esse ipsorum proditores, & invidere eis dignitatem & ampliores reditus, ex industria sæpè quærere causas dissentiendi, & rectè dicta & facta sinistrè interpretari. Vice versâ Diaconi, Ludimoderatores, & quos custodes, sive clavigeros vocamus, queritantur, se ab Ecclesiastis & Parochis pro asinis haberi, aquarum sese, & lignorum portatores, calefactores, stabulorum purgatores constitui, & tamen in nulla esse gratia. Ita scilicet

Iliacos intrà muros peccatur & extrà.

Faxit Deus, ut, cristis animi depositis in Jonatha exemplum tanquam in speculum intueamur, qui cùm more gentium videretur regni hæres, & diu unus summum locum tenuisset, tribus magnis præliis sine patre hostes profligasset, ornatus divino testimonio, ac penè par Davidi virtute & rebus gestis: Nihilominus tamen flammas ambitionis consilio & modestiâ extinxit. Et hic, de quo jam verba facimus, Diaconus omni reverentiâ & submissione colebat suos superiores, & vicissim ab ijs ardentissimè diligebatur. Ejus homilias commendat Johannes Schneidewinus I. V. D.

Quis, inquit, in his unquam pietatem, doctrinam, cogitantiam, facundiam desideravit? addamus & libertatem ingenuam, Christiano doctori necessariam, neque enim erat publicè aut privatim ad ullos ἀποφθέγματα, multò minùs is, qui πολιτικώτερον ἢ θεολογικώτερον doceret,

Digitized by Google

doccret, aut τὸ ῥῆμα τοῦ λύγδ ἵνα μὴ πλέον circumdaret, quæ sunt antiqua, in Ecclesia, crimina. Industria in laboribus perferendis hoc etiam argumentum esse potest, quòd cùm in postremum morbum incideret, non tùm de corporis doloribus ad amicos quereretur, quàm quòd homiliam de verbis Pauli 1. Cor. 4. de ministerio continuare, & ad diem postridianam explicare non posset. Hanc constitueram, dicebat, docere Theologiæ discipulos nostros, quomodo in hoc studio versari eos oporteret. In docendo igitur & mysteriorum communicatione omnes sensimus operam hujus fidelem & salutarem, sicut & in cæteris, quæ fuerunt curationis hujus, quæ sunt, ut veteris Ecclesiæ verbis referamus ἐπισκέψεις τῶν ἀσθενούντων, παρακλήσεις τῶν λυπουμένων, βοηθείαι τῶν καταπονουμένων.

In his omnibus, & in omni genere officiorum & commodationum diligentiam, fidem, efficacitatem & facilitatem hujus experti permulti sunt, ex quibus qui mortui sunt, celebrabunt eum testimoniis suis in altera vita, superstites autem lachrymis suis de hoc testantur, quæ utinam ne requirant deinceps. Fuit enim is vir Sturio noster, eâ pietate, virtute, constantiâ, integritate, fide, cui corpus & animam rectè credere potuimus. Hæc Schneidewinus.

Et quia non sine gravissimis causis Apostolus 1. Tim. 5. Episcopum vult esse maritum: ad conjugium etiam animum applicavit Sturio. Verùm non quamvis temerè vel impudicè thori sociam elegit: sed post pias preces bonorum consilio usus est: & reverendi & clarissimi viri, NICOLAI MEDLERI Sacrosanctæ Theologiæ Doctoris, qui multas scholas & Ecclesias in Germania rexit, viri optimi filiam honestissimam, ESTHERAM in uxorem duxit, atq; unicè dilexit.

Quod restat, agonem ejus his verbis recitat Schneidewinus: Cùm nuper Johannes Sturio ex longi temporis Ophthalmia (quo uno morbo ille laborare in vita solebat,) convaluisset, nudius decimus octavus penè subitò, ita simul & cerebro & corde afflicto esse cæpit ut natura succumberet, & vita ei heri extingueretur,

Digitized by Google

ex qua sic migravit, ut cùm paulò ante mortem, de parta ei salute per Christum, peccatorum remissione & vita æterna à Collega admoneretur, multis audientibus responderet, se de his omnibus esse certissimum. Cùm autem hoc tempore Decanus etiam Collegij Philosophici in Academia nostra ille fuerit, propiùs nos attingit hic dolor, neq; scimus, an à tempore fundationis hujus, in hoc munére constitutum aliquem, illa sepeliverit. Mea etiam valetudo quæ sit, non ignoratis. Sed nos Reip. cura afficit, quam talibus viris, qualis fuit Sturio noster, orbari, miserum est & calamitosum semper; non etiam nunquam omen complecti solet. Sublatis quidem fidelibus in Ecclesia doctoribus & ministris, qui sunt, χριστοῦ σῶμα & concidit illud μακάριον τῶν ψυχῶν ἀγαλλίαμα. ὃ ἐπὶ τῆς δυνάξεσι ἀρὴ τῆ κοινωνίνα τῶν ἀνθρωπίνων χαρισμάτων τοῖς ψυχαῖς ἐγίνεται τῶν πιστευόντων εἰς κυρίον & sequuntur mala gravissima alia.

Hortamur igitur & cæteros nostros & scholasticos universos, ut hodiè mox horâ XI. ad exequias funeris ante ædes, quas incoluit M. Sturio noster, conveniant, & hoc ultimum officium deductionis suæ persolvant, administro doctrinæ sacræ & mysteriorum communi, & præsidi studiorum Philosophiæ & conjuncto liberalissimæ communitatis societate, doctori, collegæ, necessario, amico publicè quidem de universis nobis, privatim autem de plerisq; nostrûm præclarè merito. Deinde & publica & privata nostra universa precibus communibus vestris commendamus, cùm multiplices perturbationes impendeant Germaniæ, & non uno in loco à bellis civilibus sint periculamanifesta. Ecclesiam autem quanta mala affligant, ante oculos est omnium & tamen nondum πάντων ἐπὶ πείρατα ἀεθλῶν ἔλθομεν. PP. pridiè Cal. Januarij Anno Christi MDLXII.

Caterùm totâ mente, Schneidewino iterum nobis præeunte, imploremus JESUM CHRISTUM *Filium Dei, ut benignè nos custodiat, & Academiam Vitebergensem, ex qua instaurata veritas Evangelij Christi in orbem propagata est, clementer protegat & omnium etiam, tàm docentium, quàm discentium animos in puritate doctrinæ,*

Digitized by Google

ctrinæ, & ſinceritate vitæ conſervet, eorumq; conſilia, actiones & conatus ad gloriam ſanctiſſimi nominis ſui & communem Eccleſiæ & Reipublicæ utilitatem convertat. Amen.

Epitaphium denique Reverendi & clariſſimi viri, Dn. Magiſtri Johannis Sturionis, inciſum lapidi, quo ſepulchrum ejus tegitur in æde primariæ oppidi Vitebergenſis in choro, eâ parte, quâ ſexus fœmineus ad ſacram Synaxin acceſſurus in genua procumbit, ſic ſonat:

Urbe Nariſcorum natus, quæ Curia fertur,
Hîc poſitus tenui Sturio dormit humo.
Ingenium, virtus, pietas, doctrina, fidesque
Spectata eſt urbi, Leucoreæque ſcholæ.
Doctrinæ vocem ſonuit bis quattuor annos,
In templo ſacras juſſus obire vices.
Hic fidei ad normam Scripturæ ſenſa referre,
Et rectè potuit verba ſecare Dei.
Nec pia libertas, quam poſcit lingva docentis,
Facundisvè aberat lucidus ordo ſonis.
Arte potens variâ, naturęque abdita ſcrutans,
Ægrotis medicam ſæpè ferebat opem.
Integritas, candorque animi, ſtudiumque juvandi,
Nota fuêre aliis, nota ſuêre ſuis.
Denique cùm præſes ſtudiorum publicus eſſet,
Sublatum immiti funere Parca tulit.
Sed merita & pietas, quâ Chriſtum hominesq; colebat,
Hunc terris faciunt & ſupereſſe polo.

Uxor & liberi F.F. MDLXII.

Digitized by Google

ORATIO

DE VITA ET REBVS GESTIS IOHANNIS DRACONITÆ, CONCINNATA, ET RECITATA coram Dominis Colloquij Alvenslebiaci fratribus à IOH. BISM. Alv. 13. Cal. Maij, Anno M DC XIII.

HEraclitus in agone constitutus à discipulis rogabatur, ut notabile quid in medium proferret. Qui nihil respondit, sed digitum volvens revolvensq; significavit, omnia inferiora in continuo motu esse, momento ac resc ere & decrescere, nasci, & denasci. Id quod verissimum esse, quotidiè experimur singuli. Nam & hodiernus dies, à Latinis XIII. Calend. Maij nomine indigitatus, in memoriam revocat nobis vitam & mortem optimi & doctissimi viri, de doctrina cœlestis æternæq; veritatis, & re Ecclesiastica præclarè meriti, IOHANNIS DRACONITÆ, qui hoc ipso die Viteberg æ, secundum formulam Sapientis Hebræi, ἐν ἀγαθοῖς κακοῖς μιμέν@ sub occasu solis, ante annos XLVII. decessit, septuagesimum secundum ætatis egressus annum, nec opus illud Bibliorum quintuplex, quod animo agitabat, absolvere potuit, uti sperabat, & vires corporis, adhuc satis firmæ, polliceri videbantur.

Hujus viri vitam & res gestas, Venerandi & Doctissimi Domini fratres, vobis quoque recitaturus sum. Nihil verò dicam de ejus Patria, quam habuit clarissimam, CAROLOSTADIUM Franconiæ oppidum, sub Episcopatu Herbipolensi. nihil de tempore natalitio; nihil de familia (de his enim parùm constat,) sed studium saltem, vocationis, & exitum vitæ beatissimum annotabo, ex ijsq; laudandi rationes petam.

Quod

Digitized by Google

Quod igitur prima ætatis tempora attinet, indolem præ se ferebat optimam. Ideoq; amicorum suasu in ludum literarium missus fuit, quò liber aliis imbueretur artibus, & feliciter jactis primæ adolescentiæ fundamentis, in Academia Erphordensi literis operam navavit sedulam, ubi & summos in his honores consecutus est, & in doctissimorum hominum pervenit familiaritatem. Ex quibus nominare possumus JUSTUM MENIUM, EURICIUM CORDUM, EOBANUM HESSUM, *&* JOACHIMUM CAMERARIUM, *viros clarissimos, Græcæ & Latinæ linguæ peritissimos.*

Porrò, comparandæ sibi uberioris doctrinæ causâ ad ERASMUM ROTERODAMUM *aliquando excurrit. Et, propter Hebrææ & Chaldææ linguæ studium,* PAULUM FAGIUM *sectatus est, quo non tantùm nostrâ ætate, sed multis retrò annis nemo vixit, qui, illarum linguarum scientiam & usum majorem se habere, declarasset, cùm Hebraico sermone & in colloquiis familiaribus & in disputationibus cùm Iudæis, & aliis uti potuerit, sive spacium ei, sive nullum ad commentandum concederetur. Id quod demonstravit nostris hominibus in explicatione Targumi, seu paraphrasis librorum Mosis Chaldaicæ, suâ.*

Sed ad Draconiten nostrum redeamus. Is post fundamenta cardinalium linguarum percepta, sacris tàm strenuè incubuit literis, ut, in Electoralem Academiam ad Albim sitam commigrans, Theologiæ Doctor renunciatus fuerit, inter initia instaurationis doctrinæ Evangelicæ Anno 1254.

Mores ejus singulatim recensere, non est opus, cùm probati ij fuerint optimis Principibus, AUGUSTO *Saxoniæ Duci, Electori,* ALBERTO *Borussiæ Duci, nec non Cattorum Principi, & totius urbium ac Academiarum senatoribus prudentissimis, à quibus & vocationes habuit multas & varias.*

Marpurgum accersitus plures annos sacras docuit Scripturas, non tamen vitæ curriculum ibi ad motam suâ perduxit, quod HEN-

RICUS

Digitized by Google

RICUS PANTALEON sensisse videtur, cùm ait: In Marpurgensi gymnasio Professor sacrarrm literarum constitutus, magnâ laude suam functionem percgìt, atq; Principi Cattorum acceptissimus fuit. Quin etiam in multis comitiis (præsertim Augustæ Vindelicorum Anno 1530. comparuit, atq; cum Adversariis de controversis Religionis articulis disputavit. Cùm etiam Hebraicæ linguæ esset peritissimus, aliquot Veteres Testamenti libros transtulit & succinctis commentariis explicavit: utpotè Genesin, Psalterium Davidicum, Danielem Prophetam & alia, quæ Marpurgi Anno C. 1537. edidit. Commentaria quoq; in Evangelia scripsit, & Catechismum. Hoc modo factum, ut Draconites inter Theologos magnum sibi nomen comparârit, atq; Scholæ Marpurgensi ornamento fuerit. His sic à Pantaleone recitatis non derogamus fidem; verùm illud, quod sequitur, longè aliter sese habet, ac ipse refert. Tandem, inquit, ibidem (Marpurgi) obijt & honorificè sepultus est.

Qua in re fallitur bonus Panthaleon. Siquidem inde in Saxoniam deductus in præcipuis civitatibus littoris Balthici & vicinia illius Ecclesiis, & inprimis Scholæ Rostochianæ docendo inserviit. Vnde Illustrissimus Princeps & Dominus Albertus Dux Borussiæ eum ad se vocatum in Sambiensi ditione Ecclesiis præsidere voluit.

Respiciens autem Draconites ad celebratam monumentis veterum Origenis operam, qui Sacrarum literarum libros excellenti nomine Biblia appellatos, Hebraicè simul, cum quatuor Græcis versionibus Aquilæ, Symmachi, Septuaginta interpretum, & Theodotionis in uno libro, distinctis juxtaq; se positis columnis, atq; ita Biblia ἑξαπλᾶ, (ut Erasmus legit, secus quàm Epiphanius, qui habet ἑξαπλᾶ.

Etenim ad edendum ea nactus erat patronum tàm liberalem, quàm divitem AMBROSIUM, non illum Mediolanensem, sed alium quendam Comitem Palatinum, secundum Socratem, qui, quò facilius labor procederet, septem ei adjunxit notarios, & puellas non

pancio-

Digitized by Google

pauciores ad scribendum exercitatas, sibiq; per horas invicem succedentes. Et hos amanuenses omnes Ambrosius aluit, quemadmodum ipse Origenes ad amicum scriptâ Epistolâ testatur, quam recitat Suidas, & meminit ejusdem Hieronymus ad Marcellum, Nec non Eusebius lib. 6. Eccles. Hist. cap. 17. & 20. Ad hoc (inquam) rarum diligentiæ & assiduitatis Origenicæ exemplum respiciens Draconites, longo tempore animo agitavit Opus Bibliorum quintuplex, utq; hoc perficere posset, posthabito commodo proprio, divitias, splendorem, atque dignitatem Præsidentiæ Sambiensis reliquit, & in almam Vitebergensium Scholam, post multorum annorum intervallum, hac una de causa reversus est. Nam etsi Complutensis editio ante annos 143. ἐξαπλᾶ exhibuit Biblia, in quam operam Archiepiscopus Toletanus tàm multa aureorum millia impendit, ut sumptibus illis se exhausisse, & æs alienum contraxisse, dicatur, utut aliàs inter opulentissimos Europæ Archiepiscopatus ille habeatur: non extant tamen ampliùs exemplaria venalia. Et augeri hanc utiliter additione interpretationis vernaculæ nostræ, cujus Lutherus autor est, censuit, cùm, quantâ diligentia hæc facta esset, intelligeretur, & quid contulisset emolumenti ad veritatis tùm instaurationem, tùm propagationem.

Proinde licet jam antea multis in lucem editis scriptis testatum fecisset Ecclesiæ fidem & dexteritatem suam in explicanda & propaganda doctrinæ puritate: in opere tamen editionis quintuplicis talis librorum sacrorum unicè sibi laborandum judicavit, eiq; quicquid vitæ concederetur reliquæ, omne destinavit, sicut & sparsim non pauca quasi degustamenta quædam in publicum emissa extant. Particulam cap. VI. Genè Biblijs quinq; linguarum desumptam, quemadmodum non tàm eam, quàm totam Sacram Scripturam excudi voluit Johannes Draconites, annotavit MICHAEL NEANDER Soravienſis in Catalogo librorum quorundam præcipuorum, qui Erotematibus Sanctæ linguæ Hebrææ accessit, p. 428. & seqq.

U Est

Digitized by Google

Est autem textus sic scriptus. Primò dividit quodlibet caput in certos locos. ut Sextum cap. Gen. in hos locos duos communes distribuitur: Explicat causam diluvij, & formam arcæ. Pòst addit textum Biblicum. Vbi prima linea continet dictiones Hebraicas singulas seorsim cum aliquo intervallo, (ut, si forsan in aliis linguis circumscriptione longiusculâ sit opus, subjungi ea absque linea descendentis confusione possit,) positas, secunda Chaldaicas, tertia Græcas, quarta Latinas, quinta Germanicas. He quinq; lineæ omnes sunt transversæ à dextra incipientes, Hebræorum more, ad sinistram. Deinde quodlibet vocabulum habet suam lineam, quæ verso respectu potest vel ascendens vel descendens appellari, cùm quælibet dictio sit quinquies, Hebraicè nimirum, Chaldaicè, Græcè & Germanicè scripta. Postremò textui addit explicationem sententiarum & vocabulorum. Exempli gratiâ: In textu habetur: Fr viderunt filij DEI filias hominum.) Hic in Hebræo est וַיִּרְאוּ à רָאָה quod significat intueri cum voluptate, id est, aversis oculis à lege Dei, qualibus oculis aspexit Heva vetitum pomum. Nec formam hæ vocula, sed libidinis damnant impetum violentum.

Negligebant enim probas suæ generationis, & comptas impiorum Cainitarum appetebant filij Dei, hoc est, nati sanctorum patrum, qui promissionem habebant benedicti seminis erantq; Ecclesia Dei.

Jam verò ut tota res ordine absolveretur: Illustrissimus Princeps, Dux Saxoniæ & Elector AUGUSTUS pro admirabili & ad omnem posteritatem commemorabili munificentia sua sumptus necessarios decreverat, & de administris idoneis, qui autori adjungerentur, mandaverat, exemplo supra nominati Ambrosij, & Archiepiscopi Toletani. Verùm enim verò homo proponit, DEUS disponit.

Namq;

Digitized by Google

Namq; pios istos conatus æterno Deo placuit, ut ex hac vita vir optimus & doctissimus evocaretur, & Reip. & Ecclesiæ fructus ille interciperetur, qui ex his laboribus percipi potuisset amplior fortassis, quàm ex Origenicis illis sescuplicibus vel octuplicibus etiam libris, & tantò quidem magis, quantò vir hic fuit & explicator atq; interpres Sacrarum literarum sincerior & purior, quàm Origenes, cùm & κακόφρονα appellat Origenem Nicephorus, & Epiphanius disertè scribat, hunc τὰ περὶ πίστεως κακῶς δογματίσαι καὶ πλεῖστα τῶν γεγραφῶν κακῶς φρόνησαι, & constet in quinta Synodo Oecumenica multa dogmata ejus improbata, & sectatores horum damnatos fuisse. Autor etiam libri de Spiritu Sancto, qui Basilio attribuitur, οὐ πάνυ οἱ ὑγιεῖς περὶ τῦ πνεύματος ὑπολήψεις ὡριγένην in omnibus habuisse queritur, cùm hic noster, (Christo gratia) veritatis se præstiterit & Doctorem integerrimum, & patronum propugnatoremq; gravissimum usq; ad extremum vitæ halitum, ubi cùm distillationibus, quibus suffocatus tandem fuit, vox interrumperetur, non destitit tamen confessionem fidei suæ ad circumstantes religiosissimam edere, seq;, ut concordi amicitiâ, & charitate scholam Vitebergensem complexus esset: ita unam eademquè cum hac salutarem fidei doctrinam profiteri, & in omni æternitate professurum esse, testatus est, atque ita, non multis horis pòst in Domino placidè abdormivit pius senex major septuagenario, sed corpore adhuc tàm firmo, ut utiles Ecclesiæ & Reip. labores obire, ac perferre potuisset, si Deo ita visum fuisset.

Honorificè autem sepultus est Vitebergæ XII. Cal. Maij, Anno pòst exhibitum in carne Messiam 1566. Intimatio Magnifici Rectoris MICHAELIS TEUBERI *J. V. D. quâ Draconiten commendat, & Academiæ Professores, nec non studiosos ad solennem funeris deductionem invitat, extat Tomo 6. Intimat. Aaa. 4. Ad tumulum tale affigebat Epicedion P. Schedius Melissus:*

Digitized by Google

Hos cineres, hęc busta fides innoxia servat,
Dulcisque spes & charitas,
Filiæ Jovis inclyti, sorores.

Prima sacras lauri frondes, at proxima palmæ
Sparsit virentes ramulos,
Mitis ultima gemmulas olivæ,

Salve chare senex, tu nunc quasi stellula fulges,
Celso micans in æthere:
Hoc tui precium laboris esto.

In ingressu chori templi Parochialis à parte meridionali monumento saxeo insculptum, additâ imagine pueruli JESU *conculcantis caput serpentis, & defuncti insigniis, tale etiam legitur:*

Qui vatum in foliis Christum & velamine Mosis,
Quæsiit, Isaciis fontibus ora lavans,
Luce Draconites clarâ jam conspicit, ipsum,
Pleniùs, è vivo sacraque fonte bibit.

Placidè in Christo obdormivit Joh. Draconites S. Th. D. die XVIII. Aprilis Anno 1566. egressus LXXII. ætatis annum.

Corpus igitur quamvis terræ mandatum sit: ingenij tamen fœtus, & lucubrationes memoriam ejus interire non sinent. Sacros enim aliquot libros Veteris Testamenti ex Hebræo transtulit, & succinctis commentarijs explicavit, ex quibus sunt: Commentarius in Psalmos aliquot, & capitula Generoseos de Christi regno, Anno 1537. publicatus. Sequenti verò anno commentaria in Obadiam & Psalmum XXXVII. Anno 1541. in Psalmum CXII. Laudate Dominum omnes gentes, enarrationes. Psalterium ex Hebræo versum cum scholis seorsim adjunctis, Anno 1543. Commentarius in Danielem ex Hebræo versum cum oratione & indice,

Anno

Digitized by Google

Anno 1544. Postilla per annum in folio 1545. Sunt & Germanicè quædam ipsius nomine edita. Item: Evangeliorum de Jesu Christo Filio Dei libri duo, quorum primo continentur Evangelia ab Adventu, usque ad Ascensionem: altero, ab Ascensione usq; ad Adventum. Catechismus præterea adjectus est. Item scripsit commentaria in Joëlem. In diversos Prophetas interpretationes. Amos Prophetam ex Hebræo in Latinum convertit. Edidit etiam orationes funebres, in obitum Eobani Hessi, super illud 1. Thessal. 4. Ne doleatis. In obitum Gerardi Noviomagi, super illud 1. Cor. 15. Christus resurrexit à mortuis. Nec non in obitum Doctoris Nicolai Magni. & Reverendi patris D. Martini Lutheri. In obitum denique Elisabethæ Blanconentiæ. Item orationem in peste, super illud Jobi 19. Scio quod Redemptor meus vivit. De Catechismo. Super Evangelium Marci 10. De Evangelio concionatore. De officio principis & concionatoris. De victoria principis super Psalmum CXLIX. De Christiana fide super verbum Dei fundata, ad Bremenses. Defensionem conjugij sacerdotalis ex Scripturis. Defensionem concionatorum Evangelicorum ad Colonienses, contra Eberhardum Bellicum. De numeris Oratorijs librum: Carminum librum. Proverbiorum Salomonis textui Hebraico subjecit quatuor aliarum linguarum versiones & annotationes: Idem in aliquot Prophetis præstitit. Quod restat igitur, nos Deo ter Opt. Max. gratias agamus, quòd talem dederit Ecclesiæ suæ Doctorem, tùm ipsius Draconitæ laboribus fruamur, & vitæ studiorumq; exemplo sequamur.

DIXI

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS CASPARI CRUCIGERI, LIPSENSIS, COMPOSITA à Jou. Bism. Alv. in Decembri Anno M DC XII.

NOvember apud Hebræos dicitur Kislev, quod nomen extat in Zacharia & libris Maccabeorum, deductum ab Orione, quem ipsi nominant Kesil propter instabilitatem tempestatum. Ita sapiens antiquitas vocavit menses à physicis causis. Incidit autem in hunc mensem Orionis occasus, de quo Virgilius in lib. 7. Æneidos inquit:

Sævus ubi Orion hybernis conditur undis.

At dulces sunt fabulæ de Orione. Fertur enim necatus à Scorpione, inde fortassis, quod in hoc mense, Oriente Scorpio, occidat Orion. Verùm non invenusta quoque subesse videtur allegoria, significaturq;, à Scorpiis ladi Ecclesiam & veritatis ac justitiæ studiosos. Interim Orion in cœlum transfertur. Sic etsi Scorpij nobis insidiantur, Diabolus nimirum & organa ejus: lætemur tamen, nos rectâ discedere & in æterna Ecclesia Filij Dei coharedes fore.

Hujus rei ideò mentionem facio. Quia decimus sextus dies Novembris memorabilis factus est immatura morte Reverendi & clarissimi olim viri Doctoris CASPARI CRVCIGERI, qui re & nomine crucis Christi fuit gestator, & ejus militiæ, quæ crucis vexillum habet, signifer. Fortiter is militavit, triumphantiq; fidelium choro adjunctus æterno gaudio afficitur, & perfunditur.

Nos

Digitized by Google

Nos igitur quoad possumus, nunc describendo vitam & res gestos tam præstantis viri, memoriam ejus grato animo colamus, & omnibus, quibus licet, humanitatis officiis mortuum prosequamur. Natus est Casparus in inclyta urbe Saxoniæ LIPSIA, *postridiè Calendas Januarias Anno MDIIII. manè horâ 1. post medium noctis. Pater ejus* GEORGIUS CRUCIGER *fuit, cùm aliis civilibus virtutibus præditus, tùm verò hoc nomine præcipuè laudandus, quod & doctrinam cælestem coluit ipse, & magno suo periculo filij sui studia ad Ecclesiæ utilitatem fovit, & provexit. Nam cùm videamus cætera bona omnia fugacia & mutabilia esse, & sciamus hanc totam molem elementarem aliquando interituram: magna profectò est virtus, facultates suas conferre ad Ecclesiam juvendam, quæ erit æterna, ut Christus ad Petrum inquit: Et portæ inferorum non prævalebunt adversus eam. Nec malè collocavit sumptus filio in hunc usum suppeditatos. Quandoquidem is in clarissimum evasit virum, ut Pater non necesse habuerit dicere Homericum illud, quod Cæsar Augustus ingemiscens de Julia filia dixisse narratur:*

αὐθ' ὄφελον ἀγαμός τ' ἐμεμναι, ἀγονός τ' ἀπολέσθαι

O quàm utile fuisset & sine uxore esse & sine liberis perisse.

Decessit autem senior ille Georgius civis Lipsiensis ex hac vita XXVIII. Junij, & sequenti luce sepultus est Vitebergæ Anno Domini MDXLIV. quadrienne vix ante filium Casparum.

Porrò hic Gaspar visus erat initio parentibus segnior, propterea, quod pauciloquus & cogitabundus atque sæpè in mediis sodalitijs quasi peregrinante animo esset, quæ quidem natura melancholicorum est. At cùm celeriter Grammaticen à Georgio Helto, viro optimo, percepisset, posteà Casparo Bornero commendatus fuit. Is statim animadvertit nequaquam tardum, aut ignavam naturam in eo esse, sed avidam doctrinæ, & spe citiùs omnia, quæ proponebantur,

Digitized by Google

tur, arripientem, ita, ut tùm maximè in ea, quæ diſceret, intentam haberet cognitionem, cùm aliud agere exiſtimabatur. Vnde & benè ſperare parentes de filij ingenio juſſit, ijſq; hortator extitit, ut apud Petrum Moſellanum in lingua Græca, & Latina informaretur. Fuit & Croci Britanni diſcipulus & Joachimum Camerarium commilitonem habuit. Cumq; hoc modo feliciter in literis pergeret, & in moribus nihil arrogantiæ, inſolentiæ, aut fuci eſſet: Petrus adoleſcentem, ut filium, complexus eſt, atq; ejus indolem prædicavit. Sic utiliſſimis exercitiis ultra quadriennium excultus, propter luem Lipſiæ graſſantem cum Bernero Vitebergam venit, ut veram de Deo doctrinam cognoſcere, & poſteà Eccleſiæ uſui eſſe poſſet. His Latinis & Græcis literis adjunxit ſtudium Hebraum, atq; omnes tres linguas iſtas ſibi familiares reddidit, ac ſi nativæ ipſi, non inſititiæ fuiſſent. Audiebat etiam ſtudiosè theologos, ac univerſæ antiquitatis certamina, & patrum judicia cum ſacris literis conferebat, verosq; omnium dogmatum fontes quærebat.

Aliquantò pòſt ad Rectoratum Scholæ Magdeburgenſis eſt vocatus, reformatis cum religione itidem ſcholis. Nam qui priùs in ludo literario docendi ſuſtinuerant provinciam, partim jam concionatores deſignati erant populares, partim æditui, partim verò etiam ſenes jam opificio cuipiam manuario ſeſe dediderant, partim denique ad alias quascunq; negociationes animum applicaverant. Interim cecinerunt ipſi auditores in templis cautiones Germanicas Lutheri recens natas. In deductionibus funerum non rarò ſolus paſtor & ædituus tantùm præibant. Et hic ſtatus Eccleſiæ, inter initia repurgatæ religionis exortus annum circiter 1523. duravit, uſque ad annum ſubſequentem 1524. Tùm enim jacto feliciter ſalutis, per emendationem veræ doctrinæ, fundamento, neceſſitas extremum illos, tàm qui ad Eccleſiaſticarum, quàm qui ad politicarum rerum gubernacula ſederunt, ſcholas inſtaurare docuit, utilitas ipſa confirmavit. Sic toti quippè civitati, de idoneis ſucceſſoribus in omnibus vitæ ordinibus, proſpectum videbatur.

Ut

Digitized by Google

Vt enim in semente posita spes est novæ messis: ita omnis reliquæ vitæ expectatio ab educatione puerili dependet. Nec malè canit Ludovicus Helmboldus in Rhythmis suis Germanicis:

Ihr Alten pfleat zu sagen/
Von ewren Kinderlein:
Die werden vns verjagen/
Freylich wird es so seyn.
Alle grosse Herrn
Wandeln beym andern Kinde/
Das mit der Zeit sich finde/
Zu jhrem Standt vnd Ehrn.

Hoc viri ex civibus prudentiores considerantes, Magdaburgi quoq; scholam instaurandam ducebant, præsertim cùm etiam cæremoniæ sepulchrales, & aliæ puerorum auxilia deposcerent.

Ex tot scholis igitur, quæ ante illa tempora passim habitæ fuerant, una saltem collecta est, & quidem primùm omnium in parochia Divi Johannis. Ad quam gubernandam initio Gregorius Willichius, & Conrector ipsius, Sebastianus Wernerus, præceptores ex pristinis adhuc residui. Quorum hic deinceps designatus ad Divum Udalricum Diaconus: ille verò in collegium juridicum, quod Scabinorum vocamus, cooptatus est. Quare cùm deessent jam præceptores & semper accrescens discentium frequtia ex quisitioris cujusdam eruditionis viros flagitare videretur: de communi consilio vocatus est (ut dixi) tandem illùc eodem anno XXIV. Magister Casparus Cruciger. Et cum hoc Crucigero schola urbis verè revixit, atq; ex profundo isto torpore, quo satis diu inter Pontificias tenebras velut sopita jacuerat, quasi resuscitata demum caput extollere cœpit. Docuit autem Cruciger in Schola Johannitana. Legit etiam in æde Divi Stephani, quæ fuit in medio cœmiterio ad S. Johannem, hodierno templo, quod est tertium, nondum ibi erecto. In id sacellum D. Stephani ad audiendum Crucigerum etiam senes nonnulli convenerunt, item Clerici, ex quibus præcipuus fuisse scribi-

Digitized by Google

tur quidam Moringus, & eruditissimus, consultissimusq; vir, Dn. D. Franciscus Pylus, tùm juvenis. Quia verò post hæc auspicatissima scholæ principia, indies auctus est auditorum numerus, usq; adeò ut ædificium scholæ Johannitanæ angustijs suis multos discipulos excluderet: deductus est cœtus scholasticus ad Divum Augustinum à Rectore suo, qui ibidem quoq; docendi officium dextrè & fideliter executus est ab anno 24. usq; ad annum 27.

Tunc Vitebergam revocato mandatum est munus interpretandi Prophetica & Apostolica monumenta, & in templo ad arcem verba Domini explicandi. In ijs functionibus cùm gnaviter pergeret: omnium consensu S. Theologiæ Doctor creatus fuit. Quin & Medicæ artis doctrinam Theologiæ conjunxit, & plurimũ in utraq; facultate profecit. Noverat quippe omnes ferè herbas & frutices. Remedia etiam morborum præcipua exactè ipsi cognita erant. Quare ob eruditionem & vitæ integritatem familiarissimus D. Luthero esse cœpit, quem & ipsum in transferendis libris Propheticis in linguam Germanicã magnâ dexteritate, & assiduitate juvit. Hunc enim atq; Aurogallum, & Förstерum cum Pomerano, Justo Jona, & Philippo, præcipuos Reverendus Pater Lutherus in obscuris locis judices, suaq; fidei & diligentiæ testes habere voluit.

Cumq; Crucigeri in scribendo mira esset celeritas: Id quod in Colloquio Wormacienſi Anno 1540. testatum fecit, Notarij loco, omnia tàm Philippi, quàm Eccij verba incredibili penè manus volubilitate annotando, & Philippum insuper admonendo, quid adhuc de Eccij subtilitatibus refutandum esset, ut etiam præsis Granuel ipsum hoc ornare encomio non dubitaverit: Lutherani scribam habent omnibus Papistis doctiorem: studio indefesso magnam partem enarrationum, & concionum D. Lutheri in scholis & templis excepit, & Autore approbante, edidit. In lucem quoq; misit proprias lucubrationes super Psalmos, & Johannis Evangelium, in quibus veram doctrinam placidis verbis exposuit. Interim tamen ambitiosas novitates detestatus, usitatam Ecclesiæ confessionem & Symbola, Apos-

Digitized by Google

Apostolicum, Nicenū & Athanasium, retinuit, contraq; sophistas fortiter defendit. Vestigia quoq; Dei in natura libenter considerabat, ac sapè dictum Platonis repetebat, gratam de Deo famam in artib. sparsam esse, convinciq; homines, dicebat, ne casu, existimarent, Mundum ex Chao, sive atomis temerè confluxisse. Quia ordo in numeris, in discrimine honestorum & turpium, in motibus cœlestibus, in vicibus temporum, testaretur mentem aternam architectricem esse. Adjungebat etiam Physico & Medico studio artes Mathematicas, & tantum eis operæ impendit, ut inter artifices præstantissimos connumerari potuerit. Erat assiduus in Euclidis demonstrationibus investigandis & eruendis. Sapè cùm magna pars diei alijs lectionibus, aut Reip. curis insumpta esset: in prandio vel cœna Euclidem in mensa collocabat, & in eum oculis & mente intuens, pingebat inter edendum numeros, aut figuras demonstrationi necessarias, ita ut amici dicerent, hanc intentionem Archimedeam esse. Archimedem enim Syracusanum mathematicum quadam ferunt, quasi demulcitum Sirene, seu dulcedine artis huius, cibiq; oblivisci, & corporis curam relinquere solitum: cumq; raperetur subinde invitus ad ungendum corpus, & ad balneum, in foco figuras Geometricas exaravisse: & dum ungeretur, digito lineas duxisse. Et Basilius Magnus, animi pabulum quarens, corporis alimenta sapè neglexit. Idem fecit Cruciger noster. Qui postquam videret, Alphonsinas tabulas à Ptolomaicis discrepare, nec illas tamen cum nostri temporis observantibus congruere, de tabularum emendatione cogitare cœpit. Itaq; cum Erasmo Reinholdo Mathematico doctissimo ea de re conferens, instrumentum parallacticū Ptolemai construxit, cujus duo sunt æqualia latera pedū denorū & ternorū. Item quadrātem circuli, cujus semidiameter non minor esset tribus cubitis. Ibi deprehendit æquinoctiū vernū sedecim penè integris horis fieri tardius, quàm usitatæ computationes ostendunt, licet Autumni æquinoctiū propius ad calculum accedat. Loca etiam stellarum fixarum quarundam observavit, & Opticen probè intellexit, quod ejus generis opera ipsius manu descripta, testantur.

Digitized by Google

Atq; hac ratione de schola Vitebergensi, & universa Ecclesia egregiè meritus fuit, non solum tranquillo rerum statu, sed etiam aspero belli tempore, quo solus ferè sat diu publica scholæ negocia singulari prudentiâ, diligentiâ, & magnitudine animi sustinuit, ut è scheda, ab ipso publicè affixa, apparet, quæ sic habet: Vgneam, urbem honestam, & custodem disciplinæ severam, & nobis amicam, obsidione cinctam esse, certum est. Quòd si fuerit dedita, aut occupata, exercitus hostilis huic adducetur. Etsi autem speramus, Deum mitigaturum esse has calamitates: tamen cùm hic metus sit obsidionis, utilius est teneræ ætati hinc abesse, propter multa pericula, & varios obsidionum eventus. Et Illustrissimo Principi Electori sic visum est, dimittendum esse cœtum scholasticum. Quanquam igitur dolendum est, dissipari hanc scholam, quæ harum regionum Ecclesias erudijt: tamen necessitati pareamus, ac liberum sit cuivis, quò volet, migrare. Sed hoc officium justum, & necessarium est, ut singuli creditoribus satisfaciant. Aliqui ex lectoribus in vicinam urbem Magdæburgam se conferent, ubi, si quam scholæ umbram habere poterunt, hac hyeme operas scholasticas, Deo juvante, facturi sunt. Dabantur 6. Novembris Anno post Christum natum 1566. Quanto autem in metu fuerit optimus Cruciger, cùm tota belli moles Vitebergam devolveretur, & illustrissimus Saxoniæ Dux captivus duceretur: intelligit is qui similia aliquando expertus fuit.

A conjugio deniq; vir pius & honestus non fuit alienus, verùm junctâ sibi vitæ sociâ, præter alios liberos, progenuit filium patri cognominem, qui posteà itidem Theol. D. factus est, & filiam M. Sebastiani Fröschelij duxit in uxorem. Tantum de vita Casparis Crucigeri. De morte quod attinet, eam procul dubio ipsemet lucubrationibus suis acceleravit. Ventriculi enim viribus extinctis, nutrimentum in humorem melancholicum vertebatur, quem copiosè rejiciebat. Ita paulatim contabuit. Tribus verò integris mensibus, quibus decubuit, nulli fremitus, nulla indignatio ab ore languentis prodibat, sed summâ patientiâ sui Salvatoris liberationem expectabat.

Nec

Digitized by Google

Nec tùm quidem studia intermisit. Siquidem aegrotus absolvit versionem libri Lutheri *de ultimis verbis Davidis; atq; subinde ad Mathematica studia recurrit, ita ut cœlum sanctorum habitationem, intùs & extrà contemplaretur. Tandem cùm Ecclesiam & familiam Deo commendasset: anno ætatis 44. Salutis verò nostræ 1548. post diuturnos colicos cruciatus, in quibus sæpè nigram melancholiam evomuit, 16. Novembris ex hac mortali vita Vitebergæ placidâ quidem, sed immaturâ morte decessit, æternam ingressus gloriam, ubi nunc Ecclesiæ triumphantis consuetudine perpetuò fruitur. Memorabilis est eius inter alias precatiuncula, quâ in ultimo mortis agone ad Deum usus esse, fertur: Invoco te, ô Deus, cum fiducia filij tui, licet languidâ, tamen aliqua fide.*

Quibus votis & nostra addemus, in hunc modum orantes: Omnipotens, æterne, juste, & misericors Deus Pater, Fili, & Sancte Spiritus, fatemur quidem indignos nos esse cunctis miserationibus tuis, & promeritos iniquitatibus nostris iram tuam, & mortem, non tantùm temporalem, sed & æternam: Attamen à throno justitiæ ad thronum gratiæ appellamus, misericordiam q; tuam, & bonitatem omnibus generationibus notam imploramus, & precamur, sis nobis miseris peccatorib. propicius, depellas à nobis furorem Satanæ, mundi proterviam, & lasciviæ carnis concupiscentias, & tandem cùm hora mortis venerit, ab omni malo nos liberes.

D I X I.

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS PAVLI EBERI, HABITA â M. BALTHASARE MENZIO, Philosophicæ facultatis Decano, V. Id. Sept. A.C.MDXXC. Vitebergæ.

SI quis vestrûm est, Magnifici, Illustres, Reverendi & Clarissimi viri, vosq; cæteri auditores nobilissimi & ornatissimi, qui hanc illustrem Academiam multarum gentium magistram, vel propter cælestis doctrinæ intemeratam puritatem, vel optimarum artium studia, vel literatissimorum hominum copiam in magna existimatione, laudeq; amplissima reponat: cum illo egregiè rationes meas consentire fateor. Hæc enim illa est Academia, in qua omnium primæ visum est immortali Deo (quo tempore Idolatria & cæca superstitio, Pontificis Romani constabilita tyrannide, totum penè terrarum orbem occupavérat) discussis errorum tenebris, fulgentissimum verbi sui lumen rursus accendere.

Hæc item illa est Academia, ex qua liberalium doctrinarum studia; quæ cum cælesti doctrina perpetuò conjungi, & cohærescere necesse est: pristino nitori restituta, in omnes Germaniæ, aliarumq; provinciarum scholas longè lateq; dimanârunt.

Denique hæc illa est Academia, in qua floruerunt, cum summa ingenij & eruditionis laude, tot in omni doctrinarum genere excellentissimi viri; qui non modò vivâ voce feliciter studiosam juventutem docuerunt, sed scriptis etiam eruditissimis famam suam & nominis celebritatem, cum omni seculorum memoria æquârunt. Ex quo factum, ut nullus hodiè tàm inaccessus, tàm ab omni hominum consortio remotus in terris locus sit, quo non hujus inclytæ Universitatis fama pervaserit: nulla hominum natio ex omni regione terrarum, neq; tàm dissidens à nobis odio atq; dissidio religionis, neq; tàm fide benevo-

Digitized by Google

benevolentiâq; conjuncta, cujus aures animosq; non jam pridem gloriâ & splendore nominis sui compleverit.

Quæ ornamenta nostræ Academiæ quoties ad mentem revocò, & apud animum meum considero, Auditores, toties profectò incredibilis mihi lætitia oboritur. Ac Deo gratias ago immortales, quòd tanto tempore in hac Academia, tanquam in illustri aliquo Orbis terrarum theatro versari, tot clarissimorum virorum ora contueri, eorumq; eruditione & doctrinâ multiplici uti frui mihi licuit. Erant enim hi viri (ut plariq; meministis) non modò excellentibus à natura ingeniis præditi, à studijs liberalium doctrinarum præclarè eruditi: Verùm etiam faciles erant, & in communicanda doctrina benigni, tantò præclariorem existimantes doctrinæ suæ eruditionem, ad quantò plures homines illius usus diffunderetur: ad amicitiam & familiaritatem suam bonos facilè admittebant, quos poterant, non consilio modò, sed re etiam, si opus esset, juvabant: ad pietatem deniq; & innocentis vitæ sanctimoniam exemplo suo facem juventuti præferebant, ut ipse etiam Momus non facilè quicquam hac in parte reprehenderet.

Sed longum mihi esset, præsertim ad alia properanti, de singulis hoc confirmare. Tantùm de uno dicam D. Paulo Ebero, huic omni frequentia, ut opinor, probatissimo viro: cuius præproperâ morte, hæc nostra Academia multa perdidit & ornamenta dignitatis, & præsidia stabilitatis suæ. Ille enim (ut unius exemplo probem, quæ generatim dixi de omnibus) non modò patrem meum dilectissimum, quem hic DEI beneficio præsentem intuemini, amore & benevolentiâ est complexus singulari: sed me etiam inde usq; à pueritia unicè charum habuit.

Cùm enim in triviali hujus oppidi schola, prima illa studiorum jecissem fundamenta: & suasor, hortatorq; patri meo extitit, conceptâ quadã de me expectatione, ut porrò me ad studia literarũ adhiberet: & in Magdaburgensem schola, non ita pridem à clarissimo viro,

M. Abdia-

M, Abdia Prætorio instauratam, & scholasticorum frequentiâ florentem tunc præ cæteris, ipse me cum literis suis ablegavit: Reversum etiam in hanc Academiam, in disciplinam doctissimorum virorum tradidit, & studia mea ipse sæpiùs inspexit.

Pro quibus beneficijs, cùm vehementer doleam, me viventi non potuisse debitam gratiam referre: tamen quod unum à me proficisci potest, memoriam illorum nullo unquam tempore deponam, sed ad omnem prosperitatem gratâ mente celebrabo.

Idq; ut vobis testatum facerem, Auditores humanissimi, cùm ratione officij aliquid hoc tempore à nobis esset dicendum, & diu mecum soliciteq; de argumento idoneo deliberarem: visum tandem fuit, de vita Reverendi hujus & doctissimi viri, Dn. D. Pauli Eberi, Pastoris quondam huius Ecclesiæ fidelissimi, & de meis multorumq; aliorum studijs præclarè meriti, orationem habere. Minimè id quidem, quòd tanto argumento me parem futurum arbitrarer; qui quàm parùm in dicendo valeam, ipse mihi optimè sum conscius: sed ut huius diei vocem testem vobis relinquerem meæ perpetuæ erga ipsum gratitudinis: meoq; exemplo ad similem erga præceptores amoris & gratitudinis affectionem studiosos adolescentes inflammarem. Ac proinde summoperè à vobis & reverenter peto, ut breviter simpliciterq; exponenti mihi, in hac mea mediocritate ingenij, curriculum vitæ & actionum huius optimi atq; integerrimi viri, non aures modò attentas, sed mentes quoq; dociles paulisper adhibeatis. Multa enim adferentur, quæ vobis (ut opinor) & audisse jucundum erit, & meminisse fructuosum.

Nota & celebris Romani Imperij provincia est, Franciæ Orientalis celebrata nomine: quæ quasi in centro Germaniæ posita, & agrorum fertilitate, & generosi vini proventu, nulli cedit vel excultissimæ regioni. Habet ea meridiem versus Suèviam & Bavariam, limitem: quâ septentrionem spectat, longo tractu à Salæ fontibus usquè ad Mœnum, juxta Hessos & Tyrigetas, porrigitur: ab Occidente magna ex parte sylvâ præcingitur, cui à vastitate nomen

Digitized by Google

nomen inditum: Orientale latus vicina Bojemorum regio claudit.

Asserunt autem, ut Arcades & Athenienses, ita & hujus regionis incolas αὐτόχθονας esse: non aliunde infusam gentem. Ac magnam illorum virtutem fuisse, vel illud indicio est: quia & florentissimum regnum in Gallijs condiderunt, & plurimos genuerunt ex se Principes, ita omni virtutum genere excellentes, ut cum laudatissimis quibusq; in contentionem queant deduci. Quod eò recito libentiùs, quia gratum est, & jucundum generosis mentibus, virtutem majorum, & honesta exempla intueri. Multos etiam hæc regio genuit eruditionis & sapientiæ laude ornatissimos viros, excellentes Mathematicos, Poëtas egregios, illustres Philosophos, Theologos insignes: in quorum numero non postremo loco & ille reponendus est, de quo omnis nobis instituta est oratio.

Natus enim est Paulus Eberus in hujus regionis pervetusto oppido KITLINGA, Anno à nato Mundi Servatore millesimo, quingentesimo, undecimo, VI. Idus Novembris, quo die Romanorum Imperator Otto II. Romæ (ubi monumentum ejus vidimus) vitam cum morte commutâsse scribitur, annis retrò quingentis & viginti octo.

Quanquam autem Eberi nostri patria, respectu caterarum Germaniæ urbium, authoritate & potentiâ florentium, minus clara & celebris sit: tamen hoc ipsi ad famam nominis, & virtutis opinionem nihil, existimandum est, afferre impedimenti. Si enim ipse Christus totius orbis Dominus, obscurum & ante id tempus ignobilem pagum, quem nativitate suâ illustrem redderet, elegit: Ecquis huic glorioſum neget suæ patriæ lucem celebritatis intulisse? Si pulchrum est ita abundare, ut nemini quidquam debeas: quis non intelligit Eberi laudes hac in parte illustriores esse: Deniq; si glorioſum est ita illustrare alios, ut nihil ipse splendoris, nihil claritatis ab alijs mutuatus esse videaris: quid ipsi optabilius esse potuit, quàm tali loco nasci? Sed de Eberi patria nunc non agam pluribus, quæ si

vel nobilissima esset, tamen hoc in talis viri laudibus numerandam non putarem.

Alia enim sunt & magis propria hujus viri ornamenta: quæ non splendore patriæ, sed naturæ bonitate: non fortunæ beneficio, sed ingenij præstantiâ: non majorum fumosis imaginibus: sed sua sibi virtute ipse acquisivit.

His igitur omissis, quod ordinis ratio postulat, de parentibus ejus videamus. Hos constat fuisse probos & honestos homines, quiq; ita viverent, re suâ familiari contenti, ut odia facilè declinarent, & sine invidia amicos pararent. Nomen patri erat Johannes Eber, mater Margaritha Pfleumin dicebatur honestis ambo familiis in gente Francica prognati.

Illud autem cumprimis deplorandum est, quod in tàm perturbatum, tamq; infelicem rerũ omnium statum ætas ejus puerilis incidit. Etenim repetite temporis illius memoriam: ponite illam ante oculos barbariem: nugas Mònachorum & impietatem, & detestandam idolomaniam recordamini. Fatebimini profectò, quæ dixi modò, minimè illa quidem à veritate abhorrere.

Platonem, ajunt, virum facilè doctissimum totius Græciæ, sublatis manibus sæpè Dijs immortalibus gratias egisse: quod natus esset non barbarus, sed Græcus, & quidem Athenis, celebri quondam urbe & copiosa, atq; eruditissimis hominib. liberalissimisq; studijs affluente. Quantò justius latandum fuisset huic nostro Ebero, si non in ista barbarie, sed in hac doctrinarum omniũ clarissima luce nasci ipsi contigisset. Minore enim labore, felicitate autem majori, ad excellentem eruditionem adspirare potuisset; & breviori quasi compendio, ad doctrinarum campos rectissimo cursu contendere.

Verùm quæ temporum iniquitas objiciebat impedimenta, ea facilè mira ingenij ipsius nobilitas & præstantia superabant. Nam ingenij tantâ vi erat præditus, ut quæ proponerentur à præceptoribus minimo negocio comprehenderet universa: quæ comprehendisset, ea & probè meminisset, & interrogatus redderet promtissimè.

Qua-

Digitized by Google

Quæ de causa cùm domi ab ipso ineuntis ætatis primordio honestè pieq; esset à parentibus educatus: (Quid enim aliud ab ejusmodi parentibus expectaverimus? qui profectò nihil malunt, quàm quæ in se agnoscunt ornamenta præcipua, virtutem puta & pietatem, ea in sobolem quoq; transfundere) & prima illa puerilium exercitationum rudimenta mediocriter percepisset: in aliam scholam eum ablegandum censuerunt.

Ipse igitur pater, vir prudens & honestus; cùm paulùm jam roboris accessisset ætati, ONOLSBACHIUM *(quod octo circiter milliaria Kittingâ distat, opulentum hoc tempore, & aulâ Marchionis celebre oppidum) filium* Paulum *adducit, Anno supra millesimum quingentisimum tertio & vigesimo. Quo ipso anno etiam matrem suam* Margaritham, *omni matronali laude ornatissimam fœminam, heu nimium immaturâ morte præreptam, amisit, natus annos non amplius. 12.*

Onolsbachij verò cùm viveret Eberus, in disciplinam traditus eius scholæ doctissimis magistris: & diligentiâ in discendo & morum honestate, eam jam tum de se concitavit exspectationem, ut omnes, qui aliquid de ingenijs possent judicare, virum præstantissimum futurum augurati sint.

Sed videte, quæso, quàm sit varia fortunæ commutabilisq; ratio. Vix annum exegerat: fortuna ipsi hanc felicitatem invidere visa est. Nam in morbum incidit, cujus occasione, & corporis decus ac staturam & robur omne amisit, in ipso ineuntis pueritiæ flore.

Quanquam autem scio, Auditores, vos hunc tristem & miserabilem casum non sine gemitu & dolore audituros esse, facere tamen non possum (ut vera extet narratio) quin eum breviter hoc in loco recitem, idq; bonâ fide ex ipso Eberi autographo.

Erat Onolsbachij quidam Paulus Rothaler, civis honestus & Eberi hospes. Hic considerato morbo pueri, patri per literas significat, filium adversâ laborantem valetudine domum ut recipiat. Hoc nuncio allato, jubente ita patre, venit Onolsbachiũ Johannes, (is filiorum

rum erat natu maximus) fratris domum reducendi gratiâ; Qui etsi jussus erat, rhedam conducere: tamen cùm animadverteret, non adeò magnum esse in morbo periculum, pedestri itineri unà cum fratre se committit: sed fato (prò dolor) infelicissimo.

Progressi enim ad quatuor milliaria, incidunt in lanium, equo vehentem quatuor agnos, quem quia noverat Johannes, orat, ut fratri suo, qui ex lassitudine inambulare amplius non posset, equum liceat conscendere.

Assentitur lanius: puer latus in equum insilit: itineris partem aliquam provehitur: lanius & frater subsequuntur. Sed nescio quo fato equus tandem oneris impatiens, sessorem excutit: & quia peronib. fortè indutus erat Eberus, qui non ita facilè è staticulis expediri possent, per quadrantem ferè milliarii ab equo consternato incitatissimeq; currente, miserè per terram raptatur. Tandem delabente calceo (nam dextro pede duntaxat staticulis implicatus hærebat) ipse quoq; decidit.

Hoc verò ingenti damno accepto, quaso vos, Auditores, qua deinde consecuta sint, attendite. Frater iram patris veritus, rem omnem censet occultandam: & quia non nisi parvum vulnus in capite apparebat, de hoc si pater quæreret, hortatur fratrem, in diversorio, ubi pernoctassent, ex lapsu se accepisse, dicat. Pater hoc figmento elusus, nec de vulnere sollicitus esse, nec medicinam admodum curare. Post aliquot verò dies intumescente collo, & causam nec dum aperiente puero Herbipolim itum est ad medicos, qui licet varijs tentatis remedijs, nihil tamen, quod recuperandæ esset sanitati, efficere potuerunt. Sic igitur hic præstans ingenio & eruditione vir, in ipsa pueritia amisso omni corporis decore, curvus & gibbosus factus est, ætatis tertio & decimo anno.

Dum autem totum fermè annum domi ita desidet Eberus, valetudinis curam agens, & afflicti sui corpusculi: accidit interea, ut Noribergam pater ad nuptias invitaretur. Quò cùm esset profecturus, quia acceperat illustrem ludum literarium ibidem à Joachimo Camera-

Digitized by Google

Camerario, viro & Græcis literis & latinis eruditissimo apertum esse: filium eodem secum adducendum statuit. Etsi enim jam olim in eam descenderat sententiam velle se filium hunc Musis & pietati dicatum, in optimarum artium studijs erudiendum curare, tamen hoc adverso casu, qui eum ad alia vitæ genera ineptum quodammodo & inutilem reddere videbatur, non parùm fuit confirmatus.

Erat autem is annus, quo Noribergam venit noster Eberus, à reparata hominum salute MDXXV, qui & rusticana multitudinis seditiosis tumultibus, & obitu laudatissimi sapientissimiq; Principis FRIDERICI III. *Ducis Saxoniæ Electoris celebris & clarus est: De quo ipso Principe, utinam, Auditores, quod pietas jubet dicere & ingenitus bonorum animis amor erga patrem patriæ hortatur, idem mihi temporis angustia, & institutæ orationis argumentum non denegarent. Sic enim perspicuum vobis facerem, quàm multæ in ipso luxerint, cum omniũ celebrandæ laudibus, tùm honestâ successorum æmulatione dignissimæ virtutes.*

Nam cùm intelligeret hic Princeps pro sua excellenti Sapientia, quantum in scholis ad benè beateq; vivendum momenti sit: Scholam publicam Academiæ nostræ in hoc oppidum introduxit. Idem sacram ædem arci contiguam annis ab hinc ducentis & viginti sextem à Rudolpho II. *Saxoniæ duce primùm ædificatam novæ extructionis opere instauravit. Pontem item in Albis fluvio & Cœnobium Augustinianorum, & duo Collegia, quæ etiam nunc manent, in usum Academiæ condidit; Unum illud, in quo jam ad solennem promotionis actum convenimus, & huic è regione oppositum alterum. Pietatis autem quanto studio flagrârit, vel hinc æstimare e proclivi est, quod religionis quadam opinione, ut tunc persuasum erat, & loca sacra Hierosolymorum adijt, & conquisitis undiq; Sanctorum reliquijs, alijsq; rebus venerabilibus Templum arcis magnificè à se reparatum instruxit. Postea verò quàm Lutherus, cœlesti Spiritu plenus Pontificum errores & superstitiones ex verbo Dei*

Digitized by Google

taxare cœpit, & reprehendere, etsi repentinam mutationem in religione fieri noluit: tamen ipse, primus Lutheri *susceptit patrocinium, primus puriorem doctrinam amplexus est. Sed hæc præcidenda mihi in præsenti, quæ si cui ab instituto argumento alieniora videbuntur: ille vel pietati veniam det, oro, vel subditi in principem suum aliquid valere justissimum amorem patiatur.*

Eberus verò noster (ut unde digressa est, eò sese reflectat oratio) annos complures in schola Noribergensi commoratus, cùm ingenio acerrimo esset, & talem haberet præceptorem (Joachimum Camerarium dico) qui omne studium suum & ad bonarum rerũ doctrinam, & ad rationem dicendi, quæ sapientiæ exornatrix est, adhibuerat: magnas progressiones ipse quoq; in studijs fecit. Artes enim quas vocant dicendi, quarum in formanda oratione, & aliorum scriptis judicandis usus est præcipuus, ita cupidè imbibit, ut è condiscipulis paucissimos ei conferre, anteponere liceret neminem. Linguam latinam tàm numeris solutam poëticis, quàm quæ certâ metrorum ratione includitur, usu creberrimo per sibi familiarem reddidit. Græca lingua initia præsertim sub tali magistro, magna cum omnium admiratione didicit. Deniq; omnis liberalis doctrinæ, quæ quidem in eam ætatem cadit, & locum habet in scholis puerilibus, ea jecit fundamenta, ut de præceptorum sententia & consensu inclyti Senatus Noribergensis, Academiæ jam tunc maturum ingenium judicaretur.

Horum igitur consilio usus Eberus, ab amplissimo Senatu Reip. Noribergensis, & quadam præcipua ibidem familia necessarijs studiorũ sumptibus instructus, adit hanc Vitebergensem Academiam, anno ætatis 21. Is erat à salutari nativitate Christi 1532, qui vitæ finem attulit optimo & sanctissimo Principi Electori Saxoniæ JOHANNI, *qui bonitatis laude omnes sui temporis principes superavit, & biennio antè, confessionem fidei in celeberrimis illis comitijs Augustanis, & suo & sociorum nomine, intrepidè exhibuit, & hu-*

Digitized by Google

& huius Academiæ conservator & patronus benignissimus semper extitit.

Cùm enim cœlestis veritatis luce pleniùs & uberiùs mens ejus illustrata esset, ut & studiorum doctrinæ necessitatem, & verum usum collegiorum intelligeret: ipse tandem à Rudolpho in Templo arcis institutum sacerdotum seu Canonicorum collegium cum Academia conjunxit, ut in unum quasi corpus utrunq; coalesceret.

Quam constitutionem patris, cùm posteà JOHAN. FRIDERICUS filius ratam habuisset & templum hoc cum reditibus collegij Canonicorum Academiæ attribuisset (factum id esse accepimus anno 1536, Dominicâ Misericordia Domini: quo die annis XI. pòst, ô inscrutabilia Dei judicia, idem ille magnanimus & constantissimus princeps, τροφεὺς Ecclesiæ & Academiæ, & oppidum Mulbergum in ripa Albis circumventus ab hostibus, prælians captus & ad Carolum V. Imperatorem perductus est) incredibile dictu, quantum Academiæ nostræ & ad dignitatem tuendam, & ad stabilitatem suam, roboris ac firmamenti accesserit.

Non debetis autem existimare, Auditores, aut nullas aut leves causas fuisse, quibus in hanc mentem impulsus est Eberus, ut præ omnibus alijs hanc nostram Academiam, ad urgendum studiorum cursum, sibi quàm aptissimam futuram judicaret. Præterquam enim quòd liberalium artium & linguarum studijs isto tempore una omnium florentissima esset hæc Academia: etiam cœlestis doctrinæ intemeratâ puritate non Germaniæ solùm, sed exterarum etiam nationum oculos jam in sese converterat.

Jam enim annos amplius XLV verbum Dei purum, & incorruptum, explosis Papistarum erroribus, & scriptis & vivâ voce hic docuerat D. MARTINUS LUTHERUS, æternâ memoriâ dignissimus Heros, & verè postremi millenarij Elias: quo neminem Germaniæ sinceræ religionis intelligentiorem non modò non vidit, sed ne sperando quidem aut optando unquam cogitavit:

quem

quem neq; periculi tempestas, neq; honoris aura potuit unquam de suo cursu, aut spe, aut metu dimovere: qui nos omnes ex laqueis Satanæ & retibus Pontificum Romanorum virtute Evangelij expedivit.

Ut enim Scipio ille Africanus, qui suo cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum se subegisse, fato natus dicitur ad interitum exitiumq; Carthaginis urbis quondam potentissimæ & Romani Imperij æmulæ: Ita Magnus Ille Lutherus *cœlesti Spiritu plenus, ad extinguendam pestem Pontificiam, multò rectiùs natus dicitur, cujus nativitatem Evangelista Johannes quadraginta duobus mensibus conculcationis, à tempore ædificatarum à Constantino Magno Basilicarum Romanarum, h.e. ab Anno Christi 340 exactè indicavit,* Apoc. 11. v. 2. *Cujus etiam fortem magnamq; vocem in oppugnanda Papali idolatria proclamandoq; excidio ejus idem Johannes graphicè atq; apertè descripsit,* Apoc. 18. v. 1. 2. 3. *O divine* Luthere, *quàm tu salutē immortalis Dei summo erga nos amore attulisti, quàm improvisam, quàm amplam & planè divinam. Tibi divinitus adjuncti erant συνεργάται & socij laborum consiliorumq; omnium,* D. Philippus Melanchthon, Johan. Bugenhagius Pomeranus, Justus Jonas, Casparus Crucigerus, Johan. Forsterus, Matthæus Aurogallus, *viri uti summâ inter se benevolentiâ coniunctissimi, ita tùm moribus, tùm omni studiorum genere & quàm similimi, & aureæ illius ætatis omnium ornatissimi.*

Itaq; felici omnino longeq; florentissimo rerum omnium statu Vitebergam venit Eberus. Vidit enim tot excellentissima (ut dixi) lumina Ecclesiæ, summamq; inter illos concordiam, amicitiam, conjunctionem vidit. Vidit Professores cæteros Lutherum *ut patrem venerari & diligere. Vidit* Lutherum *vicissim professores quosq; etiam infimæ sortis, verâ benevolentiâ tanquam filios & fratres complecti. Vidit obœdientiam ac reverentiam studiosorum erga*

Luthe-

Digitized by Google

Lutherum *planè admirandam, qui quoties auditorium ingrederetur flexis genibus à scholasticis excipiebatur.*

Commilitones verò & studiorum socios habuit, quibus cum conjunctissimè vixit noster Eberus, ex quibus nominare possumus Laurentium Lindemannum, Vitum Ortelium Winshemium, Erasmum Reinholdum, Vitum Theodorum, Johannem Stigelium, Georgium Majorem, Johannem Matheſium, Georgium Rorarium, & complures alios, qui & ipsi præstantissimi doctissimiq; viri evasêre.

Nec verò mirum videri debet, me horum, quos dixi, virorum societatem & conjectionem cum nostro Ebero in ejus laudibus numerare. Scribit alicubi Æschylus ille qui primus Tragœdias in lucem protulisse dicitur, Amphiaraum vatem ad Thebas hiatu terræ absorptum esse, non quòd iniqui aliquid ipse perpetrasset: sed quia socium comitemq; hominibus impijs & sceleratis sese adjunxerat. Adeò magni refert apud quos vivas, quibus cum amicitiam & societatem jungas. Ut enim aqua, teste Aristotele, per quam terram fluit, illius saporem repræsentat: ita plerumq; cum quibus familiariter quis conversatur, illorum etiam mores, studia, actiones sectatur.

Noster igitur Eberus, quòd non nisi bonorum & virtutis amantium gauderet consortio, eos brevi in studijs progressus fecit: ita vitam & mores suos omnibus viris honestis probavit: ut non solùm propter eruditionem in admiratione esset, sed propter virtutem etiam in amicitiam & familiaritatem domesticam à præcipuis viris admitteretur.

Unde & anno 30. honorem in Philosophia amplissimum (gradum Magisterij vulgò nominant) cum summa eruditionis laude est consecutus: Decano Jacobo Milichio, artium liberalium tunc temporis Magistro.

Altero autem anno post, in Collegium facultatis artium (liceat nobis his usitatis scholarum vocabulis uti) a Decano Philippo Melanch-

Digitized by Google

lanchthone est adscriptus, cui ita charus deinceps, ita perspectus & probatus fuit, ut nõ dubitárit etiam arcana sua, & secretiores literas eius fidei committere. Cùm n. eleganter scriptitaret, & nitides literarum characteres pingeret Eberus: in describendis præcipuis suis materiis ejus uti operâ consuevit. Progressu verò temporis ita paulatim crevit hac intima familiaritas, ut nihil ferè solitus sit inceptare Philippus, nihil scribere, nihil commentari, de quo non priùs cum Ebero suo communicasset: adeò quidem, ut etiam vulgari joco, sed huic viro honestissimo, Philippi Repertorium Eberus diceretur.

Et quia penitùs perspectam haberet Philippus ejus eruditionem, prudentiam, comitatem, & in omni officio diligentiam singularem: multos adolescentes nobiles, aliosq; honestissimis natos familijs, quos aliundè commendatos acceperat, ipsi erudiendos tradidit. Ex quo factum, ut Eberus aliquot annos continuos domesticam scholam haberet, tantâ frequentiâ, tàm magnâ disciplinæ severitate, tanto studiorũ omnis ætatis incremento: ut eum, non dico qui superaret, verùm qui adæquaret hac in parte, non facilè repertus sit.

Quas n. virtutes M. Tullius in summo Imperatore inesse oportere judicat, ut rectè & laudabiliter commisso munere fungatur, scientiam nimirum, virtutem, authoritatem, felicitatem: illis quatuor omnibus Eberus noster, ingentes animos angusto in pectore versans, sic exornatus erat pro suo loco, ut in singulis ferè quiddam præcipuũ & singulare videretur obtinere. Nam si ex effectu de causa licet ratiocinari: quis, quæso, scientiam & eruditæ doctrinæ copiam huic viro, tantâ felicitate & facilitate omnia docenti, detraxerit? si laudi datur, in communicanda doctrina facilem & benignum, non invidum esse: virtute præditum Eberum quis negabit? Si ex disciplinæ gravitate præceptoris authoritatem licet colligere: eam in Ebero eximiam fuisse, ecquis mecum nòn fatebitur? Si felicitatem denique arguit erudita discipulorũ copia, quis non felicissimum in docendo eum fuisse sentiat?

Prodierunt enim magno numero è schola & disciplina Eberi, multi

Digitized by Google

multi clarissimi praestantissimiq; viri, qui hoc tempore per totam fere Germaniam sparsi, partim in templis populum de pietate in Deum, & Christiani hominis officijs docent: partim salutarib. consilijs & jure dicendo resp. gubernant: partim in tuenda sanitate corporum: partim in erudienda tenera aetate non minùs utilem operam communi hominum societati praestant. Quod ipsum profectò multò Ebero nostro honorificentius, multò ad nominis perpetuitatem gloriosius est: quàm si vel bellator strenuus multas cruentas ex hostibus victorias reportasset, vel mercator impiger lucrum undiq; consectans ingentes suis opes & thesauros reliquisset.

In hac autem parte dum versatur oratio mea, illud vos magno perè oro atq; obsecro, Auditores, ut taciti apud animos vestros ipsi expendatis, quàm ingens vitae praesidium ac ornamentum sit, incidere in praeceptores eruditos, prudentes, benevolos, & vitae officiorum intelligentes. Si enim in erudienda juventute, eum bonis literis & pietatis documenta conjungenda sunt: si mores disciplinarum ad humanitatem & modestiam flectendi: si in castigando modus, & ratio certa tenenda: si denique integritate vitae praeclaris virtutum exemplis juventuti ipsi praeeundum est: quis non videt, praeceptores his, quas dixi, virtutib. cumprimis ornatos esse oportere? Vos igitur discipuli Eberi, felices hoc nomine, vos beatos praedicare possumus. Vos talem inveniistis praeceptorem, qui & singulari esset vitae innocentiâ, & doctrinae eruditione multiplici. Vos talem nacti estis magistrum, qui non solùm linguam in dicendo promptam reddere, sed & pectus vestrum ornare posset, & complere maximarum rerum copiâ.

In docendo namq; Eberus eum cursum tenebat, qui plurimùm ut proficeret suae disciplinae concrediti adolescentes, quam aptissimus esse videbatur. Plerasq; n. Philosophiae partes breviter & dilucidè explanando percurrebat: eoq; non contentus, repetendo etiam (quod à pleriq; hoc tempore, propter laboris molestiam, ferè negligi videmus, cum magno discentiu incommodo) diligenter auditorib. inculcabat. Adjungebat etiam disputationum & declamationum exercitia: ex quib. magnas utilita-

ad pubem scholasticam redire intelligebat. Cumq; multos haberet in auditoribus suis ætate grandes & mediocri doctrinâ præditos, horum precibus adductus (quòd Sacrosancta Theologia studio se totos tradere decrevissent) succisivis horis enarrandas aliquot D. Pauli Epistolas in manus sumsit. Qua in re tàm fidelem ipsi operam navavit noster Philippus, ut non solùm, quæ in explicatione epistolarum tractanda essent, monuerit, sed plaraq; etiam suapte manu præscripserit. Quod in multis quoq; aliis doctrinæ partibus ab hoc laborum patientissimo viro factitatum fuisse meminimus. Nam & Physicam doctrinam initiò, ut eam privatis suis discipulis dictaret, in gratiam Eberi nostri congessit.

Satis mihi multa verba feciss̃e videor, Auditores, qualem domesticam scholam, complures annos, magna sua cum laude & discipulorum utilitate, Eberus noster habuerit. Restat, ut de professione ejus publica dicendum etiam videatur.

Hic verò si vela orationis meæ pandere, & aperto mari velim invehi, ingens mihi campus dicendi proponitur. Sed quia temporis angustia brevitatem postulare videtur, quæ mihi ipsi, non copioso homini ad dicendum gratissima est: faciam illud, quod Imperatores prærenata in bello facere consueverunt. Hi enim si angustijs locorum inclusi, ad pugnam educere universum exercitum non queant, optimos & lectissimos milites primùm in aciem subducunt, cæteris remotis: itidem ego capita modò rerum & præcipua negocia leviter delibare, ac tantummodò perstringere volo.

Cùm magnus ille Melanchthon (quem toties, ut ipsius dignitas postulat, honoris gratiâ nomino) Eberum nostrũ summo propter ingeniũ amore complecteretur, & ejus operam Academiæ imprimis utilem futuram prospiceret: ut eum in hac Academia secũ retinere posset, in votis semper habuit. Quam ad rem quia conjugiũ aliquid habere videbatur momenti: non fuit ipse gravatus, vir cumprimis officiosus, & ad omniũ nutum paratissimus, ut Lipsiæ virginẽ honestam, cui Helenæ nomen erat, uxorem Ebero dispiceret. Quam ipsam cùm

legitimo

legitimo matrimonio sibi conjunxisset Eberus A. C. 1541. amantissimè simul & suavissimè cum ea vixit, ius annum usq; vicesimum octavum: & Deo benedicente, fœcundam expertus est conjugium, numerosam sobolem ex ea procreavit.

Triennio pòst, in senatum professorum summa omniũ cum gratulatione & lætitia est cooptatus, anno ætatis 33. Ac primùm quidem eam obtinuit provinciam, ut Grammaticam orationis congruæ architectatricem, & Latinæ linguæ scriptores, studiosis adolescentibus interpretaretur. Gravi enim & sapienti consilio, à majoribus nostris introducta consuetudo est, ut in hac Academia unà cum superioribus artibus & disciplinis, etiam illa studiorum quasi incunabula & prima rudimenta publicè doceantur.

Quamvis igitur hæc Grammatica professio in speciem vilis, & abjecta videretur, nihil habens dignitatis, aut splendoris: tamen eam in docendo diligentiam in explicando fidelitatẽ præstitit Eberus, ut & summã laudem omniũ testimonio demereretur & ad sublimiorẽ dignitatis gradũ, aditũ sibi paulatim patefaceret, & quasi viã sterneret.

Sed consecutum est paulò pòst bellum illud acerbum huic genti & luctuosum toti Germaniæ: quo in bello Saxonia Elector Iohannes Fridericus æternâ memoriâ dignissimus princeps, dũ exemplo Ezechiæ pia arma capit pro defensione veræ religionis, exemplum fecit fortitudinis & constantiæ singulare: & hæc urbs pòst aliquot dierum obsidionem, in Cæsaris potestatem venit A. 1547. Quo ipso tempore Eberus noster cum Doctore Casparo Crucigero Rectore Universitatis templiq; arcis concionatore, Johanne Bugenhagio Pastore & alijs quibusdam in urbe mansit: obsidionis pericula fortiter pertulit: liberationem magno erectoq; animo expectavit.

Sedatis a. belli tumultibus, cùm sub Mauricio Electore mediocris tranquillitas huic oppido reddita, & bello dissipata Academia instaurata esset: cæteriq; Professores ad docendi labores redijssent: Eberus etiam nihil sibi cunctandum ratus, ad urgẽdum curriculum suæ vocationis incubuit, tantâ quidem diligentiâ ut non contẽtus Gram-

Digitized by Google

matica & Latinæ linguæ professione (quam initio ipsi assignatam fuisse diximus) omnes ferè totius Philosophiæ partes ordine explicarit: atq; ita per parva quædam incrementa, longo tempore paulatim se ad summum dignitatis gradum evexerit.

Ut n. ipsam naturæ vocem, testimonium de Deo clarissimum dicentem, in aspectum hominum, lucemq; produceret: à Logicis artibus ad cæli contemplationem digressus, quibus motib. Deus, & quàm varijs cæleste: corpora ornaverit: quas vices stellis affectionesq; tribuerit: quâ magnitudine, quo situ, quibus passionibus, officijsq; donaverit: quem finem deniq; in condendo, quas hominum commoditates respexerit, diligenter auditores suos edocuit. Naturalium item corporum principia ostendit: causas generationum, corruptionum, aliorumq; motuum aperuit: qualitatum pugnas, & mutationes inde ortas & mirandam corporum nostrorum fabricam, dissimilesq; animæ vices ingeniosè explanavit.

Ethicam quoq; doctrinam, quâ nihil ad vitam humanam tranquillè degendam magis est necessarium, quæ mores hominum instituit ac formal, omnesq; vitæ actiones virtutis norma dirigit: naturæ contemplationi tanquam coronidem subjunxit. Omnes enim animadvertit, qui verum doctrinæ fructum intelligerent, hunc suis è studijs fructum potissimùm auferre cupere, ut & optimorum elegantia & amplissimo virtutis decore ornati, vitæ negotijs q; mortalium quàm certissimè queant consulere.

Erat a. sub illud tempus (ut meminêre ex vobis aliqui) templo Arcis præpositus D. JOHANNES FÖRSTERUS, Theologus insignis, & Ebraæ linguæ professor celeberrimus. De cuius laudib. etsi hic locus non est, ut multa dicantur, illud tamen silentio prætereundũ non videtur: consuevisse Reverendum patrem Lutherum cùm præmanibus haberet Germanicam Bibliorum versionem: cùm aliorum, quos sciret linguarum peritos esse, tùm hujus quoq; de Ebraea phrasi judicium exquirere: ne sua solius sisteti isset sententia ansam calumniandi veritati hostibus præberet. Non rarò etiam, cùm impar

Digitized by Google

pari calento contraria dicta essent sententiæ, hujus judicium cæteris antepositi.

Huic igitur Forstero (cùm ille A. C. 1556. ex hac mortali vita cælestis Ecclesiæ consuetudinem emigrasset) successor in ædi arci contigua datus est Eberus. Nam præterquam quòd artium & linguarum cognitione excelleret, etiam in cognoscendis rectèq; intelligendis ijs libris, quibus sanctissima divinæ vocis oracula sunt comprehensa annos jam plures desudârat. Qua etiam de causa cùm ad gubernacula huius officij accessisset, tantâ fide, industriâ, autoritate omnia ab ipso administrata sunt, ut Dei ipsius nutu atq; consilio & gesta & provisa esse viderentur.

Ac virtutis quidam & doctrinæ ipsius præclaræ insequens statim annus documentum illustre dedit. Cùm enim auspicijs Ferdinandi Imperatoris colloquium institutum esset Wormaciæ, in quo dissidentes in religione Theologi (Lutheranos dico & Pontificios) de controversijs doctrinæ Christianæ capitibus sententias conferrent: inter alios ipse etiam dignus est habitus, qui à nostra parte, unà cum Philippo Wormaciam ad hoc colloquium mitteretur. Nec obstat, quòd exoptatissimum hoc diuq; deliberatum colloquiũ nefarijs quorundam technis & artibus Sinonijs turbatum, sine fructu aliquo insigni ferè abierit, aut certè eum finem qui sperabatur, non sit consecutum. Nam utut ea res se habeat, tamen, qui ancipiti adhuc victoriâ, contra tàm instructos hostes mitteretur, de illo certè præclaram opinionem conceptam fuisse, nemo sanæ mentis addubitaverit.

Sed pergo in historia. Interim namq; (neq; ita longo intervallo) accidit, ut venerandus senex D. Iohannes Bugenhagius Pomeranus, cujus consilio, virtute, autoritate, addo & eruditione & pietate annos amplius sex & triginta piè & feliciter hac gubernata Ecclesia erat, quo cum Eberus noster toto vitæ tempore conjunctissimè concordissimeque vixit, in pia & ardenti invocatione filij Dei ex hac mortali vita discederet, in senectute bonâ & plenus dierum, ut de Abrahamo Scriptura loquitur.

Cùm

Cùm igitur omnes essent propter obitum Pastoris luctu squalidi, propter successorem mente dubij: visus is tandem unus Eberus fuit, cui tàm amplum munus quàm rectissimè committeretur, qui docendi felicitate defunctum pastorem repræsentare, virtute auditorum exspectationem sustinere, eruditione difficultates tanti officij, Deo adjuvante, superare posse censebatur. Quamvis autem (ut erat modestissimus noster Eberus) multas initio sui excusandi rationes quæreret, nunc officij magnitudinem prætendens, nunc virium suarum infirmitatem: tamen quod indignum videretur, & Deo vocanti ad verbi sui ministerium & tot clarissimorum virorum præclaro de se judicio, ac præsertim Philippo unicè hoc flagitanti, pertinaciùs reluctari, tandem assensus est. Accedebant enim ad senatus Academiæ consensum etiam Oppidani senatus suffragia, & gravissima Principis Electoris authoritas: qui neminem Ebero in hoc officio præferendum unanimiter omnes censebant.

Anno igitur 1558 de sententia Illustrissimi Principis Augusti Ducis Saxoniæ, & creandis Romanis Impp. Septemviri, Domini nostri clementissimi, & tot præstantissimorũ virorum unanimi consensu, Pastor huius Ecclesiæ Vitebergensis creatur & confirmatur Eberus noster annos natus amplius sex & quadraginta.

Quantâ autem fide & diligentiâ per annos ferè undecim huic officio præfuerit: Quantâ felicitate verbum Dei docuerit: quo animi ardore Adversarijs se opposuerit, & sanæ doctrinæ corruptelas refutârit: quàm insigni denique exemplo ad pietatem, & honestæ vitæ officia facem auditoribus prætulerit: nihil opus est præsertim apud vos agentem, pluribus exponere.

Etenim cùm tres sint potissimùm virtutes, quibus ornatum esse Doctorem Ecclesiæ oporteat, eloquentia videlicet, sacræ scripturæ peritia, & zelus seu fervor Spiritus (quæ & Apollini illi Alexandrino in Actis Apostolicis tribuuntur) certè & in Ebero nostro istæ luxerũt. Nam dicendi facultatem, quâ cogitata mentis non modò verbis aperire, verùm etiam coloribus illustrare poterat: cùm singulari quodam

natura

Digitized by Google

naturæ beneficio, tùm incredibili studio, & assiduo usu, eximiam sibi comparaverat: in Scriptura verò sacra tantũ poterat, ut etiam principes extranei in dijudicandis controversijs operâ & studio illius sint usi, eoq; nomine legatos ad eum miserint. Neq; deerat zelus, & Theologo dignus ardor seu fervor Spiritus, quoties à flagitijs revocati homines ad pietatem & virtutis studium inflammandi essent.

Quia verò quem Numinis divini favor & eximiæ suæ dotes in tàm celsam dignitatis sedem evexissent, cum honore etiam majori cohonestari par erat: perfectum fuit authoritate mandatoq; Illustrissimi Principis Augusti, ut Eberus gradum Doctorum Theologiæ sibi tribui petierit.

Id quod nono & quinquagesimo anno factum fuisse meminimus, mensibus saltem quatuor priùs, quàm diem supremum obiens Melanchthon, disputationis ejus præses, heu triste sui desiderium huic Academiæ, & luctũ bonis omnibus relinqueret. Decanum habuit Eberus, à quo hoc amplissimo titulo ornaretur, virum clarissimum D. Georgium Majorem, qui utinam ut culpam erroris, sic etiam suspicionẽ vitare potuisset: & competitores habuit Paulum Crellium virum ornatissimum, & præterea duos alios.

Sed quia animadverto propter temporis angustiam, moderandũ jam mihi esse orationi meæ, fugiendamq; vestram satietatem: quæ dicenda restant, Auditores, ea in pauca conferam, capita modò rerum quàm brevissimè perstringens. Anno igitur 64, Jenam vocatur Eberus ab Academiæ illius Professoribus, ut habitâ disputatione, pro more nostratium scholarum, in Theologiæ Doctorem promoveat Johannem Stösselium, quem longo tempore & Jenensis Academia Professorem, & Superintendentem Ecclesia Pirnensis habuit.

Postea elapsis annis quatuor unà cum Doctore Paulo Crellio Onolsbachium proficiscitur, evocatus ab Illustrissimo Principe Georgio Friderico Marchione Brandeburgensi, cujus pietas & planè regia in literatos munificentia totâ passim Germaniâ celebratur. Adeò autem virtus & industria Eberi, in componendis con-

troversiis, qui ibi inter Onoldinum Superintendentem & Concionatores cæteros inciderant, probata fuit huic optimo & liberalissimo principi, ut & ipsi honorarium amplissimum, & uni ex ejus filiis, stipendium in singulos vitæ annos decreverit.

Francicum iter mox Altenburgense colloquium excepit. Quod colloquium licet optimo consilio ab Illustrissimis principibus ac Dominis, Dn. Augusto Electore & Dn. Iohanne Wilhelmo patruelibus Ducibus Saxoniæ institutum fuisset: ut sicut in politicis jam factum esset, ita in religione etiam sublatâ omni litiũ & mutuarum condemnationum materiâ pax constitueretur, & vero ac stabili concordiæ vinculo utriúq; animi devincirentur glorioſiſſimo ad omnem posteritatem exemplo: tamen collocutorum importunitate abruptũ, piorum expectationi minimè respondit. De quo nunc quidẽ dicendi non est locus. Ab hoc autem colloquio domum reversus Eberus in morbum incidit, cõtractum ex frigore in primis & mutatâ victus ac diæta ratione, quo & paulò pòst extinctus est, ut mox dicetur.

Pertexui hactenus, quâ potui brevitate, historiam vitæ Dn. Eberi. Superest, ut & de monumentis ejus, quæ posteritati reliquit, pauca moneam.

Nam ut de eo nihil dicam, quod paulò ante mortem, motus haud dubiè quodam futurarum mutationum præsagio, scripta Lutheri de Cœna Domini, itemq; Philippi denuò excudenda curárit: ipse etiam libellos aliquot utilitate necessarios, brevitate faciles, perspicuitate planos & apertos, tàm Latino, qàm Germanico idiomate composuit, partim ab ipsomet, partim post ejus obitum ab alijs in lucem editos: quibus bonam cœlestis doctrinæ partem explicans, ingenium ac eruditionem suam ad sempiternam posteritatis memoriam conseravit. Inprimis verò magnam laudem meretur ille labor, quem jussu hortatuq; sapientissimi Principis Augusti in edendo geminato Bibliorum opere, per integrum sesquiannum impendit. Cùm enim versioni Germanicæ Lutheri proximè adjunxerit, seu opposuerit Latinam Hieronymianam, verùm plerúq; in locis (ubi illa nimium à fon-

Digitized by Google

à fontibus discrepat, nunc plura infarciens, nunc recitans pauciora) fideliter priùs correctam: non hoc solùm consecutus est (quo tamen fine potissimùm Princeps Elector ad duo millia aureorum editioni hujus operis impendisse dicitur) ut minùs exercitati in lingua Latina adminiculo hujus voluminis eam perdiscant faciliùs: sed perfecit etiam ut exterarum nationum homines, latinæ linguæ cognitionem habentes, etiam Germanici sermonis intellectum usumq; minori cum difficultate & tædio sibi possint comparare; atq; adeò unâ eademq; operâ dum linguam addiscunt ipsam etiam doctrinam cœlestem ex hoc volumine Biblico haurire. Edidit & alia quædam, quæ quia in omnium manibus versantur, nihil attinet dicere.

Ut autem omnium temporum consuetudo tulit, ut viris virtute & sapientiâ præ alijs eminentibus Zoili non deessent: ita & Eberus noster suos habuit obtrectatores & flagellatores. Quibus tamen aliud non respondebo in præsentia, quàm minimè nos mirari, si quid ab improbis de viro optimo atquè integerrimo improbè dicatur. Videmus enim hac tempestate, odium haud obscurum insitum & inclusum esse illorum animis, quos lenitatis & mansuetudinis exemplo, vel maximè alijs prælucere decebat: quo odio atrocissimè prosequuntur eos, qui melioribus (ut sibi videntur) rationibus freti, vel minimùm ab ipsis dissentiunt, nec statim illorum placitis per omnia subscribunt. Ab hac igitur communi omnium eruditorum sorte, quid mirum, si Ebero quoq; nihil contigit præcipuum aut singulare? Cujus tamen honori atq; existimationi tantum abest, ut quidquam derogent Sycophantarum calumniæ: ut etiam virtutes ipsius, quarũ multa ille non adumbrata sed expressa signa habuit, hac ratione clariores in lucem sese proferant. Ut enim corporis præsentiam umbra arguit, ita quæ semper optimum quemquè premit florentem fortunam, & virtutem illustrem invidia arguit atq; æmulatio.

Verùm ut ad finem tandem decurrat oratio, age, de vitæ exitu, & morte Eberi jam dicamus. Cùm Altenburgi, ubi colloquio inter-

fuerat (ut paulò antè diximus) tùm ex diæta seu victus diversi ratione, tùm ex frigoris, quod tùm erat, vehementia incommodi nonnihil contraxisset; valetudine adeò tenui & afflictâ domũ redijt, ut etiam Balthasari Menzio patri nostro, quo multùm ille familiariter utebatur, ipsemet dixerit, se non aliâ ratione, quàm ipsâ morte hujus profectionis incommoda correcturum esse. Quod & eventus comprobavit. Nam simul ac domum redijt (cùm quidem non multò ante conjugem dilectissimam Helenam, in vera agnitione & fiducia filij Dei ex hac vita discedentem, ad illam optabilem felicium animarum cœtum præmisisset) ex catharris ægrotare cœpit: qui quod in dorsum & ad os sacrum decumberent, aperta ibi duo apostemata sanie fluxerunt per menses duos, deinde obortum erysipelas in utroq; crure secuta est febris. Quamobrem morbo ingravescente tandẽ in ardentissima Filij Dei invocatione & constanti confessione placidè expiravit, die Decembris X. A. C. MDLXIX, & postridie in templo Parochiali honorificè sepultus est hic præstans ingenio & eruditione vir: cujus fideli operâ, studijs, consilio, authoritate complures annos hæc Ecclesia & Academia magno suo cũ fructu est usa, cùm vixisset annos 58, & dies 32. annis ampliùs duobus climacterem heroicum excedẽs. Cujus obitu universa schola nostra sic afflicta luctu fuit, attestante hoc vestrâ omniũ memoriâ, ut nemo unquam unici filij mortem magis doluerit, quàm illa mœrebat sui pastoris. Cùm n. intelligeret, in quo ipsa discrimine versaretur, quaq; temporum ac rerum omnium esset facies; illius viri se spoliatam authoritate dolebat, magno rerum suarum dispendio, qui post exemtũ rebus humanis Melanchthonem ut Atlas cœlum, sic ipse hujus Academiæ onera suis humeris potissimùm sustinuisset. Nec verò fallebatur hac in parte suâ opinione. Quantum n. post obitum Eberi, Academiæ nostræ de pristina sua dignitate decesserit, quæ mutationes aliquantò pòst insecutæ sint, quæ calamitas ad Ecclesiã Vitebergensem & conjunctus pervenerit, hæc ego omnia, Auditores, (ne aut refricare obductam jam Academiæ cicatricem, aut luctum vobis & gemitum alienissimo tempore renovare

vare velle videar) in cogitatione vestra malo, quàm oratione mea relinquere.

Interim illud vos magnoperè oro atq; obsecro, ne velitis tenuitate orationis meæ potiùs, quàm rerum ipsarum magnitudine laudes huius præstantissimi viri ponderare: quæ quantum ego opinione augurer, non modò in hac Academia, ad quam illarum fructus potissimùm pervenit, sed etiam in exterarum gentium sermonibus ac mentibus semper adhærebunt.

Tibi verò æterne Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, toto pectore gratias ago, quòd tradito verbo tuo tuamq; voluntatem arcanam humano generi revelasti: quod cœlestem doctrinam mirè priùs obscuratam & depravatam in hoc oppido primùm à fermento Papisticarum superstitionum repurgari, atq; hinc ad alias gentes eam emendationem promanare, voce & scriptis incomparabilium virorum voluisti: quod me etiam natum in hac vicinia, atq; adeo in gremio huius Academiæ educatum, ad societatem veræ Ecclesiæ vocasti, & in longinquis sæpè ac periculosissimis peregrinationibus umbrâ manus tuæ protectum benignè custodivisti: quod principes his regionibus, pietate atq; omni laude clarissimos concessisti, quorum liberalitate sæ incoatam, conservatam, fundatam, instauratam, atq; amplificatam hæc Academia fatetur. Te præterea, benigne Deus, piè suppliciterq; oramus: ut semper tibi Ecclesiam colligas, & serves in his regionibus: ut dones pios ac salutares doctores, à quibus in viam veritatis deducamur: ut abigas & depellas à nobis omnes hæreses & corruptelas sanæ doctrinæ, quibus ita scatent hæc postrema Mundi tempora, vix ut periculosiora unquam fuisse videantur: Clementissimum quoq; Principem nostrum Augustum Ducem Saxoniæ, & Romani Imperij Septemvirum unà cum generosissima conjuge & inclytis liberis diu florentem & incolumem conserves: eumq; tuo Spiritu sic regas, sic illumines, ut quærendo huius Academiæ incrementum, & sibi immortale decus ac sempiternam gloriam & toti huic ditioni salutem & felicitatem pariat atq; relinquat. DIXI.

ORATIO
DE FACTIONE CRIPTOCALVInianorum Vitebergensium, f. à I. B. Anno M. DC. XIII.

SI hoc difficilimo tempore viveret Hesiodus, praesentemq; quasi fatalem multarum calamitatum concursum, quo vexamur, & afflictionum molem, quâ premimur, intueretur; nunc maximè pixidem Pandoræ apertam esse, & omnia loca infortunijs & malis impleta diceret. Verùm enim verò nos fide Christianâ imbuti magis verè fateri cogimur, DEUM *universos veluti indignationis suæ adversus hominum peccata exercitus, simul & semel emisisse. Quid enim (ut annonæ charitatem & pestilentiæ luem hinc inde grassantem, præteream,) sibi aliud volunt horribiles, & vehementes terræmotus, præsertim illi circa Bilfeldiam, non tantùm arbores, quantumvis solidas & proceras, montesq;, ac edificia tàm sacra, quàm profana, sed totam regionem potenter quatientes, non aliter, ac si, secundum Poëtarum figmenta, vasto quodam Æoli in antro luctantes frementesq; venti magno cum murmure telluris erumpere conarentur, nec tamen ob superimpositos montes possent. Ubi metuendum, (ni exitum commodum impetrent) ne facto hiatu cuncta secum abripiant, aut totam evertant oram. Quid aliud sibi volunt impressio illa aëris, gravissima tempestas, item nubium ruptura, & inundatio Vinariensis? Quæ parùm differt ab hac descriptione Diluvij Ovidiana:* cœli

Terribilis piceâ tegitur caligine vultus:
Fit fragor & densi funduntur ab æthere nimbi.
Sternuntur segetes & deplorata colonis

Vota

Vota jacent, longiq; perit labor irritus anni.

Et:

Exspaciata ruunt per apertos flumina campos,
Cumq; satis arbusta simul pecudesq;, virosque,
Tectaq, cumq; suis rapiunt penetralia sacris.

Et iterum:

Occupat hic collem: cymbâ sedet alter aduncâ,
Et ducit remos illîc, ubi nuper arârat:
Ille super segetes, aut mensæ culmina villæ
Navigat.

Quid deniq; aliud multa & magna magnarum urbium Northusæ, Magdaburgæ, & aliarum incendia? Quæ, proh dolor, plurimerum annorum, imò seculorum, opus & multorum millium hominũ labores paucis horis absumpsêre: Was die Völcker gearbeitet haben/ ist mit Feur verbrandt/ Vnd daran die Leute müde worden sind/ ist verlorn/ *ut cum scriptura loquar. Habac. 2. cap. in Germ. verò interpret. cap. 3. O calamitatem insignem! Lachrymas mihi, & multis bonis viris elicit deformitas inclytæ civitatis Magdaburgæ, cui plus debeo, quàm Patriæ, cùm hæc me genuerit, illa verò literarum & pietatis doctrinâ formârit, quanquam & ipsa ob vicinitatem Patriæ est; dum oculos conjicio in eius cineres, vacuas areas, domorum rudera, diruta templorum turrium q; fastigia, adeò, ut in urbe urbem quærere, mihi fermè sit necesse.*

Scribit Polybius se Scipioni Aemylio astitisse spectanti urbis Carthaginis incendium. Qui cùm lachrymans versum recitâsset:

Illa dies veniet cum fato Troja peribit,

Interrogat Polybius, quid hi gemitus, hæ lachrymæ, & hæc dicta significent? Respondit Scipio, se cogitare miserabiles generis humani vicissitudines & casus, futurumq; aliquando simile urbis Romæ excidium. Ita nos ex hoc Vulcano Magdaburgico agnoscamus vanitatem omnium rerum visibilium, dicentes:

Illa dies veniet cùm totus corruet orbis.

Vel ut

Digitized by Google

Vel ut Naso Poëta canit Metamorphoseon lib. 1.

Esse quoq; in fatis, reminiscitur, affore tempus
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia cœli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Cæterùm hac de re cogitanti mihi in mentem venit longè gravius miseriarum genus, quod non tantùm corpus, sed animam simul perdere solet, hæretica nempè pravitas, & à sinceritate veritatis divinæ secessio. Ad cujus comparationem reifamiliaris naufragia, bonorum direptiones, inundationes, incendia & alia mala temporalia, pro nihilo, aut certè pro ludicro sunt habenda negocio.

Quia igitur falsorum dogmatum autores & propagatores nosse, utile est, tùm ut utriq; refutentur, tùm ut tanquam scopuli Cyanæi à nobis majori solertiâ & curâ evitentur: Recitabo porro vitam & res gestas Friderici Widebrami, Urbani Pierij, & Caspari Peuceri, qui Sacramentarium virus, non tantùm in Academiam Vitebergensem, sed in totam amplissimi Electoratus Saxonici ditionem evomere, eoq; omnia inficere conati sunt. Ne autem his viris aliquid affingere videar: ex probatis scriptoribus & monumentis ea afferre, quæ ad nostrum propositum sunt factura, non vereor. Sic enim Balthasar Menzius de Widebramo scriptum reliquit in Histor. sua Narratione de Septem Electoribus Saxoniæ, & uno Prœlectore &c. pag. 109. & seqq.

De Friderico VVidebramo.

Fridericus Widebramus anno Epochæ Christianæ 1532. die 4 Julij, Pesnecij Voitlandiæ Oppido haud quaquam incelebri, natus est. In Patria primùm, mox Neoburgi, & demum Isenaci ad studia literarum adhibitus fuit, ætatis suæ anno 17, Christi Iesu 1549. Jenam Thuringorum missus Erhardum Schnepphium SS. Theol. Doctorem eximium & Johannem Stigelium Poetam opt. audivit.

Biennio

Digitized by Google

Biennio pòst Jenâ, in quo oppido eo tempore nondum erat Academia privilegijs instructa, Vitebergam profectus est, ut Philippum Melanchthonem Germaniæ Phœnicem audiret. Magisterij Philosophici honestissimum testimonium in eadem Academia An. C. 1555. ætatis 22. assecutus est. Sequente anno Isenaci uxorem duxit Elisabetham, Consulis Iohannis Nobdemi filiam, pietatis, pudicitiæ & industriæ Oeconomyeæ laude conspicuam virginem.

Anno 1557. ad gubernationem Schola Servestanæ vocatus de pueritiæ studijs optimè meritus est. Exacto biennio, bona cum omnium pace Isenacum migrans, sibi delegatum Rectoris in ejus oppidi schola munus suscepit, eoq; fideliter aliquot per annos defunctus est, Vocatus literis publicis Jenam Thuringorum in efflorescentem Academiam recens institutam, linguæ latinæ Professorem egit ex Virgilio & Cæsare. Inde literis D. Peucери in nostram Vitebergensem cum Matthæo Wesenbecio accersitus, anno 1569.

Factum est autem Anno Christi 1570. ut unanimi consensu, Ecclesiæ Senatus & Academiæ Vitebergensis, cura Pastoris ejus Ecclesiæ pòst obitum R. & clariss. viri Doctoris Theologiæ Pauli Eberi Widebramo demandata sit. Non multò pòst ad mandatum Illustriss. Principis Electoris, Saxoniæ Ducis, Dn. AUGUSTI cum alijs quibusdam doctissimis viris, Theologiæ Doctoris gradu & testimonio est ornatus, in horum numero fuerunt, viri bonorum amore ob virtutem & ὀρθοδοξίαν dignissimi, Nicolaus Selneccerus Noribergensis, Johannes Bugenhagius Vitebergensis, & quatuor alij.

Anno 1527. Dresdam unà cum collegis vocatus est, ubi de consensu Theologorum & Superintendentum qui tùm erant in ditione Illustrissimi Electi Sax. Formula consensus Dresdensis deliberata est, edita fuit. Anno sequente Thuringicarum Ecclesiarum inspectioni, unà cum aliis quibusdam Theologis, interfuit. Quâ peractâ animadversum fuit, ipsum alienum esse à sententia, quam de Sacramento Eucharistiæ nostra Ecclesia profitentur. Quare Anno 1574. Mense Majo in Synodo Torgensi cui præsidebant, & articulis de

cœna subscribebant
Henricus Salmuth D.P.Eccl.Lipſ.
Paulus Crellius Th.D. ſubſcr.
Caſpar Eberhard D.P.Eccl. Chriſtii in urbe Miſena ſubſcr.
Wolffgangus Harderus D.P.Eccl.Lipſ.ſ.
Martinus Mirus D.Concion.Aulicus ſ.
Adamus Rotherus D.Superint.Eccl.in Epiſc.Merſpurgenſi.
Georgius Langevoith D.P.& S.Eccl.Chemnicenſis.
Daniel Greſerus P.& S.Dreſdenſis.
Caſparus Heydereich P.& S.Torgenſis, manu propr. ſubſcr.
Nicolaus Jagenteuffel P.& S.Annaberg.ſ.
Johannes Cornicelius P.& S.Eccl. Hanenſis m.propr. ſ.
Samuel Jachius P.& S.Eccl.Friberg.m.propr.ſ. Θεῷ δόξα.
Franciſcus Straus P.& S.Eccleſ. Salzenſis in Thur.m.p.ſ.
M.Petrus Glaſer Concion.Eccl.Dreſdenſ.p.m.ſ.
M.Georgius Liſtenius Churfürſt.Sächſ.Hoffpr. p.m.ſ.
Fridericus Widebramus ob denegatam ſubſcriptionem Torgenſium articulorum unà cum collegis Chriſtophoro Pezelio Plavenſi Variſco, in templo arcis Concionatore, Caſparo Crucigero Vitebergenſi Theol.Doctoribus, Profeſſoribus & Elect.Alumnis, Henrico Mollere Hamburgenſi Th. D. & Profeſſ. lingvæ ſanctæ, M. Wolffgango Crellio Miſnenſi Electorali Alumno, & Logices Profeſſ. Caſparo Peucero Budiſſino Luſatio M. D. profeſſ. & Academiæ inſpectore captivitate menſtrui carceris multatus tandem eiſdem cum Collegis ſubſcripſit. Poſt hanc captivitatem, Nauburgum eſt tranſportatus, & per triennium in ea urbe commoratus. Triennio exacto exulare juſſus, cùm loca quædam adijſſet, hoſpitium tandem & functionem obtinuit in Valle Deciana, ſuſcipiente eum Johanne Comite Naſſovienſi. Anno 1579. rogatu Bremenſium & permiſſu Comitis, Bremam cum Chriſtophoro Pezelio profectus eſt, ob diſſidia quædam inter verbi divini miniſtros tùm ibi gliſcentia. Quadriennio pòſt cum Collega Caſparo Oleviano Th.D. Eccleſiæ in ditione Solmenſi,

qua

Digitized by Google

que subjecta est Dn. Conrado Comiti à Solms, reformavit. Vocatus tandem à Duce Johanne Casimiro, Comite Palatino ad Rhenum, Heydelbergam An. 1584. ut deliberationibus de Ecclesiis & Scholis constituendis, unà cum aliis quibusdam Senatoribus Ecclesiasticis interesset, febre hecticâ, ad quam alia quoq; symptomata accesserunt consumptus 2. Maij manè intra quintam & 6. ex hac vita discessit anno 1585 ætat. 53. Collega ejus in Acad. Viteb. præter transportatos, fuerunt Dn. Georgius Major Noribergensis, & Dn. Johannes Bugenhagius Vitebergensis Th. D. & Profess. publ. Θεράπαι in aula Dresdensi M. Christophorus Sagittarius, Concion. Aulicus, & Georgius Cracovius I. V. D. Elect. Augusti Consiliarius intimus. Formula Confessionis de cœna & obligationis, quâ illius Celsitudini sese devinxerunt D. Casp. Cruciger, D. Henricus Mollerus, D. Christoph. Pezelius & D. Fridericus Widebramus extat in Narr. hist. Balth. Menzij &c. Tantum ex Menzio de Widebramo. Epitaphium ipsemet sibi fecit sic sonans:

Hîc studijs miscere preces, lachrymasque solebam.
Tristis in exilio, cùm WIDEBRAMUS eram.
Solus eram, nec eram tamen illo tempore solus,
Quando suo mecum numine Christus erat.
Liber ab exilii dimissus carcere tandem.
Rursus in exilium triste, profectus eo.
Patria terra vale, cœlestis patria salve,
Quolibet est forti patria terra. Vale.

DE URBANO PIERIO.

Idem Menzius de Vrbano Pierio pag. 174. & seqq. refert, ut sequitur: Cùm Rever. & clarissimus vir, D. David Voitus ad cœlestis Ecclesiæ consvetudinem demigrasset. Urbanus Pierius (aliàs Birnbaum *dictus) Marchicus in pago natus & Illustriss. Dn. Dn. Martini Comitis ab* Hohenstein */ Dn. Vieradi & Sveti Ordinis Teutonicorum Equitum per Marchiam, Saxoniam, Pomeraniam & Vandaliam Magistri alumnus &c. Th. D. in Academia Franckfordensi ad*

Digitized by Google

Oderam creatus, qui jam ante annum 1587. cùm D. Polycarpus hinc dimitteretur, huic Ecclesiæ Pastor à Calvinianis destinatus erat. Verùm, ne adeò maturè ipsorum propositum alijs innotesceret, adhuc ad tempus occultabatur, & Dresdæ detinebatur, donec animis undequaque occupatis & viribus auctis, securiùs se in nervum erumpere posse existimarent. Ibi tùm instinctu Nicolaij Crelli Electoris Saxoniæ Cancellarij Dresdâ Vitebergam missus, ab initio vicepastorem egit. Deinde Anno 1590. die 15. Martij in templo ante aram in conspectu Dei, Angelorum & Ecclesiæ sanctæ, Professor, Pastor ac Superintendens à D. Henrico Majo, arcis templi concionatore, declaratus, sanctè promisit, se ad Confessionis Augustanæ normam sedulò docturum, & nihil omninò mutaturum. Verùm non multò post & promissionis suæ & constantiæ, pietatisq; Theologo dignæ oblitus, unà cum aliis quibusdam levissimis hominibus, circumvento miris dolis Electore, Principe Optimo, sub prætextu abrogationis Exorcismi, quem detestabilem, execrandam, magicam, Papisticam, diabolicam abominationem proclamabat, ipsis etiam Superintendentibus ad subscriptionem talium blasphemiarum, non invitatis solummodò, sed & quodammodò coactis: Nova Catechesis scribebatur; nova typis excudebantur Biblia, quibus tota latrina stercorum Calvinianorum infarta erat, id agere cœpit, ut totum chaos hæreseos Calvinisticæ sensim in has regiones inveheret. Justo verò Dei judicio accusatus, judicatus & condemnatus, atq; custodiæ mandatus, malitiæ & perjurii sui dignas pœnas dedit.

Hactenus Menzij operâ usi sumus. Caterùm Peuceri etiam historiam subjungamus.

DE CASPARO PEUCERO.

Natus Peucerus est Budissæ, quod primarium Lusatiæ superioris oppidum est, Anno 1525. initio diei civilis, hoc est, horâ 12. noctis, præcedentis festum diem Epiphaniorum, qui dies celebris etiam extat natali Eobani Hessi, laudatissimi in Germania Poëtæ. Parens eius

cùm in filio præclara acris ingenij signa cerneret, animadverteretq; primis literarum elementis perceptis, feliciter eum ad præcepta artis Grammaticæ, & initia sermonis latini progressum: de uberiore doctrinæ cultu ipsi prospiciendum judicavit. Consilio igitur amicorum & propinquorum hunc natum suum ablegavit in scholam Aurimontanam, tùm temporis florentissimam frequentiâ discipulorum, & inprimis concursu Nobilitatis Bohemicæ, Polonicæ, Silesiacæ, quam attrahebat fides, diligentia ac disciplinæ severitas Rectoris Valentini Fridlandi Trocendorfij. Goltbergâ Vitebergam se contulit Anno 1540. Ibiquè inter συσσίτους Philippi Melanchthonis receptus est, & quadriennio pòst Magister optimarum artium publicè renunciatus. In eadem Academia Mathematum præceptores habuit Rheticum, Milichium, Reinholdum, & in Arithmeticis privatim Stifelium. Quantumq; in scientiis illis profecerit, monumenta eruditissima testantur, & libelli ab eo conscripti, ut, de Sphæra, de dimensione terræ, & Geometricè numerandis locorum particularium intervallis, ex doctrina triangulorum sphæricorum, & canone subtensarum, de Logistice Astronomica & Algebra. Item opus de divinationum generibus accuratissimum. Cum his subtilissimis tamen studijs conjunxit & Medicinam, in qua adeò excelluit, ut mortuo Jacobo Milichio, in ipsius locum surrogaretur, cùm anteà Mathemata publicè docuisset. Porrò fuisse in Peucero ingenium elatius, & φέγημα inflatius, observarunt illi, qui viro huic erant amicissimi. Nuptias celebravit anno 1550. ætatis 26. Cumq; socero suo Philippo Melanchthone in ijsdem ædibus vixit, quamdiu ille in vivis erat. Hoc autem rebus humanis exempto Anno 1560. quo Peucerus Med. Doctor creatus est, statim datæ sunt turbæ, de quibus superiùs diximus, & jam denuò dicemus, verùm verbis Illustrissimi Electoris Augusti, Sax. Ducis, &c. ijsq; desumptis ex instructione, quam propriâ suâ manu Germanicè consignavit, de quibusdam articulis in Conventu Torgensi tractatis XXIIX. Maji Anno LXXIV. In replica, inquit Elector, id inprimis ob-

Digitized by Google

ſervandum erit, ut ea tanquam firmamentum futuri operis (reſormatio Eccleſiarum, & Academiarum intelligitur) quovis tempore uſurpari queat. Hominum enim animi ſunt mutabiles & varij. Et quandoquidem ordines provinciales admodum frigidè rem iſtam tractârunt, poſſet illis, admonitionis loco, de incarceratis, aut alioquin arreſto detentis, hoc probè inculcari: quod nimirùm ambo iſti (M. Chriſtianum Sagittarium, & D. Stöſſelium notat) tanta apud Nos fuerint authoritatis, ut ijs confiteri, animaq; noſtra curam concredere non dubitaverimus. D. Peucerus autem is eſt, cui corpus ac valetudinem, uxoris item liberorumq; ſanitatem commiſimus. D. Cracovius denique intimus noſter Conſiliarius in cunctis negocijs politicis. A quibus omnibus ſceleratè, & nefariè ſumus decepti, habentes quippe illos pro bonis & ingenuis viris, cùm interim in clandeſtinis eorum machinationibus planè contrarium ſit deprehenſum: quod primum eſt. Deinde neceſſitas etiam flagitat, ut conſiliarij admoneantur, quòd ambigua & tepida ejuſmodi conſilia, in eaſis conſcientiam concernentibus variè & perversè poſſint interpretari. Culpam enim excitati in hiſcè regionibus ſcandali aut Dominus, aut ſervus ſuſtineat, oportet. Quia igitur plurimi magno deſiderio exitum hujus conventus præſtolati fuerunt, & adhuc anxiè præſtolantur: fieri minimè poteſt, quin ea, de quibus modò dictum, conſilia variis rumoribus & querelis occaſionem præbitura ſint. Quandoquidem plerique omnes ita hactenus ſtatuerunt, (quod etiam Dei beneficio res ipſa eſt.) Nos machinationum, Calviniſmi in haſcè provincias clanculùm invehendi gratiâ, ſuſceptarum, ignarus fuiſſe. Poſtquam verò occulta hominum iſtorum ſtudia & molitiones in lucem protracta ſunt, ut negari amplius ab illis nequeant, veremur ſi tàm molli brachio tractentur, neq; ulla in eos gravioris animadverſionis ſeveritas ſuſcipiatur, nos omnes paulò pòſt cum dolore experturos, quid commodi incommodivè, ejuſmodi levia conſilia in negotijs religionis, adferre ſoleant. Hac etenim lenitate animi illorum, qui dogmati Calviniano addicti ſunt, adeò non deterrerentur, ut etiã

magis

Digitized by Google

magis magisq; indurarentur. Neque id, quod præsertim consultationum & conventus caput est, hoc pacto consequi possemus. Calvinianarum siquidem creaturarum indies major accrescit colluvies, quàm opinemur. Communi proinde concludimus proverbio: Flammæ erumpenti nunquam melius, quàm à principio statim & tempestivè occurritur. Nec sufficit, ut dicatur, displicere dogma & personas, si nihil præterea operis ad coërcendum malum hoc, & incendium adhibeatur. Quod enim exteri hactenus Theologi (Saxoniæ inferioris & VVirtembergicos intellige) contra scholas & Academias nostras propugnârunt, & scripserunt, id eventu, req; ipsâ jam experimur, non esse falsum, ut nostri quidem dictitârunt, qui hisce accusationibus satis responsum putârunt, si saltem negâssent, se Calviniano errori astipulari, licet verè astipularentur. Itaque mendaces isti, & frandulenti nebulones effecerunt, ut ego hujus Regionis Princeps ac Dominus, unaq; mecum omnes pij subditi in hoc Electoratu, præter nostram culpam, & meritum, passim malè audiremus, quasi à puritate doctrinæ defecissemus, & Calvinianum dogma amplexi essemus. Cùm tamen de subdolis ipsorum machinationibus haud quicquam nobis constaret. &c.

Alia etiam habetur ab Augusto, &c. annotata de D. Peucero narratio: Anno 1571. ait Elector, Deus charissimam meam conjugem uteri paternâ benedictione dignatus fuit. Ubi cum ea in arcem Stolpensem profectus sum, Quo in loco clementissimus Pater cœlestis ipsi & mihi justo tempore filium largitus est. Hunc ego juxta CHRISTI institutionem per Sacramentum Sancti Baptismatis Deo obtuli, & pro more Ecclesiæ per patrinos ad hoc officium vocatos Christo inseri curavi. Patrini fuerunt D. Peucer, M. Philippus & Doctoris Nesij uxor. Cumq; de variis hinc inde materijs cum D. Peucero conferrem: illi indicavi, rumorem de eo spargi, quod Catechismum Vitebergensem, quem jamdudum multi ægrè ferant, professoribus in scholis obtulisset, ac juventuti prælegere mandâsset. Id verò Peucerus negavit, seq; operosè & sollicitè excusavit,

vit, summâ cum attestatione asseverans, hoc de se compertum in nunquam.

Quâ declaratione contentus tùm acquievi. Sed postea anno LXXII. accidit, ut à Landtgravio Wilhelmo invitatus ad fidejubendum pro infante suo baptizando in itinere deflecterem in scholam Portensem, & ibidem pernoctarem. Hic à Rectore oblata mihi sunt literæ, quas ad ipsum D. Peucerus dederat, inq; illis diserte mandaverat, ne ullam aliam Catechesin juventuti, quàm recentem illam Vitebergensem traderet. Quid fit? Ego ad Regiam Majest. in Daniam proficiscor, iteráq; per Vitebergam facio. Mandavi igitur Johanni à Punikou, Wolffgango à Schönberg in Neusorgen, & Henrico à Gleissenthaler, meo nomine Peucero & Cracovio significarent, quod de verbo ad verbum sequitur: D. Peucerum in recenti tenere memoria quòd coram nostra Celsitudine negasset, se Catechismum Vitebergensem Ecclesiis & scholis obtrusisse, & doceri præcepisse. Jam verò Nos certis indicijs deprehendisse, Rectori Scholæ Portensis Vitebergensem illũ Catechismum ab eo in hunc finem esse transmissum, quemadmodum ipsius hæc de re literæ in promptu essent. Poscere Celsitudinem nostram, ut clarè dicat, num manum istam & literas pro suis agnoscat. Ibi verò is propriam suam manum negavit. Tandem ex mandato nostro indicatum illi est. Severam esse Celsit. nostræ voluntatem & sententiam, ut D. Peucerus suam tractaret Medicinam, & vitrum urinarium inspectaret, causas Theologicas missas faciendo. Id quod se facturum promisit & submissè rogavit, ut nostra Elect. Celsit. clementissimus suus Dominus esse & manere haud dedignaretur. His ita expeditis, in nomine Dei Daniam versus iter continuavi, nihil quicquam mali de eo suspicatus. Quantâ verò bile cor ipsius adversus me inflammatum sit, id jam in præsenti tractatione experior. Primùm enim in literis mentem suam aperit, quòd in articulo de cœna Domini Calvinianam opinionem planè amplectatur. Consolaturq; & instigat suos discipulos, cum primis Christianum Sagittarium

Digitized by Google

rium audacem illum heroa, qui primus in aula nostra delirij Sacramentarij semina propalàm in concione spargere non dubitarat, ut in proposito suo constanter perseverent, neq; se inde dimoveri patiantur. Videre sese, quod hoc dogma in Gallia & Belgia nullâ vi extingvi & deleri possit. Itaq; illum animo infracto esse jubet, veritatem tandem emersuram, neque in his regionibus oppressum iri. Vult praterea de omnibus, quæ in aula gerantur, per Christianum fidelem suum Judam edoceri, &c. Perpetuò tamen literis suis hanc cautelam annectit, ut discerpantur, ne (quod prioribus literis evenit) in discrimen aliquod per eas adduci queat. Et quia animadvertit fortè nimis difficile forè, ut institutum suum obtineat, idcircò discessum molitus est, veritus malam se inde gratiam reportaturum, suumq; discipulum monet, ut diligentissimè in rem attendat, & sicubi periculum persentiscat, maturè de eo moneat, &c. Cùm igitur ex his manifestum evadat, conspirationem hominum illorum eò directam esse, ut dogma Calvinianum omnibus viribus in hac regione, & in primis in nostra hac aula introducere, propagare, & stabilire queant; summa utiq; flagitat necessitas, præsertim cùm animi sui sententiam perspicuè satis declaraverit Peucerus, ut eam cum ipso viam & rationem ineamus, qui incendium, quod indies longiùs latiusq; alioquin grassabitur, tempestivè restinguatur. Quo autem istud pacto fieri possit, de eo prudenti diligentiq; deliberatione opus est. Hùc usq; Illustrissimi Electoris Augusti narratio. Caterùm malicioso Peuceri tergiversatione offensus est Elector, uti audivistis, Itaq; Calendis Aprilis Anno 1574. Præfectus arcis Vitebergensis Ernestus Wetin, mandato ipsius illustrissimi Domini sui & arresto Peucerum obligat, & promittere jubet, quod velit primo quoque tempore Dresdæ se sistere. Quin omnia simul conclavia, arcas, cistas, repositoria actutum reserari, & aperiri imperat, literasq; omnes collectas asportari.

Dresdam ut venit, jussus arcem ingredi, conclavi additur satis commodo, & omnibus rebus necessariis instructo. Accusationis

Digitized by Google

quatuor erant capita. Primùm de clandestinis conspirationibus, & occultis technis, quibus conatus fuerat nova Sacramentaria dogmata in terras Saxonicas introducere. Alterum, quòd chartas, & libellos de his sparserat. Tertium, quòd Theologos Academiæ ad defensionem doctrinæ istius erroneæ animosiores & alacriores reddiderat. Quartum, quòd exteros Theologos incitaverat adversus Ecclesiarum Saxonicarum Doctores. Nihil hic addam de formula dimissionis, quam propriâ subscriptione approbavit. Nam & temporis est habenda ratio, & aliundè illa cognosci potest. Tandem intercedentibus, & deprecantibus Principibus Anhaltinis, cum quibus Elector affinitatem recens contraxerat, è custodia dimissus est. Vixit autem post eductionem illam ex carcere adhuc annis XVI. diemq; suum supremum obijt Anno MDCII. VIII. Calend. Octobris cùm natus esset annos LXXVII. menses VII. dies XIX. Hæc de Peucero dixisse sufficiant.

CHRISTE, fili Dei, qui flagrantissimo amore complecteris Ecclesiam sponsam tuam, te rogamus per sanctissima vulnera tua, ut eam inter tot hæreses, sicut lilium inter spinas, crescentem, clementer protegens à cunctis periculis vindices, atq; docentium & discentium ora & corda per Spiritum Sanctum tuum, omnis veritatis Doctorem erudias & regas, ne à tramite recti ullo modo deflectamus, sed, lucernâ verbi tui præeunte, cœlestem illam quæramus, & inveniamus patriam, ubi cum sanctis Angelis te laudemus ac celebremus in perenne seculum.

DIXI.

ORATIO.

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS GEORGII MAJORIS, à Joh. Bism. Alv.

COnsideranti mihi miserias, quibus post obitum Lutheri pressi & vexati sunt Evangelij confessores, à facta protestatione Protestantes dicti, venit in mentem insana C. Caligulæ querimonia, qui conditionem temporum suorum incusare solebat, quòd nullis calamitatibus publicis insignirentur. Augusti principatum clade Varianâ, Tiberij ruinâ spectaculorum apud Fidenas memorabilem factum, sui oblivionem imminere prosperitate rerum.

Atq; identidem exercituum cades, famam, pestilentiam, incendia, hiatum aliquem terræ optabat. Optionem hanc ut laudare: ita asperiùs perstringere non est mei instituti: saltem hoc dico, Georgium Maiorem *& ipsius coætaneos ejusmodi querelâ non opus habuisse, utpotè quibus sat magnus ad nauseam usque calamitatum cumulus est objectus, adeò ut potiùs, si non plenariam earundem admonitionem, attamen mitigationem ardentissimis votis à Deo instantissimè petere sint coacti. Illud autem permagni referre arbitror, memoriter tenere, quomodo sese tali in cribratione gesserint, non tantum plebeij, sed & illi, qui ad Ecclesiarum gubernacula sederunt, quò ad similem, si usus ita postulaverit, constantiam & patientiam incitemur.*

Quocirca, divina mihi favente & aspirante gratiâ, narrationi historicæ de primarijs nostri seculi theologis institutæ, nunc addam vitam quoque & res gestas Reverendi & clarissimi viri, Dn. D. Georgii Maioris, *nec dubito, fratres & collegæ optimi, quin pro vestra benevolentia, me haud gravatim sitis audituri.*

Digitized by Google

Natus est GEORGIUS MAIOR A.C. MDII. XXV. die Aprilis dimidiâ horâ I. pomeridio parentibus Noribergæ, quæ civitas nomen regionis Noricæ in antiquis historiis notissimæ retinuit. Norico autem olim comprehendebatur Bavaria inferior, & Diœcesis Salisburgensis, cum parte Austriæ, Styriæ, Carinthiæ, Carnis, &c. Et videntur Norici dicti, quasi Arctoi à Germanico Nordt / quod est pars Arctoa opposita meridiano cardini. Hodiè Noricum est regio sita inter Noribergam, & juga Bohemica; circa Ambergam Electorum Palatinorum urbem.

Porrò Noriberga urbs una est inter primas, quæ, excusso Pontificiæ tyrannidis jugo, & inveteratæ superstitionis legibus projectis, & radicitùs extirpatis, sese veræ doctrinæ professione atq; confessione cum Lutherana Ecclesia conjunxit, atq; hanc conjunctionem hactenùs sanctè religioseq; coluit, neq; avelli se à societate confessionis periculis ullis passa est, etiam cùm Germania, civili bello ardente, inter medios constituta hostes non levia damna acciperet. Fuitq; officiosa semper in ornandis Ecclesiis, & literarum studiis juvandis. Vnde in propria Academia Altorffiana singulari munificentiâ magnum numerum docentium & discentium fovet, inter quos ego Anno MDCI. à colloquio Ratisponensi rediens cum Præceptore meo M. Cornelio Martini, Professore Julio, vidi & audivi Scherbium, Rittershusium, Scipionem Gentilem, Hubnerum, Taurellum, ut reliquos omittam.

In ea, inquam urbe natus est Georgius Major, cui tamen non tàm patria ornamento fuit, quàm ipse sibi. Cum q; prima artium & linguarum fundamenta feliciter jecisset, sese ad Academiam Vitebergensem contulit Anno, postquam instituta primùm ea fuit, nono. Is erat annus Christi MDXI. Quemadmodum ipsemet annotavit in quadam admonitione historica ab eodem recitata cùm abiret magistratu Scholastico, die XIIX. Octobris Anno 1567. inter alia sic referens: Adductus sum in has terras mandato, & sumptibus Illustrissimi Principis, Friderici III. Ducis Saxoniæ, Electoris, cujus

Digitized by Google

cujus memoriam monumenta Sapientiæ in Imperio, & jacta hujus (Vitebergensis) fundamenta, & hic sparsa semina purioris doctrinæ, posteritati ita consecrarunt, ut nomen SAPIENTIS, *quod meruit, cunctorum ordinum summâ approbatione, nulla sit unquam abolitura vetustas. In hujus aula planè puer educatus sum inter adolescentes Symphoniacos. Hæc Major de se ipso. Vitebergæ verò degens Philosophiæ primùm incubuit, & summo in ea facultate gradu ornatus est.*

Posteà Luthero præceptore usus Sacrosanctæ Theologiæ magna cum diligentia operam dedit, Anno 1528. duxit in uxorem virginem nobilem MARGARETAM à MOCHAV.

Mores in eo fuerunt casti & pudici, ab omni immundicie & spurcitie abhorrentes, ut non tàm popularibus, quàm exteris charus esset. Postquam igitur Casparus Cruciger è Schola Magdeburgensi Vitebergam revocaretur: hic M. Georgius Major ipsi suffectus est secundus, post religionem in melius mutatam, Rector. Dignus profectò, meâ sententiâ, successor. Erat tùm Schola Urbis adhuc in Cœnobio Divi Augustini. Sed quoniam locus à frequentia civium nimiùm videbatur dissitus, iterum de ludo literario viciniore deliberatum est. Atq; ita tum, ut in consultationibus fieri solet, multa de hospitio scholasticorum oportuniore disquirunt, &, juxta Poëtam, mentes in partes q; trahunt varias, per q; omnia versant nihil deniq;, propter amplitudinem ædificiorum, concludunt, fore commodius, quàm si Schola ex æde Augustini deducatur in Cœnobium Franciscanorum, in media fermè civitate situm, ubi adhuc hodiè manet. Præcipui hujus translationis autores, & suasores fuerunt, Leonardus Martius J.V.D. nec non Reip. Magdeburgensis primus, à repurgata veritate Evangelica, Syndicus, & natione Helvetius de S. Gallo, ad id muneris obeundum vocatus ex Academia Lipsiensi Anno C. 1513. qui mortuus est anno 1536. Ad hæc consilia etiam D. D. Nicolaus Amsdorffius πλέον μέρος contulit, & Gregorius Copus Medicinæ D. Reverendissimiq; Archiepiscopi

Digitized by Google

Alberti ἀρχιατρὸς. Cujus nepos est, qui jamnum vivit clarissimus D.D. Martinus Copus, avo & parente æditus doctoribus. Ac denique Nobilissimus vir, Dn. Udalricus ab Emboden id temporis consul. Hoc igitur pacto scholam ex Augustino deduxit in cœnobium Nudipedum Georgius Major A.C. 1529. circa festum Michaëlis Archangeli. Quod quidem videtur sic in fatis fuisse. Nam multis ante annis Johannes Hilten Isenacensis, vir admodum pius, vatidicoq; spiritu præditus, & ipse Franciscanus, sic scripsisse Guardiano dicti nostri monasterij dicitur: claustrum Minorum Vinariense fiet armarium, Vitebergense granarium, Meideburgense schola juventutis. Etiamsi autem ex hoc cœnobio maxima pars Monachorum partim odio Evangelij instaurati, partim etiam pudore mota, jam profugisset: Quia Anno Christi 1526. à Senatu jussi erant reddere rationem, ubi ordo ipsorum in verbo Dei fundatus esset; Quod & tentârunt, sed ita, ut insciti am & ruditatem suam proderent miserrimè, seq; scripto quodam, cujus titulus est: An eynen Erbaren/ Vilwysingen / Grotmechtigen/vnde Prysdattigen Radt/ Magistraten/Borgermeisteren/Ratesheren/vnde Regenten / der vill löffliken/ wytberopen vnde wolgezirten Rycksstadt Magdeborg/ &c. omnibus exponerent irridendos: nihilominus tamen in hac scholæ translatione, cum Guardiano Johanne Grevero adhuc novem, restiterunt fraterculi. Eos adolescentia scholastica mirabili tragœdiâ exegit, explosit, & urbe prorsus ejecit.

Quos tùm verè conqueri potuisse arbitror illud Maronianum:

O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri
(Quod nunquam veriti sumus,) ut possessor agelli
Diceret: hæc mea sunt: veteres migrate coloni.

Sed ad Majorem redeo. Is fideliter gubernavit sibi commissam juventutem per aliquot annos. Et fortassis totius vitæ suæ spacium exegisset Magdæburgi, nisi stipendij exilitas ipsum abegisset. Etenim cùm petijsset à Senatu aliquam fortunularum suarum accessionem,

Digitized by Google

nem, nec voti compos fieri posset: vocationis, quam tùm in manibus habuit, occasionem arripuit, factus Superintendens Islebiensis Anno Christi 36. & inde Professor Vitebergensis & Ecclesiastes in templo Arci contiguo, ubi Anno 1544. XIIX. Decembris, ipsemet fasces Academiæ gerens, cum M. Johanne Faberio Monacensi in Sacrosancta Theologica facultate summum assumsit gradum.

Cùm A.C. MDXL Vl. Imperator Carolus V. Ratisbonæ colloquium institueret, & sub initium Decembris omnes adesse juberet, ipse etiam Major ibi cum Brentio, Bucero & Erhardo Schnepfio comparuit disputaturus adversus Malvendam Hispanum, Billicum Carmelitam, Hoffmeisterum, & Cochlæum.

Moto bello Saxonico, in exilio aliquandiu cum conjuge & liberis viventibus decem hinc inde oberravit inter ingentia pericula: sed Anno 1547. propè elapso, ab Illustriss. & Clementiss. Principibus Saxoniæ Ducibus MAURITIO & fratre AUGUSTO Electorib. gubernationi Ecclesiæ Mersburgensis adjungitur: Ac recollectâ tandem atque instauratâ denuò Academiâ Anno 1548. in locum pristinum restituitur.

A.C. 1551. à Regia Majestate Daniæ, & Illustrissimo Principe Holsatiæ, Friderico vocabatur ad gubernationem Ecclesiarum Schlesvicensium. Verùm præstat ipsummet, & Philippum Melanchthonem audire, de hoc ipso negocio ad Clarissimum & consultissimum virum, Dn. Lucam Mollerum, Holsatiæ Ducis Secretarium scribentes: Offeruntur mihi, inquit Major, in his regionibus aliquot valdè luculentæ conditiones. Commendo autem has vocationes omnes Deo, ut quam ipse velit, suscipiam, sive versus meridiem, Tridentum ad Concilium, sive Septentrionem versus ad vos abeundum sit, quarum, quæ prior sese obtulerit, illam mihi tanquam divinitùs vocato, subeundum esse arbitror. Malim tamen vitare profectionem ad Concilium, non tàm propter vita pericula: quàm offensiones conscientiarum & alias longè graviores causas, &c. cùm paulò antè scripsisset: Sed & hoc significo, hac in re matu-

rate

Digitized by Google

rato opus esse, propter certas causas, quæ magni momenti sunt, quæ impedimenta si inciderint, frustrâ hoc negocium posteà agetur. Prodesset fortassis literis Illustriss. Principis Friderici addi & Sereniss. Majest. Regis Daniæ literas, meâ causâ, ut minus offensionis in aula nostra & Academia mihi hæc res pareret. Neque enim me libenter dimittent, præsertim hoc tempore, quo ad profectionem longi itineris, & prolixarum ac difficilimarum actionum, & ut clarè & sine tergiversatione dicam, videlicet ad Concilium à nostro Electore vocatus sum. Quare vestra vocatio diu differenda non erit. Si maturè, videlicet intra mensem, aut non longiùs pòst, vocatus fuero, invenietur alius, qui meo loco ad Concilium mitti possit. Quanquam etiam fieri potest, ut profectio ad Concilium longiùs, vel ad Calendas Octobres, vel Novembres, vel Græcas etiam differatur. Hac enim septimanâ primum missus est à principe Tridentum, qui actiones inspiciat & singula exploret, & rescribat an, vel quando nobis hinc sit eundem. Sed nosti talia negocia facilimis momentis mutari, & quasi ventis ferri & agitari, &c. Dabantur die Bartholomæi Anno L I. Philippus Melanchthon verò sic scribit: Georgio Majori svasor fui, ut ad vos commigraret, idq; facturum esse decreverat, si literæ vestræ adferrentur, priusquam acciperet mandata de inspectione Ecclesiæ Mansfeldensis, sed dum tardiùs adferuntur literæ vestræ, antevertunt mandata Ducis Saxoniæ Electoris, ut ad certum tempus gubernet Ecclesiam in Comitatu Mansfeldensi. His mandatis cùm obtemperare necesse sit, non potest Georgius ad diem XVI. Decembris ad vos proficisci, &c. Dabantur 12. Novembris ejusdem Anni. Ecclesiæ Islebiensis ac cæterarum in comitatu Mansfeldensi gubernationi atq; inspectioni præfuit annum integrum. Anno sequenti 1552. reversus in Academiam, quod reliquum vitæ fuit in munere sibi demandato placidè transegit. Cæterùm ardentissimus pietatis, innocentiæ & sanctimoniæ erat commendator, Zelotes & propugnator. Et quoniam aliquando dixerat, fieri non posse, ut illi, qui non studerent bonis operibus consequerentur

Digitized by Google

rentur salutem æternam; Item Bonorum operum studium esse necessarium ad salutem, exosus factus est multis, id, contra mentem dicentis, interpretantibus, quasi ad justificandum hominem peccatorem coram Deo, negaret Christi solius meritum sufficere, de operibus quoque nonnihil causis justitiæ meritoriis assuendum contenderet, ac proinde jam planè idem sentiret cùm Romano Pontifice. Præcipuè autem sese ei opposuerunt vivâ voce & scriptis, D. Nicolaus Gallus, D. Nicolaus Amsdorffius. D. Matthias Flacius Illyricus, & alij. Offendebat enim eos nimium phrasis illa: Bona opera sunt necessaria ad salutem. Publico scripto sese quidem purgabat Major, & perspicuè ostendebat suam de articulo Justificationis sententiam, quòd homo solâ fide absque ullis meritis propter Dominum nostrum Jesum Christum haberet remissionem peccatorum, hæresq; vitæ & salutis existeret æternæ, sed bona tamen opera fidem veram, tanquam fructus, sequi necesse esset. Hæc confessio edita fuit Vitebergæ ex officina Iohannis Lufftij, Anno MDLVIII. Interim de falsa doctrina mansit suspectus.

Verùm in tàm difficili rerum suarum statu, ac ingratitudine Mundi, imò & in tumultibus bellicis sese & alios hac consolatione erexit, Deum non permissurum, ut Ecclesia sua intereat, quia ipsemet de ultimis temporibus dicat: Ego senescentem gestabo, ego feram, ego salvabo. Et alibi in Prophetica concione, servaturum se reliquias Ecclesiæ, ut si pastor è faucibus Leonis dilaceratæ ovis duo crura eripiat.

Sub Majoris Decanatu etiam gradum Theologiæ supremum adepti sunt Paulus Eberus Kittingensis, Ecclesiæ Vitebergensis Pastor, Erasmus Lætus Cimbrius, Johannes Coglerus Quedlinburgensis, Paulus Crellius Islebiensis, VII. Septembris A.C. 1559. Item David Voitus, cùm ab Illustrissimo principe Alberto Marchione Duce Borussiæ, cujus erat excellens Sapientia & pietas ad docendum in Academiam Regiomontanam vocaretur XVII. Martij A.C. 1560. Et Casparus Cruciger junior, Henricus Mollerus, Fridericus

Digitized by Google

Widebramus, Nicolaus Selneccerus, Christophorus Pezelius, Iohannes Bugenhagius Junior, Postremò Casparus Eberhardi, Sigfridus Saccus, Jacobus Lechnerus, Johannes Garcæus, Adamus Rotherus, Georgius Langevelt, XXIX. Maij Anno 1570.

In senectute autem expertus est veterem Græcum versum:

Φόβος τὸ γῆρας οὐ δὲ ἔρχεται μόνον:

acciditq; ei, quod multis in hac vita ærumnosa evenire solet, qui & claruerunt antè honoribus, & floruerunt fortunis, liberorum virtute, & numero, in ipso limine senectæ tandem excussi felicitate suâ conijciuntur in calamitates maximas, & languorem confectarum virium adaugentes, & mortem accelerantes.

Amisit Job septem filios, & tres filias. Georgius Major intra paucos annos perdidit sex natos ingenijs præstantes, honamq; indolem præ se ferentes, quorum natu Major Leonardus à rabioso cane dilaceratus interijt, reliqui alio aliquo morborum genere. Quin & nepotum aliquot funera vidit, & filiæ, quæ toto vita tempore μεμψιμοιρία fuerat πρὸς τὰ τοῦ κυρίου. In hoc enim omni studio atq; assiduis piæ lectionis, meditationis, & invocationis exercitijs incubuit, ut esset ἁγία τοῦ σώματι καὶ τῷ πνεύματι, sicut Paulus inquit. In morbo verò, qui paulatim febrili calore corpus absumsit, repetitis ijs, quibus antè sese instruxerat, ita animum præparavit, ut nihil amplius, quàm lætam & placidam ex hac vita migrationem expeteret, & illos, qui vitam ei diuturniorem optarent, reprehenderet. Eo die, quo mortem anteceßit, conversa ad parentes & mœstos & lachrymantes consolatura, ne dolerent, monuit: sed lætarentur potiùs, quòd ad cœlestem evocaretur Ecclesiam, in qua paulò pòst iterum visuri ipsam & complexuri essent. Ex hoc piis precibus reddidit animam Deo conditori.

Quamvis verò hunc, & alios liberorum & nepotum agones aspiceret afflictissimus pater: cogitatione tamen ærumnarum communium, ac dolorum Filij Dei, cujus imaginis nos conformes fieri oportet,

Digitized by Google

oportet, se solabatur & erigebat, crebrò repetitis vocibus ex Hiobo: Dominus dedit, Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Si bona accepimus, mala cur non sustineamus? &c. donec post totius penè triennij decubitum, senio & morbis confectus diem suum obiret An. Salutis MDLXXIV. aetatis verò LXXII. XXIIX. Novembris, humatus Viteberga in templo Arci contiguo ad sinistrum latus D. Johannis Schneidewini. Obitum ejus eruditiss. carminibus lugentes celebrarunt Nicolaus Reusnerus, Josephus à Pinu, Casparus Cropacius.

Denig, lucubrationes viri ac Theologi hujus praestantissimi recenset Balthasar Menzius in hunc modum: Plurima scripsit, quae Viteberga edita sunt. Ex his quaedam in unum conjuncta sunt tomis tribus in folio, quorum primus continet enarrationes Epistolarum S. Pauli, secundus homilias in Epistolas dierum Dominicorum, & Festorum, tertius homilias in Evangelia Dominicalia & dies festos.

Praeter haec separatim edita sunt, Anno 1537. Annotationes in Justini historias, Item elegantiores aliquot parabolae ex Erasmi Rot. similibus in puerorum usum selecta, & in locos communes redacta, indicatis autorum locis, ex quibus singulae sint conquisitae, Anno 1544. Vita patrum, cum praefatione D. Mart. Luth. Anno 1549. Sententiae veterum poëtarum per locos communes digestae, Anno 1550. Catalogus Doctorum Ecclesiae Dei, à Mundi initio ad nostra tempora, Anno 1551. Refutatio horrendae prophanationis coenae Domini: Item historica narratio de Origine Missae, & subinde ad eam adjectis ceremonijs, & accumulatis superstitionibus, & abusibus cum praefatione Philippi Melanchthonis, Anno 56. De origine & authoritate verbi Dei, & quae Pontificum, Patrum, & Conciliorum sit authoritas admonitio; An. 58. Confessio de articulo justificationis, & de bonis operibus, quae fidem veram, tanquam fructus sequi necesse; est An. 62. Prima pars septem Homiliarū in Evangelia Dominicalia & dies festos: An. 63. secunda pars Homiliarum, & 2. Con-

Digitized by Google

festio de articulo justificationis & bonis operibus, Anno 74. Tertia pars Homiliarum, A.C. 65. Explicatio trium sacrorum carminum novi fœderis, B. Virginis, Zachariæ & Simeonis in sermone vernaculo. & Quarta pars Homiliarum A. 66. Quinta pars Hom. A. 67. Repetitio & postrema declaratio doctrinæ de justificatione hominis coram Deo, Germanicè, & Sexta pars Hom. A. 68. Septima pars Hom. A. 69. Commonefactio ad Ecclesiam Catholicam, orthodoxam, de fugiendis & execrandis blasphemiis Samosatenicis, Arrianis, Eunomianis & aliis; contra Blandratam & alios nonnullos hujus sectæ revocatores. Addita est doctrina de Sancta Trinitate, refutationis loco. Scripsit etiam enarrationes in Epistolam ad Hebræos, consolationes contra terrorem mortis Germanicè. De Germanica Bibliorum interpretatione admonitionem, & confutationem causarum, ob quas ab eorum lectione laicos arcent Papistæ. Item mendaciorum, quam spargunt contra Lutheri translationem. Admonitionem de extremo judicio ad consolationem piorum, & terrorem impiorum necessaria hisce afflictis temporibus, Germanicè. Item tabulas in Rhetoricam Phil. Melanchth. & D. Eras. de copia, cum Petri Mosellani Schematibus. Nec non de arbore sanguinitatis regulis & tabellas. His & similibus veræ fidei testimoniis & monumentis æternam sibi apud posteritatem comparavit laudem & memoriam, quam nos illi gratulamur, & quod restat, pro more nostro, huic oratiuncula tali iterum precatione colophonem addimus:

Dulcissime Jesu, cùm tu sis bonus ille pastor, & Episcopus animarum nostrarum unicus, ovibusq; pascuæ tuæ ad hunc usq; diem fideles dedisti Prophetas, Apostolos, Evangelistas, tùm pastores ac doctores, veluti Georgium Majorem, & alios, confirma hoc, quod operatus es in nobis, & Ecclesiæ tuæ in posterum quoq; fidos largire ministros. Da etiam nobis in rebus adversis constantiam, in persecutione robur, in morte consolationem, & post mortem vitam æternam, qui unà cum Patre tuo cœlesti, & Spiritu Sancto in unitate trinus & in trinitate unus es Deus in secula. DIXI.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS ABDIÆ PRÆTORII, CORAM DOMINIS FR. COLLOquij Alvensleb. recitata à JOH. BISM. Alv. Anno Christi 1613. m. Novembris.

VIr justus à Davide Psal. 1. svaviter admodum, & pulchrè comparatur ligno ad aquarum plantato decursum, quod fructiferum sit, & non marcescentibus foliis. Quam sententiam Johannes Stigelius versu sat elegante sic reddidit:

Hic est, ut arbor ad fluentem rivulum,
Quam diligens sevit manus,
Quæ publicum fructus in usum divites
Suo ministrat tempore.
Non huic nocet vel Auster imbre sordidus,
Vel vis sonantis Africi.
Ramis gerit semper comas virentibus,
Lœtis decora fructibus.

Nam ij, qui suam Deo & hominibus, vel in Ecclesia, vel Rep. inservientes fideliter navant operam, si non opes caducas & terrenas: perenne tamen inde nomen referunt, & laudem nunquam intermorituram, juxta illud Nasonis:

Et memoram famam, qui benè gessit, habet.

Suntq; in Mundo his bonis ac donis facilè contenti: Quandoquidem (ut Publius Mimus dixit) honestus rumor alterum est patrimonium. Jam verò si quisquam est claris dignus doctrina pariter & virtutum encomiis: ABDIAS certè PRÆTORIUS gloriâ suâ defraudari

Digitized by Google

fraudari non debet, sed per omne ævum celebrari, utpotè, quin & solidè doctus fuit, & bene meritus de rep. Christiana, nec tàm vivâ voce, quàm scriptione inservijt multis, præsertim Theologiæ & Linguæ sanctæ studiosis, ad illum catervatim veluti confluentibus.

Quamobrem visum est mihi, per Dei gratiam, curriculum quoq; vitæ Prætorianæ jam brevi oratiuncula quadam complecti, & coram vobis Reverendi & doctissimi fratres, recitare. Rogo itaq; ut, quemadmodum aliàs, pro vestro in me favore, consueti estis, benignas mihi aures præbere, non gravemini.

Natus est Godescalcus Prætorius Anno Christi MDXXIV. XXIX. Martij Soltvvellis, urbe inter reliquas Marchiæ Veteris haudquaquam postrema, quæ nomen adepta putatur à Sole, cujus fanum ibi fuisse perhibent, & Wel, veteri vocabulo Germanico, eadem significante, ut Soltvvella idem sit, quod domus Solis. Cumq; præclaro ingenio puer esset præditus, educatus est tùm in patria, tùm in Magdæburgensi schola, pòst Francofurti ad Oderam, & Vitebergæ. Grammaticalia præcepta non duntaxat trium, quas ita vocamus, Cardinalium, sed etiam cognatarum linguarum non est aspernatus, verùm solicitè didicit & ad usum transtulit. His autem probè instructus ad superiores disciplinas paulatim accessit, inq; ijs eò feliciùs versatus est. Etenim canente Ovidio:

Si benè floruerint segetes, erit area dives;
Si benè floruerint vineæ, Bacchus erit.
Si benè floruerint oleæ, nitidissimus annus:
Poma quoque eventum temporis hujus habent;

Ita in adolescentibus flos omnium proventuum, quos deinceps redditura sunt ingenia, sese exerit, conspiciendumq; præbet, quando eum voluptate prima principia, per quæ, tanquam per gradus ad superiora ascendendum est, percipiunt.

Postquam igitur dictus Abdias *sibi excellentem linguarum & artium cognitionem comparasset: rexit aliquandiu scholam patriam*

Digitized by Google

triam Soltwellensem. Unde infelici illâ de Adiaphoris disputatione expulsus, Magdaburgum vocatus fuit Anno post exhibitum Messiam MDLIII. & consentientibus omnium doctorum virorum calculis, doctissimus prædicatus, adeò quidem, ut parem in Scholæ Magdaburgensis gubernatione nec habuisse ante se, nec fortassis post se habiturus, statuatur ullum, salvâ tamen reliquorum existimatione, & authoritate. Quippe linguas (ni fallor) octodecim & novisse, & deserte locutus fuisse fertur, nec immeritò πολυΐστως & πολύγλοττος appellari posset, ut & Poëta quispiam non obscurè de eo cecinit:

Bis septem linguas, Sophiam omnem calluit unus,
Scriptor, & Orator, præditus arte, fide.

Atque hinc factum est, ut Scholam Magdaburgensem reddiderit florentissimam. Illi namq; quicquid optimarum legum in dicto literarum ἐγγασηρίῳ habemus reliquum: illi exercitia disputationum Theologicarum, quæ aliquot antè annos ferventi studio in ornatissimo consessu virorum pietate, eruditione, & ingenij acumine præstantissimorum ibi celebrata sunt: illi lectiones Philippicas universas soli, post Deum, acceptas sciamus referendas. Ille idem præterea eam quoque invexit consuetudinem, quâ sub horarum intervallis certas intermiscentes melodias psallunt, & nonnihil vires reficiunt tàm pædagogi, quàm discipuli.

Denique tanta extitit viri huius celebritas, & jam num extat passim apud doctos, ut iuxta Poëtam:

Antè lupos rapiant hædi, vituli antè leones,
Delphini fugiant pisces, aquilæ antè columbas;
Et conversa retrò rerum discordia gliscat,
Cuncta priùs fuerint, quàm non tua gloria PRÆTOR.

Cæterùm, quanquam Prætorius studebat honestè vivere, & Spartam, quam nactus erat, exornare, nec uspiam malis ansam calumniandi præbere: Nihilominus tamen, cùm in disputationibus scholasticis, quas tùm ipsi habebant urbis Theologi, Philippum secutus,

Digitized by Google

secutus, fortasis etiam disputationis ergò asseveraſſet, Evangelium eſſe prædicationem pœnitentiæ, & remiſſionis peccatorum. Ob hanc vocem, dici vix poteſt, quantam invidiam, iram, & quanta convicia perpeſſus fuerit. Antagoniſtæ enim ipſius acris & aſperi ingenij homines, non tantum doctrinam hanc ſolidis argumentis refutare, verùm & famam Godeſcalci ignominiâ afficere, imò obfuſcare & penitùs delere, conabantur; ut ille ceù proprij nominis jam pertæſus, non Godeſcalcum Saxonicè, ſed Synonymo vocabulo Hebraico, Abdiam ſe appellaret, tandemq; Francofurtum ad Oderam cederet Anno Chriſti MDLVII. Sed neque Francofurti manere potuit, Antinomis iterùm ejus doctrinam arrodentibus, & contendentibus, ipſum operum rationem neceſſariam judicare, ad acquirendam ſalutem. Quocirca ut ex Academia maledicis linguis, & malevolis oculis ſubtraheretur, vocatus eſt ab Electore & Marchione Brandenburgico in aulam Berlinenſem, ad munus Oratoris obeundum, ejusq; operâ ſæpè & feliciter uſus eſt Illuſtriſſimus Elector in legationibus, inq; conſilijs tàm privatis, quàm publicis. Et ut ſpecimen aliquod pietatis & eruditionis Prætorianæ vobis exhibeam, recitabo pauca quædam ex colloquio, Berlini in præſentia Electoris cum Legato Pontificio, privatim habito A. C. 1561. XXI. Februarij. Ubi inter alias converſationes, cùm diſputatio eſſet de juſtificatione hominis coram Deo, nec non de fide juſtificante, & de bonis operibus: Papiſcolam in hunc modum affatus eſt Prætorius: Ut poſſis de ſententia noſtra cogitare, volo tibi ſummam negocij aliquam enarrare. Primùm docemus, quòd homo ante lapſum potuerit præſtare obœdientiam debitam. Secundò, ratione lapſus, depravata eſt humana natura, & ipſa corruptio propagatur in omnes homines. Tertiò, ratione iſtius corruptionis omnes ſumus rei coram Deo, & filij iræ. Atq; eatenus nemo noſtrum poteſt facere aliquid, quod opponatur irato Deo. Quartò, in iſto rerum ſtatu prodijt Filius & monſtravit nobis novam reconciliationis viam; quæ continetur in his dictis: Semen mulieris conteret caput ſerpentis.

Digitized by Google

tis. In semine tuo benedicentur omnes gentes. Qui crediderit, salvus erit, &c. Nec, (sicuti scriptum Act. 4.) aliud est nomen sub cœlo per quod oporteat homines salvos fieri. Quintò, istis ita constitutis applicatio fiat per fidem. Et ratio est. Quia sola fides apprehendit beneficia Christi. Alioquin in homine nulla res est, quæ habeat vim apprehensionis. Postremò, de bonis operibus dicimus, quòd quando homo est justificatus, debeat etiam bona opera facere, verùm ut justificatus, non ut justificandus, aut (quod idem est, tanquam filius jam adoptatus, non tanquam tùm demum adoptandus. Hæc est summa nostræ doctrinæ. Ad hoc Jesuita: In prioribus articulis consentimus vobiscum, sed in applicatione dissentimus. Ita enim dicimus, quòd homo fide in Christum justificatur, quod ad primam justificationem. Sed propter secundam justificationem debet adhuc bona opera facere, ut justificatio illa consummetur. Ergò, inquit Prætorius, operibus vestris plus tribuitis, quàm fidei & Christo. Cùm verò Pontificius hæsitare videretur: ipsemet Elector ex innumeris oraculis divinis unicum hoc Apostoli Tharsensis dictum tanquam arietem Pontificio themati admovit, quo validè illud percussit, dicens: Gratiâ salvati estis per fidem, idque non ex vobis, ne quis glorietur. Ad quod, cùm subterfugium aliud non haberet Jesuita intulit: Ergò vos Lutherani rejicitis merita operum. Respondit Electoralis Celsitudo: Rejicimus & non rejicimus. At secundum quid. Non tribuimus operibus justitiam & vitam æternam. Aliàs extra hunc casum admittimus bona opera, sed in justificatis, non justificandis. Porrò hac Electoris verba assumsit Prætorius, & in hunc modum explicavit: Domine, inquit ad Antagonistam, quando de ista materia justificationis agitur, tunc considerandum est totum corpus doctrinæ Legis & Evangelij. Primùm enim in lege sunt præcepta, promissiones, & comminationes. Præcepta sunt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis, & ex tota mente tua, & proximum tuum sicut teipsum. Promissiones sunt: hoc fac, & vives. Comminationes sunt:

Digitized by Google

Maledictus omnis, qui non permanet in omnibus his, quæ scripta sunt in libro legis hujus. Eatenus promissio legis non pertinet ad nos. Legem enim implere non possumus, cùm sensus carnis sit inimicitia adversus Deum, & lex spiritualis sit, nos verò carnales. Secundò, in Evangelio sunt itidem præcepta: Agite pœnitentiam. Credite Evangelio. Facite fructus pœnitentiâ dignos. Promissiones sunt: Qui crediderit, salvus erit. Posteà additur comminatio: Qui non crediderit condemnabitur. Ista præcepta præstat homo, quanquam in spiritu, & eatenus pertinent ad illum promissiones. Sed in applicatione promissionum est diversa ratio. Promissio justificationis & vitæ æternæ tantùm pertinet ad fidem. Promissio præmiorum corporalium pertinet ad bona opera prælucente fide. Tantum de privato isto colloquo. Redeamus jam ad Prætorium nostrum. Is posteaquam strepitus aulicus ipsi molestus & exosus esset, quietem & tranquillitatem affectans, Vitebergam reversus numeroquè civium ascriptus, privatim vitam suam egit, & exegit. Cumquè juvandis studiosorum rebus natus videretur: Auditorium aperuit frequentissimum, bonasquè artes & cultiorem literaturam prælegendo & disputando valdè promovit. Anno 1571. Decanatum in Philosophica facultate gessit; & inter multos alios Georgium Sohnium magisterij gradu ornavit VI. Septembris die. Quin & Reverendus, & clarissimus vir, Dn. Philippus Han, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, Ecclesiastes Cathedralis apud Magdeburgenses, meus quondam examinator & promotor dignissimus, testatur publico scripto, se gratiam debere Abdiæ Prætorio, *à quo puer adhuc signandus in album studiosorum Vitebergensium, examinatus, & Academico more absolutus, libellis quoq; ipsius eruditis postmodùm in studijs, præsertim in cognitione linguæ sanctæ, non parùm sit adjutus.*

Tandem multijugo officio benè meritus de studiosa juventute & re literaria, animam efflavit Anno MDLXXIII. IIX. Idus Janua-

Digitized by Google

Januarij, cùm postridiè ante obitum in somno vidisset feretrum efferri, & interroganti quisnam ille esset, responsum fuisset, Christum in sepulchro condendum, quem ipse quoque brevi esset secuturus. Evigilans, somnium interpretatus est astantibus, sequè non diu superstitem fore, dixit, addens hanc insignem consolationem: Qui Christum sequitur, benè graditur, nec ambulat in tenebris. Christe, esto misero mihi peccatori propicius, & trahe me post te. Quod restat, silentio non prætereundum, Prætorius utilissima scripta etiam consecravit posteritati.

Editus enim est ab eo libellus de Poësi Græcorum, cui accessit & alius de generalissimis Poëseos considerationibus, Anno Christi 1561. in 8. Vitebergæ. Deinde liber aureus de phrasibus Hebræis ibidem annis 1557. 1584. & 1593. in 8. Iterum alius libellus de discrimine sententiarum Lutheri, Sacramentariorum & Pontificiorum in materia de cœna Domini, & de sententia sana & orthodoxa Argentinæ 1567. in 8. Nec non Analyses paulò generaliores Locorum Theologicorum Philippi Melanchthonis, propositionum formis accommodatæ. Vitebergæ 1570. in 8. Eodem Anno ibidem Armeniorum de Trinitate, & Filio DEI, Domino nostro JESU CHRISTO, confessio cum quibusdam notis. Et multò antè, cùm adolescens quidam peteret ejus consilium de necessitate bonorum operum, haud gravatim præscripsit ei sex regulas, breves quidem, verùm nervosas, quas etiam singulas Sacræ scripturæ authoritate, & aliis testimoniis, ex Augustana Confessione, ejusdemquè Apologia desumtis, fulcivit. Tractatus hic excusus est Francofurti ad Oderam apud Johannem Eichorn Anno Christi 1561. in 8. Quia autem hæ regulæ me valdè delectant, testimoniumquè perhibent Prætorio, eum de hac doctrinæ parte non malè sensisse, hic illas inserere, non gravabor: Prima est: Rectissimè dicitur, Bona opera sunt necessaria, Nova obedientia est necessaria. Secunda: Rectissime dicitur, Bona

Digitized by Google

opera ſunt neceſſaria, tanquam res à Deo mandata. Tertia: Non rectè dicitur, Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem. Quarta: Non rectè dicitur, Bona opera ſunt neceſſaria ad ſalutem impetrandam. Quinta: Non propriè dicitur, Bona opera ſunt neceſſaria ad retinendam fidem & ſalutem. Sexta: Rectiſſimè dicitur, Bona opera ſunt neceſſaria ad teſtificationem, vel declarationem fidei & ſalutis; ad declarandem fidem, & ſalutem. Inde apparet, falsò inſimulatum eſſe bonum hunc virum, ac ſi docuiſſet, opera eſſe neceſſaria ad ſalutem. Poſtremò, citat Dn. D. Philippus Gallus in ſuis funebr. concionibus p. 153. Orationem Abdiæ Pratorij de Johanne Scheiringo I. V. D. habitam, quæ ſanè elegans, nervoſa, & rebus ac ſententiis utiliſſimis referta, eruditionis Pratoriana veſtigia nobis præbet conſpicienda.

Tantum de Abdia Prætorio, *non quidem pro materiæ dignitate, ſed pro virium noſtrarum facultate, commemorâſſe ſufficiat. Concludemus ergò cum precatiuncula Melanchthoniana:*

Spiritus ut Domini naſcentia corpora fovit,
Cùm manus artificis conderet iſta Dei:
Sic foveat cœtus, qui Chriſti oracula diſcunt,
Accendatque igni pectora noſtra ſuo.

DIXI.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS CASPARI EBERHARDI.

Salomon regum ampliſsimus, qui præter immenſas opes eam conſecutus eſt à DEO *ter Opt. Max. ſapientiam, ut nullus potentum illi ſit comparandus, honorificam cordatorum ſexaginta virorum, ex fortibus Iſraël electorum ſatellitum ſuorum mentionem fecit Cantic. 3. quòd horum præſidijs, cuſtodijs, vigilijsq; regius lectus muniretur, utpotè, qui non ita ad gladium erant alligati, quemadmodum Comicus lepores nonnullos, uti dicitur, galeatos facetè & per jocum notat, ſed bellico artificio velut innutriti, cuncta militaria munera intrepidè obire ſtrenuâ promtaq; manu, & acri animo audebant, & gaudebant. Quantò magis heroës iſtos, qui circa lectum cœleſtis Salomonis* CHRISTI *h. e. circa Eccleſiam & Religionem fidas agunt excubias, induti armis ex panoplia Spiritus Sancti deſumptis, æternùm judicamus laudandos. Etenim Syracides cap 10. v. 27. ait: Magnates & judices & potentes celebrabuntur. Et non eſt in his major quisquam eo, qui timet Dominum.*

Quocirca talis cùm fuerit Reverendus & clariſsimus vir, CASPARUS EBERHARDUS, *de ipſius quoque vita, certaminibus & felici obitu, Venerandi ac doctiſsimi Domini fratres, jam recitabo oratiunculam quandam, nullus dubitans, quin, pro veſtra in me benevolentia iterum benignas mihi aures præbituri ſitis.*

Primum autem omnium, & bonis parentibus, & honeſto loco, & in optimè conſtituta moratáq; patria naſci & educari præclarum eſt ad laudem & felicitatem hujus vita conſequendam ἐφόδιον. Semina

Digitized by Google

enim virtutum à parentibus non ravò propagantur, quæ etsi multum naturâ valent: tamen nisi arte, ratione atq; disciplinâ domesticâ & scholasticâ à teneris excitentur, foveantur atq; confirmentur, vel elanguescunt, vel certè ad eam non adolescunt maturitatem, cujus est ferre, reddereq; fructus utiles communi societati. Magna etiam vis est exemplorum, ad quæ mentes tenera sese inflectunt & accommodant velut plantulæ ad circumdefixos palos.

Verùm enim verò longè excellentius est bonum, nasci in Ecclesia vera, & ab eadem per Baptismum regenerari, ut inserti Filio Dei, veluti surculi palmiti, & effecti vera organa inhabitantis Spiritus Sancti, trahamus, hauriamusq; inde initia vitæ æternæ. Quibus ergo hæc bona universa simul contingunt, hi demum veram nullis unquam seculis interituram obtinent beatitudinem. Id quod fecit noster Eberhardus, honestissimis parentibus natus Anno 1532. & magnâ curâ educatus in urbe metallica Schneberga, *à monte & nive, nomen adepta. Incredibilis penè summa est argenti ex venis Schnebergensibus effossa, de qua Philippus Melanchthon, Georgius Agricola, Matthæus Dresserus & alij mirabilia scribunt. Ad hæc, locus dictus cives habet moratos, senatum prudentem, Ecclesiam & Scholam benè constitutam secundum Augustanæ Confessionis formulam. Ibi, inquam, educatus est & ad studia pietatis & literarum adhibitus, cùm excelleret ingenij ac naturæ ornamentis, & alijs longè præstantioribus Spiritus Sancti dotibus, quæ sese cum spe non dubia magnorum Ecclesiæ commodorum in eo exeruerunt.*

Adultior factus, & optimis literis ac artibus imbutus, talentum suum non abdidit sub modium: Sed in memoriam sibi revocans illud Poetæ:

Scire tuum nihil est, nisi te scire id sciat alter.

Nec non Senecæ illud ad Lucilium ipistolâ 6: Cupio omnia, quæ scio, in alium transfundere, & in hoc aliquid gaudeo discere, ut doceam: nec me ulla res delectabit, licet sit eximia & salutaris, quam mihi

Digitized by Google

mihi uni sciturus sum. Si cum hac exceptione detur sapientia, ut illam inclusam teneam, nec enunciem, rejiciam. Nullius boni sine socio jucunda est possessio: Scholis & Ecclesiis operam suam addixit, quod ut majori authoritate & fructu facere posset, ad gradum Philosophiæ supremum aspiravit. Donec anno 1570 die 29 Maij insignia Doctoratus, R. Dn. Georgio Majore, Theologicæ facultatis Decano conferente unà cum Dn. Sigfrido Sacco, Dn. Jacobo Lechnero, Dn. Johanne Garcæo, Dn. Adamo Rothero, & Dn. Georgio Langevoit, nactus est, cùm Consistorialis esset Misnensis.

Tandem ex Misena oppido Vitebergam vocatus, in remoti Widebrami locum subrogatus est, consentientibus omnium in Academia Professorum, & in Oppido Senatorum suffragijs: atq; in templo parochiali ante aram Pastor & Superintendens generalis, Professor etiam publicus confirmatus anno 1574. Academiam veneno Calviniano infectam repurgavit, & sanctum Lutheri depositum auditoribus inculcavit & commendavit. Nam sic de eo scripsit Balthasar Menzius:

Cùm nobiles isti Calvinistæ, & turbatores Ecclesiarum Saxonicarum, D. Fridericus Widebramus, ejusquè Collegæ, Christophorus Pezelius in Arcis templo præco, Casparus Cruciger Junior Theologiæ & Henricus Möllerus Hebrææ linguæ Professores, duce & auspice Casparo Peucero Medico, post reverendæ recordationis, D. Pauli Eberi mortem, ab Augustana Confessione secessionẽ fecissent, & hæc Sarepta nostra ceu bello civili ac domestico turbata esset; Deus misericors ducem & ἡγεμόνα militiæ hujus difficilimæ immensâ bonitate illi donavit eruditione, ac doctrinâ solidâ, virtute item ac pietate ardenti minimeq; simulatâ excellentem virum, Dn. Casparũ Eberhardum Sacræ Theologiæ Doctorem, Pastorem, Professorem huius Academiæ & Superattendentẽ: Atq; hoc præcipuè viro hinc Sareptæ & aciei donato, in spem erecti optimam fuimus, fore, ut paulatim coirent, atq; coalescerent vulnera illa sæva, quibus acies hæc nostra cùm à domesticis, tùm exteris hostibus quàm plurimis aliquandiu lacerata

Digitized by Google

lacerata fuerat. Nam quæ illius virtus, quæ pietas, quæ doctrinæ & eruditionis excellentia fuerit, & conciones ejus apud nos testatæ sunt, & desideria ac vota earum Ecclesiarum, quibus aliquandiu vox & fides ejus dicata fuit, ac servivit, satis superq; ostenderunt. Nam ab his cùm anxiè omninò ac cupidissimè denuò requisitum ac desideratum fuisse, ij noverunt, quibus res ac rationes ejus universæ penitus cognitæ ac perspectæ fuerunt. Testatum idipsum fecit & judicium illustre & gravissimum pientissimi & Illustrissimi Principis, Dn. AUGUSTI Saxoniæ Ducis & Electoris, laudatissimæ memoriæ, quòd huic potissimùm viro Ecclesiam oppidi hujus gubernandam commendavit, fatali hoc & periculosissimo omnium, quæ unquam acciderunt in hac schola, mutationum articulo ac momento. Et quidem quæ fuerit illius in sanandis scholæ vulneribus industria, quæ fides, quæ erga sanabiles & moderatos modestia, ἐπιείκεια, ac temperantia; rursum quæ erga præfractos ac contumaces, aut in doctrinam saniorem contumelioſos obtrectatores severitas, quì Zelus fideiq; ardor, actiones aliquot ostenderunt, quas non ille sibi ἀνυπαίτως ac temerè attraxit: sed temporum iniquitas & perversorum nonnullorum hominum judicia, & injuriæ multiplices objecerunt vel obtruserunt potiùs invito ac dolenti. Ac testari verè de his possunt ij universi, qui plærarumq; illi collegæ ac socij fuerunt.

Nequaquam ille vir ex numero illorum erat seu sapientum, seu Epicuræorum, qui religiones attemperari volunt vel ad Principum vel aliorum quorumcunq; in aulis & scholis eminentium cupiditates, aut ad tranquillitatem, ut multi nunc loquuntur, publicam, quam veritati & gloriæ Dei, proh dolor, falsissimo prætextu anteferunt: multò minùs illis assentiebatur, qui mordicùs retinent errores impios & cùm à voce divina, tùm judiciis gravissimis rectè sentientium rejectos & damnatos, ne jacturam existimationis, aut opinionum propriarum fecisse, aut cessisse rectiùs sentientibus videantur. Acerrimè verò id genus hominum execrabatur, & toto pectore detestabatur, quòd superbissimè, & Giganteâ audaciâ deridet omnès religiones,

Digitized by Google

religiones, Epicuri more, tanquam inania terriculamenta & fabulas commenticias, quales sunt hoc tempore plurimi, & quidem literati, plus justo sibi indulgentes ac placentes. Deniq; actionum & consiliorum omnium normam sibi constituerat divinam vocem, finem verò immediatum ac unicum gloriam Filij Dei: hanc ille amabat, hanc ornare & illustrare, hujus noticiam propagare totâ mente conabatur ac gestiebat. Vera nos narrare ac testari fatebuntur ij, qui & hic & alibi pro concione dicentem audiverunt. Quanquam ergò & hic & alibi fuerunt vomicæ nonnullæ ingratæ & inquietæ, quæ virum hunc eximium ignaræ verarum illius virtutum, calumniis & contumeliis tetris deformârunt & exagitârunt; in agone tamẽ illius postremo, quo, proh dolor, illum, scholæ huic vix ostensum, amisimus, eluxit ac conspici potuit, nihil in eo simulatum, nihil fucatum fuisse: sed & fidei & zeli in eo robur simpliciter fuisse εἰλικρινὲς; imò totum ipsum opinione omnium majorem fuisse, ac verè comparabilem summis illis & fidis doctoribus, quibus Ecclesia & Schola hac hactenus excelluit & floruit. Non desiit beata illius anima testari & asserere gloriã Filij Dei, & prædicare sacrosanctæ Passionis, sanguinis ac mortis ejus merita, priusquam à corpore illa discederet. De causa quoq; publica, quæ in hanc eum stationem protrusit, testabatur, optimâ se conscientiâ niti deq; vera ac substantiali corporis ac sanguinis Domini in cœna Dominica præsentia certissimum esse se, atq; ex ea efficacissimum consolationis sensum in hoc postremo agone suo, se experiri confirmabat, suosq; universos magno animi ardore hortabatur, ut agnitam ac [illegible] & non dubiam veritatem toto pectore, & utraq;, quod ajunt, manu amplecterentur atq; tenerent, nec adduci paterentur ad illorum seu societatem, seu opiniones recipiendas ac probandas, qui abjecto τῷ ῥητῷ ac simplici & nativo verborum Domini intellectu τῇ θεολογίας alias, concinnas quidem & rationi blãdientes: sed revera tamen inanes ac falsas, & quavis vanitate vaniores serarent ac defenderent. Magna, dicebat, adversariæ partis nostræ eruditio est, magna dona sunt, quibus nobis sese præferunt, ma-

Digitized by Google

gna multitudo est, quæ opiniones illorum amplectitur, ac defendit pertinacissimè; magna denique in pingendis præstigijs & delirijs illorum calliditas est, quam & ipsi & alij sapientiæ titulo vulgo venditant: sed major, ajebat vicissim, & sapientia & authoritas Christi est, pro cujus veritate & gloria dimicamus, facti spectaculum Mundo, angelis & hominibus. Quanquam ergò mundo sordemus nos & nomina nostra, attamen quòd Christi bonus odor sumus totâ menta lætemur nobisque gratulemur. His atq; alijs sanctissimis sermonibus vim morbi sibi ipsi leniebat. Et quanquam corpus caloribus morbi vehementissimis penitùs propemodum exhaustum atq; absumptum esset, adeò etiam, ut fauces illi continuis quasi ignibus torrefactæ arerent, ac saucia essent; assiduè tamen os & lingua ejus beneficia Christi Redemptoris sonabant, celebrabant, his repetitis vocibus sanctissimis:

Vita mihi Christus, mors mihi dulce lucrum;

In te, Domine, speravi; non confundar in æternum; ne derelinquas me, Domine, usquequaq;: Credo, Domine, sed tu fer opem diffidentiæ meæ, (vel infirmitati meæ,) Minor sum, Domine, cunctis miserationibus tuis. Atq; inter has preces animam piam placidissimè tandem exhalavit, omnibus, qui morienti adfuerunt vigorem, atq; lætitiam animi ad mortem paratissimi, viriumq; omnium ad extremum usq; integerrimarum constantiam cum gaudio & stupore quodammodò admirantibus. Ex hac autem ærumnosa lachrymarum valle in Academiam & vitam æternam evocatus est Anno 1575. die 21. Octobris, magno cum Ecclesiæ luctu, cùm vixisset annos LII. Scholas verò & Ecclesias Joachimicam, Gotsgabiensem, Hallensem, Wolckensteniam, Misnensem & Vitebergensem rexisset annos XXX. Sepultus Viteberga in Basilica B. Virginis, ad sinistrum aræ cornu, eiq; tabula in proxima pila erecta, in qua effigies ejus, uxoris & sobolis artificiosissimè expressæ conspiciuntur. Insigne eminentiis impositum habet dimidiatum Pegasum è viridi monte prosilientem.

MAGDALENA uxor, Marito: Liberi tristes Parenti charissimo pie-

Digitized by Google

mo pietatis ergò monumentum publicum cum tali inscriptione parari curárunt:

Saxonicas cùm Dux regeret FRIDERICUS habenas,
Vindice quo, cecidit fraus scelerata Papæ.
Natales hausi NIVEIS in MONTIBUS auras,
Et CHRISTO in sacro nomina fonte dedi.
In regnum ut subiit JANUS, CONFESSIO sub quo
Tradita, dive tibi, CAROLE, sacra fuit:
Obtulit Aonidum castris me cura Parentum,
E verbo agnovi salvificante Deum.
Tempore quo invictus fidei constantibus ausis,
Verus eras patriæ, JAN: FRIDERICE, parens:
Pierio ingeniosa choro me turba cooptans,
Ingenio jussit liberiore frui.
Inde ubi MAURITIUS terror Regumq; Ducumq;
Imperij ferret sceptra potente manu:
Nomen honorificum accepi titulumq; Magistri,
Cùm posita est capiti Laurea prima meo.
Felices tandem cum pace superstite gentes,
AUGUSTO, exciperent aurea secla, Duce:
Fructum etiam merito pro mille laboribus hausi,
Et fulsit nostris purpura honesta comis.
Hoc vivo, moriorq; libens sub vindice Verbi
Salvifici; At CHRISTO spes mea fixa DEO est.

Salve tu, Dive CASPARE, *qui patriam cœlestem tenes.*

Te verò æterne DEUS, *Pater Domini nostri* JESU CHRISTI, *supplices oramus, ut misericordibus oculis respicias Ecclesiam tuam. Adesto nobis Spiritus Sancti auxilio in doctrina verè, adversus Sacramentorum divinorum derisores, assertione, rege & conjunge mentes nostras, ut unâ fide, uno Spiritu, unâ voce te confitentes in perpetuum celebremus.* DIXI.

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS PAULI CRELLII.

NOn sine causa pijs Apostolicâ authoritate tantoperè commendata fuit honorifica commemoratio eorum, qui locuti sunt nobis sermonem Dei. Hebr. 13. Nam, si turpe ducitur, ijs non referre gratiam, qui in tenebris erranti facem praetulerunt; turpius, si non reddas officium, qui iter facientibus per compita disciplinarum & artium viam veram & compendiosam ostenderunt, avocantes semper à monstrosis opinionibus animos; turpissimum est, oblivisci eorum, qui in hoc seculo peregrinantibus & alicubi à semita veritatis in doctrina & vita aberrantibus angustos ad cœlestem patriam calles quasi digito monstrárunt, dicentes: Haec est via, hanc ambulate; aliàs neq; ad dextram, neq; ad sinistram contendite; in medio tutissimi ibitis. Esaiae 30.

Verùm quò utilior est praeceptio, eò diligentiùs cavendum, ne ipsâ praepostere utamur: Quod multis in regno Pontificio usu venisse, luce meridianâ clarius est. Illi enim dum sanctis divinum invocationis cultum & honorem exhibuerunt, in Deum facti sunt non duntaxat injurij, sed & blasphemi. Sanctorum igitur justa memoria in eo potissimum sita est, ut reputantes, quid per ipsos nobis à Deo datum sit, atq; expendentes exitum virorum pietate & virtute excellentium, imitemur fidem eorum, vitaeq; sanctimoniam colendo, ad propositum beatae immortalitatis scopum tendamus.

Eapropter cum R. & clariss. viri, Dn. PAULI CRELLII Th. D. pietas, eruditio, virtus, industria & fides, quam Illustrissimo Principi Saxon. Electori, Dn. AUGUSTO p. r. Academiaeque & Eccle-

Digitized by Google

Ecclesiæ Vitebergensis & Misnensis Senatoribus multis annis abunde probavit, omnibus pijs rectéq; sentientibus non tàm nota, quàm probata fuerit, ejusdem vitam, acta, beatissimumq; ex hac vita decessum vobis, Optimi Domini Collegæ & fratres in Christo dilectissimi, referre non gravabor, ut vel pijs ejus manibus, cùm viventi non psiomus, aliquantulas tamen pro labore gratias reponamus. Hujus autem viri merita, præclara & singulares virtutes, eò majores sunt & illustriores, quò in difficiliora Ecclesiæ tempora inciderunt.

Quemadmodum enim tranquillo mari ignavissimus quisq; navem gubernare potest, sed in gravi tempestate, non nisi prudentissimus & peritissimus adhibetur nauclerus: Ita rebus compositis quilibet mediocriter donis instructus Ecclesiæ facilè potest præesse, verùm cum cunc omnia erant suspecta, & ventoso Calvinianorum spiritu ad vertiginem usq; turbata, quassata, & agitata, DEUS prudentes naucleros excitavit aliquos, qui vigilantiâ & circumspectione suâ Christi cymbam, Ecclesiam vè, ad tranquillitatis portum reducerent. Cujus quidem rei non postremam partem Illustriss. Principem, Dn. Augustum, laudem obtinet Paulus Crellius, alijq; docti ac religiosi viri.

Natus est autem Crellius Anno 1531. 5. Februarij, ex honestis parentibus ISLEBII, *in oppido Illustrium & Generosorum Comitum Mansfeldensium, quod nomen habet non ab* ISIDE *Aegyptiaca, sed à ferro potiùs & metallo, cujus copiam locus, in quo situm est, suppeditat, ac dicitur, quasi æris domus, seu ferri domicilium, celebre inprimis & nobilitatum nativitate Magni illius Doctoris* Martini Lutheri, *qui sinceriorem Theologiam, ex puris fontibus Israël hausiam, in lucem revocavit, & per totam Germaniam vicinaq; regna scriptis & concionibus suis propagavit, imò & coram Imperio universo, exteris q; nationibus apertè constanterq; professus fuit.*

Porrò consilio parentum ad literarum & pietatis studia adhibitus est Paulus noster tenellus adhuc & tractabilis, antequam lebat; ut instar argillæ in manu figuli ad optima quæq

Digitized by Google

& fingeretur. Indoles enim in ipso animadvertebatur valdè bona, juxta illud:

Urit maturè, quod vult urtica manere.

Obsequio itaq; ac indefesso studio, hedera in morem, quæ robustis arboribus circumplicata, unà cum ramis assurgit, sectando præceptores suos, ijs sensim suffectus est. Magnum puero adjumentum tulit patria schola, tùm Dei beneficio, optimè constituta.

Idq; liberalitate & hospitalitate civili non tàm erga fideles magistros, & præceptores, quàm scholasticos etiam exteros. Sicuti jamnum quoquè schola Islebiensis floret.

Mediocriter jactis verò in patria trium cardinalium linguarum, Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ fundamentis, Vitebergam venit Anno Christi supra sesquimillesimum duo de quinquagesimo, ætatis decimo & septimo. Ibi hù principijs feliciter superstruxit, cum studiorum & morum inspectorem invenisset peritissimum & clarissimum, Dn. IOHANNEM MARCELLUM, Philosophiaq; & Theologiæ indefessam dedit operam. Quare primo quadriennio exacto, exercenti sese in tali palæstra dignitas in Philosophia suprema, fuit collata, consentientibus omnium bonorum & doctorum virorum calculis.

Altero quadriennio, soli Theologiæ vacavit, quo ad finem perducto, vocatus fuit ad ministerium Evangelij in templo Arcis, & commendata est ipsi lectio publica IOHANNIS FÖRSTERI Th. D. Unde & factum, ut authoritate & mandato Illustriss. Pr. Augusti, gradum summum in Theologia tribui sibi postularet Anno Christi 1559, ætatis 28. Sed producamus literas publicas, quas testimoniales vocant, sigillo itidem publico facultatis Theologicæ communitas, quæ post alia sic habent:

Cùm jussu & mandato Illustrissimi Principis ac Domini, Dn. Augusti Saxoniæ Ducis & Electoris &c. Domini nostri Clementissimi, vir Rev. & clariss. Dominus Paulus Eberus, vocatus ad gubernationem officij Pastoralis in hac Academia, & oppidi hujus Ecclesiæ,

Digitized by Google

cleſia, gradum Doctorum Theologiæ non ita pridem petere cogeretur, & authoritate ejusdem Principis Inclyti, ac conſentientib. ſuffragijs Academiæ noſtræ modò dicto Paulo Ebero in templo, quod Arci illuſtri in oppido noſtro contiguum eſt, ſucceſſor daretur vir Reverendus PaulusCrellius, *Islebienſis, præſentium exhibitor, eiq; non tantùm concionatoris in arce ſuperioris locus, ſed in ſchola quoq; prælegendi munus cõmendaretur, juſſus & ipſe eſt, adjungere ſeſe Ebero & cæteris illius collegis & in petendo gradu συμφοιτητας ac θεοδιδακτους.*

Etſi verò ſuæ ſibi conſcius imbecillitatis ac tenuitatis, ſeriò & locum & gradum hunc ampliſſimum, & periculis ingentibus tempore difficilimo expoſitũ, defugit ac modeſtè recuſavit Crellius, tamen cùm & vocationis ſanctitatem cogitare juſſus eſſet ab ijs viris, Philippo videlicet Melanchthone, Paulo Ebero, à me Georgio Majore, Jacobo Milichio, Vito Winshemio & alijs, quorum ille authoritatem, & conſilia paterna aſpernari aut contemnere non potuit, & intelligeret jam per ætatem, vocationes omnes regi & offerri divinitùs, ac præter ſpem & exſpectationem ſuam omnem, authoritate tanti Principis, & tot præſtantiſſimorum hominum conſentientibus judicijs, protrudi ſe quaſi ac pertrahi in ſtationem difficilimam videret, reverenter & Deo & nobis obtemperavit, ac vocantem Deum ſecutus, ſtatutis ac legibus facultatis noſtræ Theologicæ modeſtè ſeſe ſubjecit. Quæ uti non admittunt ad gradum Doctorum Theologiæ eos, qui enarrationes ſcripturæ Propheticæ & Apoſtolicæ ſexennio integro non audierunt à Doctoribus ordinarijs in ſchola prælegentibus, ſive hic, ſive alibi in Gymnaſio amplectente puram Evangelij doctrinam, ita noſter hic Crellius, Collegio noſtro probavit, decennio ſe integro ac continuo ſtudioſè audiviſſe omnes hujus ſchola Doctores & Profeſſores Theologos, viros Reverendos & θεοδιδακτους D.D. Iohannem Bugenhagium, Eccleſiæ Vitebergenſis Paſtorem: Dn. Johannem Förſterum, D. Philippum Melanchthonem, D. Paulum Eberum, *& me Georgium Majorem, fideles cuſtodes depoſiti ſacroſancti, quod à* Luthero *nobis concreditum ac commiſſum fuit.*

Proba-

Digitized by Google

Probavit nobis & hoc, ex schola se patria trium linguarum, Latinæ videlicet, Græcæ & Hebrææ principia ac fundamenta feliciter jacta hûc attulisse, Quæ quâ assiduitate, diligentiâ ac profectu per Dei gratiam decennio hoc excoluerit, & ornârit, testata nobis sunt & examina, quibus ante hoc tempus ipsius eruditionem exploravimus, & multa alia, quæ de se ipsemet edidit doctrinæ non vulgaris documenta.

Confessionem verò illius de omnibus doctrinæ Christianæ Articulis, atq; inprimis de his, qui præcipuè nunc controvertuntur, probavit non solùm disputatione publicâ, in qua pro Licentiâ in Theologia consequenda, auditus fuit coram tota Academia & cœtu discentium publico, sed vel inprimis concionibus assiduis, quibus in templo arcis vocante Academiâ quotidiè habendis præfuit ante hoc tempus integrum quadriennium. In his enim apparuit præcipuè, & δωράμει eum ἐρμηνευτικῇ & συνέσει πνευματικῇ per Dei gratiam excellere, ac reverenter & constanter didicisse & amplecti puram Evangelij doctrinam consentaneam confessioni, quam Augustæ Anno 1530 exhibuerunt Imperatori Carolo *& Principes harum terrarum, & Theologi, qui tùm temporis in Germania vixerunt celeberrimi & pientissimi, quam doctrinam certò statuimus esse verum ac perpetuum Catholicæ Ecclesiæ Dei consensum, quam q; unam & solam, piè & fideliter proponi, conservari & propagari in hac schola voluerunt & volunt inclyti & pientissimi Domus Saxonicæ Principes, μύσμακες hujus & officinæ literariæ οἰκισταὶ ac conservatores Clementissimi.*

Deniq;, cùm ingenio excellat Crellius, & intelligat operæpretium esse in discendo, videre, qui sint præcipui loci, quæ initia, progressiones & metæ ejus doctrinæ, quam cupit unusquisq; percipere integram, comperimus non obiter, non perfunctoriâ operâ didicisse Crellium doctrinæ cœlestis rudimenta sed operam dedisse, ut ex veris fontibus Israël, Hebræis videlicet ac Græcis Prophetarum & Apostolorum libris, & ex probatissimis Ecclesiæ Doctoribus Græcis & Latinis,

Digitized by Google

Latinis, copiam sibi doctrinæ necessariæ compararet. Id quod testatum fecit toti apud nos Ecclesiæ, enarratione Epistolæ ad Romanos methodicâ, splendidâ & luculentâ, quæ & locos & metas doctrinæ cœlestis magna ex parte monstrat.

Comperimus & hoc, abhorrere Crellium toto pectore, à furoribus fanaticorum hominum, qui & olim turbarunt pium Ecclesiæ consensum, sparsis ac defensis hæresibus impijs, damnatis in Synodis, Nicena, Constantinopolitana, Ephesina & Chalcedonensi, cumq; nostræ etiam Ecclesiæ & Academiæ consensus turbetur hoc tempore, latratib. & ululatib. factiosorum & fanaticorũ hominũ passim jam serentium futurorũ furorũ & certaminũ horribiliũ semina, dedit imprimis operam Crellius, ut nostri cœtus ὁμονοίαν ac συμφωνίαν prudẽtiâ tueretur, juvaret, & quibus posset officiis, foveret. Neq; enim in munere docendi, quo hactenus quadriennio integro apud nos functus est, maledicẽtiam & pugnacitatem nonnullorũ imitari eum vidimus, qui reprehensionib. intempestivis irritant tantùm adversarios, & cumulant potiùs, quàm sanant, miserrimæ Ecclesiæ distractiones & miserias, suntq;, ut proverbio dicitur, unguis in ulcere. Nec lentus tamen fuit, aut occultator impius in dissimulãdis, excusandis aut palliandis furoribus manifestè impijs: sed ut fidem Deo & Ecclesiæ debitam probaret, graviter, constanter, & sine virulentis criminationibus, quid de cõtroversijs singulis judicaret ac sentiret, auditores suos monuit, ubi sæpè diserte testatus est, à duabus se factionibus nostri temporis, à Sacramentaria scilicet, ac Flaciana quàm maximè abhorrere, Nam cæterarũ, quæ his permixta, aut ab his ortæ sint, impietatem manifestiorem se judicare, quam quæ reprehensione indigeant, Et non tàm Doctorum voce, quàm magistratuum piâ severitate cohercendas esse. Sed à duabus illis, non minùs, quàm à regni Pontificij societate alienissimum se esse, cùm propter præstigias & sophismata mirifica, quibus perspicuam veritatem Sacramentarij oppugnant & obscurant, tàm propter alia manifestæ impietatis signa, quæ cernuntur in distractionibus, ruinis, querelis ac gemitibus Ec-

Digitized by Google

clesiarum illarum omnium quascunq; altera occupasset, aut penetrasset: Conspici enim in luce manifesta, verè congruere his factionibus dictum Christi, Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.

Sunt & mores hujus Crellij nostri honesti, & tales omninò, quales Paulus in Episcopo & Doctore pio ac fideli requirit, præcipiens, ut sint Doctores typi fidelium, in sermone, in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide & castitate. 1. Tim. 4. Nam cùm & parentibus honestissimis Islebiæ *in conjugio pio legitimè natus, & inde usq; à teneris ad virtutem & pietatem assuefactus ab his esset, postea etiam piâ illorum diligentiâ ac providentiâ in hac Academia formatorem & rectorem studiorum & morum felicissimum & fidelissimum nactus esset, Clarissimum & doctiss. virum, M. Johannem Marcellum Regiomontanum, Professorem quondam in hac Academia publicũ, in cujus domestica consuetudine vixit integrum biennium, Et post illius mortem versaretur hîc in luce & oculis eruditorum, gratus, notus, & charus præcipuis in hac schola Doctoribus, sic vixit ac rexit mores suos, ut ne suspicio quidem labis, aut turpitudinis ullius in illo animadverteretur. In mea quoq; familiæ convictu, ac consuetudine interiore cùm vixisset anno integro, non tàm propter ingenij rectitudinem & doctrinæ excellentiam, quàm propter mores honestissimos & integerrimos, sic eum dilexi ac complexus sum, ut filiam ei charissimam despondere, ac conjugij affinitate eum mihi ac meis adjungere non dubitârim, cujus me consilij ac facti mei tàm non pœnituit unquam, ut illum & filiæ maritum commodum, mihiq; generum charissimum à Deo ipso donatum atq; oblatum esse, haud invitus agnoscam, Ac gratâ mente sæpè Deo pro hoc ipso beneficio gratias agam, cogitans versiculos dulcissimos veteres, qui satis ostendunt, eventus in deligendo genere non semper respondere etiam optimè cogitatis consilijs,* ὁ μὲν γαμβρὸς ἀτυχὼν ἔυρηται ἂν, ὁδὲ γαμβρὸς ἀπατυχὼν ἀπώλεσε καὶ θυγατέρα.

Talis cùm esset Crellius noster, consentientibus omnium in Academia

Digitized by Google

cademia lectorum, atq; imprimis eorum doctorum suffragijs, quibus doctrina cœlestis gubernatio ac propagatio commendata est, dignus iudicatus fuit, qui gradu Doctorum in Theologia, una cum Reverendis & clarissimis viris, Dn. Paulo Ebero, Cymbrio Erasmo Laeto Dano, & Johanne Cogelero Quedlinburgense, ornaretur, Quod factum est, Anno hoc à natali Domini Salvatoris ac Redemptoris nostri Jesu Christi, currente millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, die Decembris septimâ, Et quidem in frequentissima honestissimorum & clarissimorum virorum corona ac frequentia, quibus hoc de viris illis Reverendis & doctissimis judicium ac testimonium nostrum fuit gratissimum.

Quod eò significamus ac testamur his literis nostris, ut sapientes ac boni viri, quos aliquando aditurus est hic Paulus Crellius, intelligant, & quis sit hic vir honestissimus, & quod ac quale de eo fuerit clarissima Academia, & nostri præcipuè collegij Theologici judicium. Atq; imprimis quid & quantum illi tribuerit vir ille summus & incomparabilis, Reverendus Dn. Philippus Melanchthon, qui disputationis publicæ, in qua Paulus hic auditus est, Præses ac moderator fuit, & alioqui in judicando de ingenijs acerrimus erat & sagacissimus & ἀκριβέστατος censor: cupimus & notum fieri ijs universis, quibus vel Ecclesiarum vel Rerumpublicarum gubernatio commendata est. Non esse hunc Paulum nostrum, unum ex stellionibus aut impositoribus illis impijs, quales multi, proh dolor, vagantur, qui nullius Ecclesiæ cives sunt, Neq; illum proprio sibi judicio, fastu, aut ambitione, hoc quicquid est honoris in titulo ac gradu honestissimo, rapuisse, aut emendicâsse turpiter, sed gravi ac maturo judicio multorum in hac Academia senum pietate & virtute præstantium, Quin authoritate etiam summi Principis, & vocationis sanctissimæ ratione, pertractum ac protrusum esse in palæstram hanc & militiam difficilimam docendi Evangelij, sua etiam pietate, virtute & doctrina excellenti, hoc quicquid est vel præmij vel dignitatis strenuè promeritum esse.

Digitized by Google

Nec verò ullus totius vitæ gradus sustinet difficilius & majus onus, quàm hic ordo, cui commendatur explicatio & dijudicatio doctrinæ cœlestis: Quid enim cogitari majus potest? Et quæ sunt ordini huic proposita præmia alia, quàm vel certamina & pericula ingentia? Quare, etsi privilegia, ut nominantur, ac tituli honorum aliqui ordini huic nostro, ac singulis in hac Academia ad hoc fastigium evectis, concessi & donati sunt à summis principibus. Quorum & Crellium hunc nostrum participem esse cupimus, & Ecclesiæ causâ lætamur: Tamen ne comparandi quidem illi sunt cum periculis ac difficultatibus tristissimis, quib. hic vitæ gradus expositus est. Unum in hoc genere honorum & ornamentorum decus est, quod gazis ac gemmis omnibus anteferendum est, testificatio, scilicet, virorum sapientum & bonorum de cujusq; ingenio, studijs moribus & vocatione legitima. Hæc periculis & ærumnis omnibus opponi potest, & unicum est in uniuscujusq; ærumnis & dolorib. præsidium ac remedium præsentissimum & efficacissimum.

Quocirca vel una de causa hac, literas has nostras Paulo Crellio, ornato à nobis sanctissimo Doctorum in Theologia gradu ac testimonio publico, dedimus, ut nostri de ipso judicij, & vocationis legitimæ, testes ei essent. Et quanquam hortati eum sumus, ne ab Ecclesia & Academia hac discedat unquam privatâ vel cupiditate, vel curiositate, eumq; obtemperaturum nobis, & vas utile & in honorem Dei præparatum futurum speramus & optamus: Tamen, quæ est rerum humanarum incertitudo atq; inconstantia, casus aliquis vel momento intervenerit, qui hinc eum exeutiat & à nobis avellat. Propter hanc incertitudinem cùm tributi ac collati illi gradus amplissimi testimonium peteret, ac necessarium ac utile sibi fore existimaret, commendare eum literarum præsentium testificatione bonis ac honestis viris voluimus.

Quos omnes ac singulos reverenter & officiosè rogamus, ut hunc Paulum Crellium cùm propter pietatem, virtutem & doctrinam excellentem, tùm propter gradum & testimonium hoc nostrum, benignè

Digitized by Google

benignè complectantur, & juvent, tueantur & ornent, quibus possunt officijs. Nec dubitamus, cùm hic Crellius noster præclarè, quòd & hactenus testati sumus, in studio doctrinæ Ecclesiæ profeceverit, & ad illius propagationem in celeberrimo Gymnasio hoc nostro vocatus sit, & eruditionem ac cæteras virtutes modestia & in omni officio diligentia ornet, operam illius multis salutarem futuram, ipsum etiam gratitudinem animi veram honestis viris omnibus, à quibus benignè juvabitur, declaraturum, atq; integritatem suam probaturum esse his, cum quibus vivet, speramus, &c. Dabantur Anno à natali Christi M D L IX. die Thomæ, qui à promotione Pauli hujus nostri fuit Quartus decimus. Decanus collegij Doctorum & Professorum Facultatis Theologicæ in Academia Vitebergensi Georgius Major S. Th. D. & Professor.

Hactenus audivimus literas testimoniales de gradu, ad quem in Theologia feliciter aspiravit, jam porrò audiemus, quomodo munus sibi commissum, Spartamq; illam, quam nactus erat, egregiè exornavit. Etenim & docendo multis profuit, publicè præcipuas Scripturæ Sanctæ volumina accuratè perspicueq; interpretatus, & scribendo dogmata nonnulla controversa ita explicavit, ut bonis omnibus satisfactum sit.

Dolosis Criptocalvinianorum machinationibus etiam se masculè opposuit, quanquam non semper pari eventu. Cùm enim hoc animadverterent Calviniana factionis socij, de eo removendo non obscura consilia agitârunt, adeò ut sagacissimus Princeps dixisse feratur: Ich weiß nicht/was jhnen der Schwartze Pfaff muß zu leide gethan haben / daß sie jhn nicht leiden können. Et cùm occasio offerretur transferendi Crellium in locum remotiorem, noluit assentire, dicens cum indignatione quadam: Wolan er sol mir noch nütz werden / vnd zur Hand stehen / wie ein Spieß an der Thür. Ideò illum Misenam ablegat, & munus assessoris Consistorij superioris ei commendat. Qua in statione similiter suam probavit religiosissimo Principi & bonis omnibus fidem, & conatibus

Digitized by Google

Calvinianorum tàm Lipsensium, quàm Vitebergensium restitit semper. Quicquid enim illi in suis synedrijs pro Calvinismo promovendo exstruxerant; id omne, quando ad dicasterion Misnense supremum veniebat, Crellius ejusq; paraslatæ destruebant, Antagonistarum argumenta authoritate Sacrarum literarum solidè refutantes. Donec tandem proprio literarum Peucerianarum indicio proderentur, & caperentur primarij factionis istius patroni. Scripserat siquidem Peucerus Sagittario Concionatori Aulico, & unà miserat libellum, precatiunculas, Calviniano dogmate infectas, continentem, simulq; petierat, ut, si commoda & idonea daretur occasio, illum personis Illustribus in Electorali Gynaceo degentibus commendaret, expresse additâ hac ratione: Si Mater ANNA (sic vocabat Regiam illam ex Dania matronam, Conjugem Electoris) à nostris partibus stabit, nullus dubito, quin ipsemet etiam Dominus in nostram sententiam haud gravatim sit iturus. Hetten wir Mutter Annen erst auff vnser Meynung / so solt es nicht noth haben/den Herrn wolten wir auch bald kriegen. *Has chartas obsignatas, & Sagittario inscriptas, incluserat alij chartæ vacuæ, quam etiam obsignavit, & novum titulum Germanicum inscripsit, Sagittarij uxori. Sed quid fit? literas, Deo hanc rem sic disponente, tabellarius per errorem legendas tradit uxori Lysthenij, qui & ipse erat concionator aulicus.*

Hæc non inspecto titulo reserat utrasq;, putans suam rem agi, & quia interiores latinè erant exaratæ, eas marito exhibet, ipsemet verò Lysthenius Electori. Hinc secuta est Cryptocalvinianorum, quorum fidem jamdudum Principi suspectam fecerat Crellius, captivitas. Quæ de re alibi fusiùs egimus.

Hoc valdè urit Peucerum, Hospinianum, & ejus farinæ homines, qui, nescio, quid non criminis pro lubitu ei impunè affingunt. Nugatur Peucerus & post eum Hospinianus vastationis & eversionis Academiæ Vitebergensis initum fecisse Crellium, quod prodromus Dæmon per spectri terriculamenta, fugatis è domo ante adventum,

Digitized by Google

tum ipsius inquilinis, tandem & specie canis in ipsum ante mortem mordicus insiliens portenderit: impleto simul præsagio Electoris, qui semel à se abeundem, hac imprecatione prosecutus sit, sub signo manu effictæ crucis: Vade ergò, & quod cœpisti, perfice. Quod si me deceperis, abripiat te Diabolus, Sed rectè in eos torquemus dicterium Maronis:

Credimus? an, qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?

(æca invidia est, teste Livio Dec. 4. lib. 8. nec quicquam novit, nisi detrectare virtutibus earumdemquè corrumpere honores, ac præmia. Crellius Academiam Vitebergensem non vastavit, sed imposturas, fraudes, perjuria Peuceri & sociorum, ex officio inquisivit, & optimo Electori hominum istorum technas fideliter detexit, scholasquè & Ecclesias unà cum reliquis, ad præclarum illud opus designatis & legitimè vocatis, nomine summi clementissimiq; magistratus repurgavit.

De spectro è domo Crellij inquilinas fugante, quæ commemorant, ridicula sunt, ut à viris fide dignis accepi. Vera tamen historia sic se habet: Crellius, cùm ædes sub arce exstructas, in quibus adhuc Clarissimus & consultissimus vir, Dn. M. Sebastianus Crellius, Pauli filius, habitat, emisset, spargebatur rumor, ac si eandem domum genius quispiam familiaris frequentaret.

Qualis igitur sit spiritus, indagaturus Crellius, cineribus totum pavimentum, ubi maximè noctu versari dicebatur spectrum illud putativum, conspargit: Postridiè, factâ luce dolus apparuit, ex pedum vestigijs, & alijs indicijs, adolescentem quendam deperientem inquilinæ filiam, quò tutior ei esset accessus, concubitus & regressus, ita lusisse convictores.

Sic & vanum illud est, Dæmonem sub specie canis in ipsum Crellium insilijsse, ut posteà audiemus. Nunc quod series historiæ postulat, agamus. Expulsis nimirùm præcipuis Calvinianorum propugnatoribus, Crellius anno à natali Christi 1574, ætatis 43, ab eodem Augusto

Principe

Digitized by Google

Principe cum D. Caſparo Eberhardo Vitebergam remigrare juſſit, Profeſſionem Theologicam & inſpectionem ſumma cum laude, authoritate, & emolumento ſuſcepit.

Caterùm, ut omnia humana ſunt mutabilia: ita etiam vocationes & voluntates principum. Crellius igitur iterùm anno 1577. ætatis 46. jubente Auguſto, Miſenam ſe contulit, reſervato tamen ſibi jure poſtliminij, & Profeſſionis publicæ. Ubi Anno 1579. 24. Maij cùm 49. annos vixiſſet placidè in Chriſto obdormivit.

Non autem eo modo, quo ille D. H. M. apud ſæpiùs dictum Hoſpinianum de Crellij morte ad D. Johannem Iacobum Grynæum ſcripſit: Als Paulus Crellius, Doctoris Schmidels fürnembſter Patronus, der auch corpus doctrinæ novum getrieben / aus Neidt vnd Haß gegen D. Peucern / vnd Rachgirigkeit / ſo weit kommen iſt / daß er mit Rath vnd That den Feinden der Warheit beyſtand thete / vnd Tag vnd Nacht damit vmbgieng / wie er fromme Leute in gros Jammer vnd Leyden bringen möchte / Da iſt ein Hund zu gebürender Rach ſeiner verruchten Böſßheit an jhn kommen / der jhn für ſeine Schmach: vnd Leſterwort / auch Lügen die er frevener weiſe vber fromme Leut außgegoſſen / den verdienten Lohn geben hat. Denn dieſer Hund hat jhn bey der Gurgel erwiſchet / vnd jhm nicht allein die Rede genomen / ſondern jhn mit ſeinen wüten dermaſſen vergifftet / daß er der Sinnen beraubt / vnd mit ſchrecklichem heulen / wie ein wütender Hund verſchieden iſt. *Hoc eſt, quod his verbis expreſſit Hoſpinianus, tandem Dæmonem, ſpecie canis, in ipſum ante mortem mordicùs inſiliſſe. Scilicet eadem fide dicere poſſunt, Albim incendio aquam perdidiſſe, & undiquaque in ripa inveniri omnis generis piſces aſſatos. Craſſa quidem ſunt hæc vanæ mendacia linguæ, in quæ optimè illud Quintilianum quadrat: Quidam cùm nullum crimen obijcere poſſunt, de mendacij magnitudine veritatem captant. Quare non præter caſam ſpero me curſurum, ſi ad retundendam rancidam illam calumniam, veram de morte Crellij ex Annalibus & fide dignis relationibus*

Digitized by Google

tionibus eruam historiam. Pridiè ante mortem in vigiliis Ascensionis Domini nostri Jesu Christi in cœlum, animo præsagiens Paulus, instare sibi diem mortis, in præsentia totius familiæ haud obscurè eam prædixit, his verbis: Crastino die, sic volente Deo, novam vestem induam, veteri inter filios meos distributâ. Hoc de thorace & caligis ipsi recens à sartore allatis, dictum putabant. At ipse fortè dolores suppressit, ne familiam ante tempus mœrore afficeret. It cubitum, ergò cum uxore. Manè circa quintam matutinam, cùm conjunx surgere mutuaret, adhortatus est eam, inquiens: ANNULA mea dilectissima, paulisper mane mecum, aut citò redi. Illa, iis, quæ ad culinam spectabant, procuratis, confestim redit. Tum ille, digito, caput mostrans, infit: Arcus hic ruinam minatur. Quibus auditis uxor medicamenta adfert, contra apoplexiam. Nam hoc morbo ante duos annos laboraverat, ex quo & difficulter loquebatur & ambulabat. Utens igitur pia matrona frictionibus cum pannis calidis, nares viri prehendit, pilos vellicat, digitos intorquet, applicatis etiam fotibus, embrochis, cataplasmatibus, & linimentis, quibus attenuandi, & discutiendi, cerebrumq; roborandi, vis inest. Sed cùm nihil se efficere cerneret, mittit ad medicum. Is, inspecto ægro, ex certis signis, quod vena turgerent, & facies rubearet, morbum à sanguine originem trahere, & (summâ necessitate urgente) phlebotomiâ utendum esse, judicat. Mox peritus adhibetur chirurgus. Aperitur vena, justa sanguinis copia educitur. Verùm (ut Poëta canit)

Non est in medico, semper relevetur ut æger,
Interdum doctâ plus valet arte malum.

Ita optimus quoq; Crellius, ægritudine medicam manum superante, fortiter cerebrum obstruente, facultatisq; animalis defluxum, ac spirituum commeatum prohibente, (quod Apoplexia proprium est,) exstinctus fuit. Jam si secundum Plautum, uni oculato testi plus credendum est, quàm decem auritis, & in ore duorum, aut trium testium consistit omne verum; certè cum iis potiùs, qui morienti

Digitized by Google

adfuerunt, utpotè sunt, præter alios, Clarissimus vir, Doctor Sager Medicus, Chirurgus, nec non civis quidam, nomine Ottenbachius, cumq; Matthæo Dresserо, qui ad exequias ituros, affixâ publicè schedâ, invitavit, pijsq; manibus parentavit, nec non cum eo, qui concionem funebrem habuit, cum Annalibus deniq; Misnensium publicis de Crellij morte loquendum est & sentiendum. Atq; hac ratione in fumum abit commentum istud Cryptocalvinianum. Fando fortè ipsi pervenit ad aures, vidisse Reverendum virum, Georgium Majorem aliquot filiorum interitus, quorum unus (LEONHARDUS ingenio excellens) à rabioso cane vulneratus, & posteà ex eo vulnere mortuus est, Uti videre licet ex Intimatione quadam Magnifici Rectoris, quæ extat tom. 3. T. 6. Hoc acceptum est, ac si gener Majoris, Crellius tali modo obijsset. Atqui, hoc temporis intervallum, quod inter mortem Leonhardi Majoris & Pauli Crellij intercedit, viginti annos excedens, non admittit. Seu (quod verisimilius,) nata ea est opinio ex hoc casu: Aliquot ante mortem septimanis ad privata negocia transigenda Crellius Vitebergam profectus, à prandio non tàm recreationis, quàm visitandi proprij horti gratiâ, ante Portam Arcis exspatiabatur. Incolæ autem in horti tabernaculo degentes parvam canem, pullos habentem, alebãt, quæ suspicans, hunc hospitem catellos suos lasurum esse, accurrensquè improviso intonuit latratu, ac ore potiùs protervo, quã mordaci, pallium ejus comprehendit & paululùm laceravit, Filius Sebastianus patri astans, tùm temporis septendecim annos natus, celeri pede canem ad parietem allidit, quæ ad natos suos recurrens acquievit. Hic aliquantulùm Crellius consternatus,

Palluit, ut nudus qui presit calcibus anguem,
Aut Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram.

Et obviam factus H. S. J. rogatusq; unde iste pallor faciei, enarravit rem totam, se à cane non magna perterrefactum, &c.

Is ipse Jureconsultus, unus ex Criptocalvinianis, hunc rumorem sparsit, ad quem quisq; Calvinianorum, pro insita ijs mentiendi li-

Digitized by Google

di libidine adjecit aliquid, licet frustrà Crellij famam instar canum allatrent. Cui

Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit:
Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ:
Semper honorificum nomen laudesq; manebunt.

Considerare debebant potiùs, quàm horribili & tragicâ morte Zvuinglius, Oecolampadius, Carolostadius, Stösselius, Victorinus Strigelius, Thomas Pistorius, & plurimi alij farinæ suæ homines, ac Doctores cum gemitu & fremitu indignabundi & desperabundi malignam animam exhalârint.

Caterum Dresserus de Crellio disserens in parentatione, ei factâ, multa notatu digna profert emblemata, quæ coronidis loco hûc referre non gravabimur: Paulus Crellius noster, inquit, cùm die 24. Maij Anno 1579. paulò post septimam matutinam hinc demigravit, evocatus à Deo ad quietem, jamdudum suspirijs atq; votis expetitam, atq; optatam. Cùm enim novari multa, improbari vetera cerneret, vitam sibi omnem amaram esse putabat, & ad mortem toto animo spectabat.

Et post alia: Quid est, quod in nostro Paulo tantoperè prædicandam putamus? Docuit verbum Dei studio accurato, atq; etiam propagare conatus est.

Quid amplius? Dimicavit cum adversarijs de vera & genuina doctrina Ecclesiæ, quam ex diligenti lectione, meditationeq; Bibliorũ interpretatione Præceptorũ omni exceptione majorum Lutheri & Philippi, *tanquam ex uberibus, sive fontib. vivis, sanctis & illibatis suxerat, hauserat, imbiberat. Pro hac tanquam pro aris focis pugnavit, nec se latũ digitum inde dimoveri passus est. Hæc fuerunt studia, hi conatus, hæc acta hujus viri. Theologus non tàm videri, aut haberi, quàm esse studebat: eaq; media elegerat atq; proposuerat sibi, quib. recta pervenire posse ad talẽ professionẽ certũ est. Primùm n. artes eas, quas quasi instrumenta quædã Deus esse vult, necessarias ad explicationem doctrinæ cœlestis & aliarum disciplinarum in vita utilium,*

Digitized by Google

probè didicerat, & tenebat linguas, Latinam, Græcam, Hebraicã, ut ex ipsis fontibus nativum sensum eruere, atq; cognoscere posset. His subsidijs usus Paulus Crellius, Theologus erat factus non loquax, nec futilis, non levis; sed solidus & verè salutaris. Biblia sic legit, ut penitus vim, emphases, & pondera vocum comprehenderet, & sententiam ex collatione verborum, phrasium & textuum venaretur. Evolverat Ecclesiasticam historiam incredibili studio & animi contentione, noverat omnes Ecclesiæ Græcæ & Latinæ cõtroversias, certamina, singulorũ doctorũ vitam, mores, doctrinam, acta, quâ quisq; pietate doctrinam religionis defenderat, aut impugnárat, quæ Synodi, aut conventus unoquoq; tempore coacti fuerant, quas fraudes, quosq; dolos hæretici usurpaverant, quibus insidijs veritatem & rectè sentientes doctores evertere studuerant. Tùm quib, remedijs, è contrario doctores orthodoxi veram Ecclesiæ doctrinam propugnaverant, quæ decreta fuerant, quæ quantave pericula, exilia, damna veritatis causâ adierant. Quæ omnia profectò Theologi animum non solùm vehementer erudiunt, sed confirmant etiam & muniunt: ut quæ fuerit Ecclesiæ omnibus temporibus facies, quæ fortuna, qui status, qui successus, qui doctorũ in ea mores, quæ consilia, molitiones, sententiæ in unaquaq; Synodo pronunciatæ perspectum habeat. Adjunxerat etiam patrum Ecclesiasticorum lectionem, ut quid quisq; sensisset, docuisset, aut scripsisset de dogmatibus Ecclesiæ, cognosceret. Inprimis tamen Biblia benè norat, ut penè totus in illis videretur. Hæc enim fontes, reliqua scripta tantum commentarios esse sciebat. Contulerat operâ & fide commemorabili versiones Bibliorum Lutheri, quas ille diversis temporibus ediderat.

Cumq; nuper de corruptela interpretationis hujus Germanicæ disseri, nescio quæ, cœpissent, statim hic noster collatis omnium editionum exemplaribus evidentissimè commonstravit, nativam eam esse interpretationem LUTHERI, quæ tunc in suspicionem vocabatur, nullaq; labe aspersam, aut fraude depravatam. Memini eũ tunc graviter ingemiscere, & seculi hujꝰ detestandã perversitatẽ deplorare

cum

cum multis pijs, quod ne sacris quidem Bibliijs parceretur, sed quamodo ea etiam in suspicionem venirent, operam dari.

Quod tamen absq; plurimorum piorum offensione fieri haud posse videbat; quippè quos dubitare tandem necesse esset, utrum vera & salutaria essent, quæ antè in Bibliis legissent, an verò corrupta & venenata. Ex quo quantum mali proficiscatur, & quàm perniciosa hæsitatio conscientiarum existat, quid attinet commemorare? Pietatis cura in eo præcipua fuit, & sedulò Deum invocavit: tùm præceptores suos studiosè coluit & observavit Lutherum & Philippum, quorum doctrinam etiam rectè perceperat animo, & quantum in ea momenti situm esset, satis cognitum habebat, &c. Et: In eadem doctrina cùm etiam perseveraverit Paulus Crellius, quis dubitat, quin Christiani, quin boni viri, quin Saxonis officio functus sit? Ac ita amandi sunt magni viri, & sic eorum scripta usurpanda, ne eorum diligamus, aut defendamus errores.

Hoc enim objici sibi Paulus Crellius meminerat, & verè etiam objicitur alijs. Ego verò erroris nullius patronum me constituo: sed id tantùm ratum firmumq; esse cupio, quod hactenus rectum, piam, salutareq; duximus. Nec; fictum & commentitium errorem pro cujusq; opinione, sensu, aut affectu mihi obtrudi patior. &c. Iterum: Objecit se Crellius periculis, invidiæ, calumniæ, nec hæretici crimen pertimuit, præsertim cùm fictum illud nefariè satis, sciret. In eum enim locũ res adducta est, ut hæretici appellentur, quicunq; probare, aut amplecti nova & incognita, repudiare verò vetera & explorata recusaverit. Luctari quidem cum mortuo, aut larva facile est, sed laudi datur nulli. &c. Tandem: Non dicam, quæ alia egerit Paulus noster in hoc postremo certamine literarum præconio digna, sed satis esse volo hæc paucula, ex quibus causæ dimicationũ & contentionum ejus judicari possunt. Bene itaq; vixit, quia non sibi, sed Ecclesiæ & scholis vixit. Se enim neglexit & commoda patriæ. Ecclesiæ verò & scholarum curam & solicitudinem acrem diligentemq; sustinuit, in eaq; tandem etiam vitam in his terris finijt, in-

Digitized by Google

greſſus cubiculum ſuum, ubi abſconditus in Dei præſidio latitat, donec tranſeat indignatio. Epitaphium ei cum tali inſcriptione exſtructum eſt:

Hîc ſitus eſt celebris doctrinâ & nomine Pauli
CRELLIUS, ingenio magnus, & arte gravis.
Quem Pietas, Muſæq́; dolent, his vivere terris
Ampliùs in longos non potuiſſe dies.
Cui laudem, & gratam meruit ſapientia famam,
Conſilij bonitas, judicijq́ue nitor.
Nam ſtudiis florens tredecim Viteberga per annos
Tradentem audivit cœlica verba Dei.
Conſilijs ejus lætata eſt Miſnica tellus:
Judicij aſſeſſor dum fuit ille ſacri
Ergò ſuis veluti meritis clariſſimus unus:
Sic etiam multò dignus honore fuit,
Nunc tandem poſt luſtra novem, tribus inſuper annis
Adjectis, mortem non moriturus obit.
Ille ſolutus enim fragilis de carcere vitæ,
Ceſſit ad ætherei lucida tecta poli.
Hîc Chriſti in gremio moriens quem in vota vocavit,
Quem docuit, vitam cœpit habere novam.
Hîc totus fulget cœli velut Heſperus alto
Lætus in aſpectu colloquioq́ue Dei.
Præmia tanta ferunt, Chriſti qui dogmata tradunt,
Tantus honos doctos, gloria tanta manet.

Quod reſtat, DEUM æternum, & omnipotentem oro & obteſtor, ut ſimiles huic Crellio patronos & propugnatores veritatis cœleſtis præbeat, ne præſidiis neceſſariis Eccleſia & ſchola deſtituantur, & lupis, furiisq́; Sacramentorum divinorum deriſoribus, turbandæ, laceranda, & diſſipandæ relinquantur.

D I X I.

ORATIO.

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS
DAVIDIS VOITI, concinnata à J.B.

INter alia laudum encomia, Cicero in 2. de Oratore, historiam vocat magistram vitæ, & nunciam vetustatis. Idq; verissimè. Ea enim non tantùm res olim gestas ab interitu vindicat, & ad posteritatem traducit, sed plurimum quoq; affert adjumenti ad pietatem & virtutem colendam, utpotè ex qua videmus præmiis ornari, qui benè fecerunt, flagitiosos autem pœnis communiter affici. Unde Claudianus in institutione Principis canit:

Et, quæ mox imitere, legas, nec desinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces, assuesce futuræ
Militiæ, Latium retrò te confer in ævum.
Libertas quæsita placet: Mirabere Brutum,
Perfidiam damnes: Metij saciabere pœnis.
Triste rigor nimius: Torquati despue mores.
Mors impensa bonum: Decios venerare ruentes.
Vel solus quid fortis agat, te ponte soluto
Oppositus Cocles, Mutij te flamma docebit.
Quid mora perfringat, Fabius: quid rebus in arctis
Dux gerat, ostendet Gallorum strage Camillus, &c.

Atque eandem ob causam literis etiam consignatas esse, & adhuc consignari Theologorum sinceriorum vitas, existimandum est, cùm, ut varias hominum erga religionem affectiones & tamen continuam doctorum piorum & fidelium successionem divinitùs conservatam intelligamus, tùm ut illorum facta intuentes tanquam speculum, discerpamus inde exempla pietatis, diligentiæ, constantiæ, aliarumq;

Digitized by Google

aliarumq; virtutum, quas in vita exerceri oportet. Quare operæ precium me facturum duxi, hac vice, si Reverendi & clarissimi viri, DAVIDIS VOITI vitam & acta paucis recenserem. Ordiar autem ab ejus natalibus. Natus fuit Ronneburgi, *quod oppidum est Thuringæ, Parente* JOHANNE VOITO, *viro præstantissimo & eruditissimo, qui XLV. annos docuit Evangelium, Pastoris tandem, & Inspectoris Ecclesiarum fungens munere Ronneburgi. Fuerat antea idem annos aliquot à concionibus sacris Illustrissimo Electori,* JOHANNI *Duci Saxoniæ, tanta cum laude & admiratione bonorum, ut docentem in templo audiens* Pius ac Religiosissimus Princeps, *propriâ manu suâ homilias exciperet, quarum autographa in codicillis & palimpsestis integra adhuc Vitebergæ in Musæo ejus conspexisse se, testatur* Balthasar Menzius *in descriptione Davidis Voiti: Exemplo sanè in tanto Heroe admirando, & alijs prædicando.*

Paterna igitur sequens vestigia noster ille David, omnes nervos in id intendit, ut, eruditionis, & pietatis laudem hereditariâ quasi possessione retinuisse, videretur, Deiq; beneficio, consecutus est, ut, quoad vixit, salutare organon extiterit Reipublicæ Christianæ, & moriens honestam insuper nominis sui memoriam apud superstites reliquerit. Adolescens audivit Vitebergæ viros de Ecclesia & studijs præclarissimè meritos, Martinum Lutherum, Philippum Melanchthonem, *fidosq; horũ* συγγραφεῖς, *Adultior postea factus in Jhenensi Academia* Schnepfium & Stigelium. *Quorum voce & scriptis pectus suum ita instruxit, ita judicium in gravissimis Religionis negocijs confirmavit, ut postquam Vitebergæ Magister artium renunciatus esset, Jenæq; literas aliquandiu Græcas docuisset, ob insignem doctrinæ & pietatis celebritatem ejus opera ab aliquot Ecclesijs & Academijs liberaliter fuerit expetita.*

Testis primùm est Borussia, cujus Princeps laudatissimus ALBERTUS *Marchio Brand. Senior, honorificè invitatum docere voluit in Academia Regiomontana, & in aula: Quod legitimè, & maiori*

Digitized by Google

jori cum autoritate quò fieret: testimonium doctrinæ publicum consecutus priùs, & S. Theologiæ Doctor renunciatus fuit Vitebergæ 19 die Martij, Anno Salutis MDLX, cùm pro licentia disputanti præfuisset Philippus Melanchthon, qui paulò pòst Aprilis die 19 in cælestem Academiam evocatus est. Porrò complexus eum Dux antè nominatus Borussiæ singulari gratiâ & benevolentiâ fuit omni vitæ suæ tempore.

Mortuo verò hoc Principe, cui annos XV fidelis inservierat, Dantiscum concessit, per annum fermè ibidem spargens semina doctrinæ cœlestis, donec inde clementissimis trium Principum Electorum literis, ac Augusti *imprimis, laudatissimæ memoriæ, in Jenensem Academiam revocaretur, nomine Illustrissimorum Ducum Saxoniæ juniorum, quorum provinciæ* Augusti *Electoris tutelæ tùm commendatæ erant. Hîc quoq; Ecclesiæ & Scholæ, primario in loco docendo, annos 15 propemodum, fidelem navavit operam.*

Tandem Anno Christi 1587 benignissimâ Electoris Christiani *Primi voluntate, ac dispensatione rediit in Academiam Vitebergensem, quam, quòd tanquam fida mater, & dulcis nutricula, ipsum ad optima quæq; à juventute informasset, amavit unicè. In ejus quasi gremio & amplexu ad extremum conquievit, post exantlatos illic & alibi labores quàm plurimos. Est autem ad prædicandum verbum, & administranda Sacramenta Christi publicè in Ecclesia Parochiali ante aram à Reverendo Domino,* D. Georgio Mylio, *templi aulici Præposito, & Academiæ Cancellario, investitus die XXIV Decembris. Id quod eâ pietate, fide & industriâ, successuq; eo præstitit, ut & singulare Dei donum in hoc organo agnoscerent homines pij, & ex ipsius prælectionibus, commentationibusq; haud exiguus fructus ad discentes redire animadverteretur. Magna utebatur in docendo dexteritate & gravitate, valdè urgebat τὰ ῥητὰ Scripturæ, & consensum mutuum ostendebat oraculorum Propheticorum & Apostolicorum, explicationem veram & eruditam sumens ex scriptis præceptorum suorum* Lutheri *& Melanchthonis, quæ, tan-*

Digitized by Google

quam præclarum depositum, & magni precij thesaurum, conjuncta retinebat.

Conjugem habuit Catharinam, qua cum in tranquillo, casto & fœcundo matrimonio vixit annos totos triginta quinq;, genuitq; septem liberos. Nata fuit hæc optima, & moratissima, omnibusquè matronalibus virtutibus egregiè dotata fœmina ex familia, multis honoribus, & dignitatibus cumulata Vinariæ, Patre Johanne Burchardo, cui ab Illustrissimis Saxoniæ ducibus propter fidem ac diligentiam perspectissimam Quæstura Burgensis in Thuringia commissa fuit, quamq; maxima sui cum laude, nec non Principum approbatione, quoad vixit, fideliter administravit.

Sed ad Davidem nostrum revertamur. Alienus is erat à contentionum criminationumq; studio, & tranquillitatem Ecclesiæ cum suo sapè periculo & detrimento tuebatur. In quotidiana itidem conversatione elucebat pietas, humanitas, integritas, morumq; suavitas singularis, ut bono exemplo esset omnibus.

Deniq; multò antè præsagire visus est suum è vita discessum, quem ardentissimis votis, cùm sapè aliàs, tùm paucis ante obitum diebus etiam expetivit, atquè lato animo contestatus est viæ comitibus, qui ad componenda dissidia Hertzbergæ exorta ob Calvinianũ Superattendentem à Nicolao Crellio Cancellario Electoris Saxoniæ, invitis Consule, & civibus, Ecclesiæ isti obtrusum, proficiscebatur. Ex quo itinere afflictâ valetudine domum redijt. Etenim cùm Hertzbergâ Jessam usquè, quod est Saxoniæ oppidum, III à Viteberga miliaribus distans, processum fuisset: derelictus à Petro Welenbecio Cryptocalviniano, & Iohanne Lemero, Jureconsultis, qui ipsum comitati fuerant, &, eodem planè inscio, è diversorio jam discesserant, ex concussione vehiculi vehementiore, cui causam præbuit frigus intensissimum, glebas terræ lutiq; frusta maxima constringens & vias reddens asperiores, venulam rupisse, existimabatur. Unde factum, ut postridiè sanguinem è naribus ingenti copiâ stillare inciperet, & spissos concretosq; cruoris globulos, quibus

Digitized by Google

quibus excipiendis pelvim subministravit Balthasar Menzius, per vomitum ejiceret. Decumbens autem triduo, aut quatriduo, postea-quam vires paulatim excescente & exurgente in pectore materiâ, concíderent, admirabili tamen patientiâ impetum morbi sustinuit, crebrâ voce repetens Canticum Simeonis, & Apostoli illud: Cupio dissolvi, & esse cum Christo. *Cumq; prospiceret animo mutationes tristes, quæ non multò pòst in Academijs & provincijs Electoratus Saxonici evenerunt: non semel dicebat, se si superstes foret, Optimo Electori* Christiano I. *indicaturum, quibus fraudibus à Cryptocalvinianis suis circumveniretur.*

Sed ne spectare hæc mala cogeretur vir sanctus, & doctus, die XXVI. Novembris placido fine discessit. Et quidem in complexu brachiorum sæpiùs nuncupati Balthasaris Menzij, paulò ante horam quartam matutinam, ita ut obdormiscenti similior videretur, quàm morienti, nullo neq; corporis, neq; animi dolore apparente, cùm ad complendum ætatis annum sexagesimum adhuc menses deessent duo,

Cives igitur Academiæ & Oppidi horâ primâ pomeridianâ funus prosecuti, deductione & concione funebri supremum ipsi exhibuerunt honorem die XXVIII Novembris, Anno Christi MDLXXXIX. Sepulchrum verò ante aram in templo Parochiali medium inter D. Eberi & D. Eberhardi *tumulos habetur. Quod sequenti carmine Elegiaco ornavit M. Balthasar Menzius P. C.*

Conditur hac urnâ Voitus, qui maximus arte,
Maximus ingenio, maximus eloquio.
In scriptis dictisq; sacro quæ Flamine sparsit,
Exhibet ingenij dona videnda sui:
Testis Najadum tutor, qui succina gignit
Bregela, pierijs conspiciendus aquis.
Succina fœtores pellunt succensa: sed ille
Arte suâ pepulit nubila ab arte sacra.

Digitized by Google

Teſtabuntur idem tua, Sala, ſedilia Muſis
Sacrata, & vero templa dicata Deo.
Leucoreæ tandem Myſtes proponitur aræ,
Enſiferi accitus Principis imperio.
Pulpita Lutherum quæ ſuſtinuêre docentem.
Agnoſcunt ſimiles, hoc reſonante, modos.
Non illum ſedes quondam tua, docte Melanchthon,
Arguit à Domino degenerare ſuo.
Talis erit, quò vis nunc perge viator & opta,
Producant pariles ſecla futura viros.

B. M. P. L.

Reſtat ut pro miniſterio Davidis Voiti, & aliorum recte docentium gratias agamus Deo ter Opt. Max. eundemq; veris gemitibus invocemus, ne nos orphanos relinquat, verùm Eccleſiæ ſuæ in poſterum quoq; det fidos verbi præcones, ad promovendam nominis ſui divini gloriam, animarumq; noſtrarum ſalutem ſempiternam.

D I X I.

QRA-

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA ET REBVS GESTIS IOHANNIS GEORGII VOLCKMARI comp. à. J.B. finitâ meſſe Anno C. 1613.

MOris eſſe ſolet, Reverendi & doctiſſimi viri, fratres in Chriſto dilecti, & plurimùm colendi, ut in conſeſſu aliquo eruditorum verba facturi, varijs modis auditorum ſuorum animos præmolliant, & benevolentibus captent. Sunt enim, qui juvenilis ætatis prætextu, futuræ orationis tenuitatem deprecentur. Sunt, qui φιλομαθείαν & ſtudium exercitationis prætendant. Sunt denique, qui ſe ruditatis ſuæ probè conſcios, nihilominus neceſſitate, vel officio impulſos, vel amicorum precibus adductos, dicendi munus non tàm appetiviſſe, quàm injunctum ſibi detrectare non potuiſſe, cauſentur.

Quam ego conſuetudinem licet improbare neq; poſſim, neq; debeam, utpotè quæ ex ingenuo ſtudio verecundæ, ſuoq; ſe modulo ac pede metientis modeſtia magnam certè mereatur laudem: veſtrâ tamen erga me fretus humanitate, lubens nunc ab illa diſcedam. Primùm quòd mihi perſuadeam, vos favere hiſce meis exercitijs. Deinde quia ejuſmodi hiſtoriam affero, quæ vos delectare queat, etjam ſine ſplendore oratorio, dicturus nempè de viro optimo, pietatiq; è eruditionis, & aliarum virtutum ornamentis excellentiſſimo, Johanne Georgio Volckmaro.

Is natus eſt Löbenſtenii, ſub Dominatu illuſtrium Ruttenorum comitum, A.C. 1567. Patre Martino, Eccleſiarum ejus loci Superintendente. Utq; conſueverunt juvenes bonâ indole præditi, ne degenerare videantur, majorum ſuorum virtutes ac ſtudia æmulari,

Digitized by Google

& ad paternarum laudum dignitatumq; fastigia paulatim aspirare: Siquidem Juvenalis, plus habere ponderis testatur parentum exempla apud filios, quàm doctorum monita & præcepta. Idcirco Satyrâ 15. sapienter suadet:

Nil dictu fœdum visuque hæc limina tangat,
Intra quæ puer est: procul hinc, procul inde puellæ
Lenonum, & cantum pernoctantis parasiti.
Maxima debetur puero reverentia: si quid
Turpe paras, nec tu pueri contempseris annos,
Sed peccaturo obsistat tibi filius infans:

Ita & hic Volckmarus noster, partim DEO & naturâ duce, partim Patris exemplo prævio instigatus, tùm pietatis, tùm honestarum artium studijs totum sese dicavit.

E patria schola Curiam Voitlandiæ missus est, ut ibi literis operam daret. Hinc Jenam migravit Anno Christi 1585. ætatis autem duodevigesimo, ut Philosophicas disciplnas addisceret quò ad superiores facultates utiliùs accedere, feliciùs in illis versari, fructusq; inde uberiores aliquando percipere posset.

Anno sequenti revocatus, ludi patrij moderator constituitur. Hanc functionem omni diligentiâ ornavit, fortiterq; labores, & omnes difficultates, quæ comitantur hoc vitæ genus, pertulit, muneris sui dignitatem & sanctitatem considerans. Etenim imperitum vulgus judicat quidē esse ociosam vitam. Vnde ludum appellarunt & scholam ἀπο της σχολης, h.e. à vacatione, & curarum laborumq; laxamento, juxta illud Ausonij: —— Grajo Schola nomine dicta est,

Justa laboriferis tribuantur ut ocia Musis.

At parum esse ocij, & joci studia literarum colentibus & propagare conantibus, noverunt illi, qui in pulvere scholastico suadarunt, & jamnum sudare coguntur. Nec tamen ob id fugienda ista statio, cùm ij, qui in scholis docent, inter angelorum mediam versentur multitudinem, ipsomet Christo teste, parvulis cœlestes illos spiritus, faciem DEI semper intuentes, custodes assignante.

Postquam

Digitized by Google

Postquam verò in hoc officio biennium vixisset, quasi postliminio Jenam redijt, ubi Anno Christi 1589. liberalium artium Magister creatus, locum inter sedecim personas principem obtinuit. Hinc se disputationum exercitijs, & privatis prælectionibus dedidit. Anno 93. Viteberga ad professionem historiarum vocatus, eam quoq; singulari laude obivit & administravit. Anno sequenti verò matrimonio se devinxit, honestam vitatoriq; sociam ducens.

Porrò hoc anno elapso Licentiam, quam vocant, in Theologia adeptus, Professorq; factus, paulò post etiam Doctor ejusdem solenniter fuit renunciatus: Qui, si de auditorio suo, quod habebat refertissimum, fortè fortuitò rogatus fuisset, non necesse habuisset cum Stratonico Citharœdo jocari. Hic enim cùm haberet in ludo suo novem Musarum imagines & Apollinis unam, discipulos duos, interrogatus à quodam, quot sibi essent discipuli: σὺν θεοῖς, inquit, δώδεκα. Ludens amphibologiâ: σὺν θεοῖς quod dupliciter accipi potest: vel pro annumeratis Dijs, aut Dijs faventibus. Ad Volckmarum quippe Locos communes Theologicos prælegentem, non tantùm canis & famulus, sed agminatim & quasi turmatim, confluxêre auditores quàm plurimi. Ac eruditionem ejus solidam breviter & nervosè descripsit Ernestus Hettenbach Med. D. & Prof. publ. tùm temporis magnificus Academiæ Rector, in hunc modũ: Iam de excellenti ipsius ingenio, de egregia doctrinarũ copia, de solerte judicij acrimonia, de exprõpta memoria, de ubere facũdia, de accurato & felice argumentandi, disserendi, & disputandi pollentia, & amœnitate, de jucũda pariter & fructuosa docendi dexteritate, de insigni humanitate, de comitate cũ gravitate frontis attemperata, de gratia, quâ apud omnes plurimũ poterat, de his inquimus, ad quæ omnia non tàm factus hic, quàm natus, quid attinet prolixiùs commentari? siquidẽ nec loci hujus, nec instituti est; nec q; adeò si esset, temporis brevitas & angustia harum chartarũ admitteret: & fortassẽ hæc alibi altiùs repetentur & luculentiùs. An. 96. ætatis autẽ (ut ratio putatur) 29. die Mart. 15. horã circiter 6. vespertinã, supremam omniũ laborum metam arripuit, & ad

Christum

Digitized by Google

Christum suum, quem hic constanter erat & sincerè professus, emigravit, itidem hoc annotante Hettenbachio in intimatione invitatoria ad deductionem funeris. Hûc etiam alludit Clarissimus vir, Dn. Johannes Rodenburgius, *clarissimi viri,* Friderici Taubmanni *in professione Poëseos, successor dignissimus, cujus familiaritate & amicitiâ aliquandiu Viteberga usus sum, hoc distichо:*

Tempus erat cœnæ, Volckmaro ea lauta paratur.
Cum Deo & Angelicis participanda choris.

Nec de morte ipsius (inquit iterum Hettenbachius) hic refert curiosiùs sermonem haberi: quando in concione funebri ad populum illa dicenda (concionem autem funebrem habuit Ægydius Hunnius *SS. Th. D. & Professor publ. &c. de dicto Danielis 12. Multiq; dormientium in terra resurgent &c.) venient: & absque hoc nulli non cognitissima esse possunt, cùm neminem conspectu & colloquio suo, quoad ægrotavit, prohibuerit. Quàm liquidò confessionem suam edebat! quàm sæpè inculcabat, se in præsidijs & castris* Lutheri *semper militasse, in eòq; jamjam occumbere, & mori animatum esse: nec agnoscere aliam doctrinam, quàm quæ in Augustana Confessione olim exhibita, & posteà in Libro Concordiæ explicatè & abundanter repetita, ac nuper in articulis Saxoniæ visitationis illuminatè declarata fuerit. Quàm piè de Animæ immortalitate, mox immortalis futurus, disputabat! quoties articulatâ voce sententiam Apostoli, etiam in agone mortis ingeminabat: Sanguis* Iesu Christi *purgat* Nos *ab omni peccato; & proinde,* Me *etiam,* Me, *inquam, qui viam jam ad ipsum adfecto. Item illud; Nemo rapiet oves meas ex manibus meis;* Nemo rapiet. *Atq; in hac animi constantia vitam etiam in his terris placidissimè finiebat. Sed & intimationis Hettenbachianæ exordium non parùm ad commendationem dicti nostri Volckmari facit. Id quod itidem recitare non gravabor: Olim, cùm in civitate quadam, diuturnâ obsidione pressâ, annona gliscereret incendium, &, ultimum illud supplicium, fames, ipso hoste ad muros infestiùs cives urgeret: proceres illius ad aliam è societate civita-*

Digitized by Google

civitatem legatos mittunt, qui certas ob causas, neglecto omnis orationis ambitu, & cultu, ostensis tantummodò canistris, sive panarijs, in quas angustias redacti sint, gestu potiùs innuant, quàm verbis eloquantur. Ita nos hoc sanè repentino inopinatoq; casu circumventi ac perculsi, mœrorem atq; dolorem, quem oculis animisq; percepimus, hausimusq; incredibilem, decenti orationis habitu & ubertate, etiamsi id maximè cuperemus, explicare (quod tamen illi, modò voluissent, effectum dare potuissent) nequaquam valemus. Nobis etiam sufficiat in hac perturbatione, vultu saltem, ad cordis affectionem, sincerè composito, mœstitiam luctumq; nostrum, quod in partem adhuc licet, publicè notum facere. Vix dum coivit cicatrix ista corporis Theologici: & ecce tibi, vulnus infligitur ipsi novum? imò non vulnus infligitur, cui fortasse medicinam, cum Deo, facere liceret, sed membrum avellitur integrum, nec membrum aliquod tenuiculum, verùm longè præstantissimum Johannes Georgius Volckmarus, & cùm nomen posuimus, satis est. Is nudiusquartus postquam per aliquot, duodecim plùs minùs, dies lecto affixus decubuisset, & cura Medicorum, quæ certè, si experientiam, si industriam, si denique prudentiam horum æstimabimus, hic summa fuit, vi morbi, sic disponente Deo, exclusa & superata esset, febri malignâ, quam vocant, & ardenti confectus, mortem occubuit. Quid immortalis Deus causæ atq; consilij habuerit, exploratum non est, Cogitare tamen & suspicari non impiè fortasse possumus, Deum Opt. Max. acerrimam peccatorum nostrorum vindictam meditari, & jam propiùs minitari, nisi quàm primùm factorum pœnitentes animi nos piè angamus, & peccata, quæ in nos variè admisimus, precum & lachrymarum interventu seriò extergamus, ac eluamus. Atq; hanc ob causam Deum imminenti calamitati per mortem præripere certum est, quos sibi inprimis charos habuit: In quorum censu, quis dubitet, quin fuerit hic noster, dum noster erat. Quin & vera doctrinæ Christiq; expertes, olim gentes quædam non aliter judicârunt: nimirum Deos, si pro pietate (loquimur ex ipsorum sensu) & nobili

Digitized by Google

virtute aliquâ maximè gratos se homini præstare vellent, mortis diem ipsi approperâsse, quemadmodum ex antiquissima Herodoti videre est historia.

Cùm enim dies festus Junonis apud Argivos ageretur, oportereté omninò Cleobis & Bitonis matrem ad templum ferri bobus junctis: istiq; boves ex agro ad horam præstò non essent, juvenes exclusi tempore, jugum subeuntes plaustrum, cui mater insidebat, ad templum per 45. stadia pertraxerunt. Mater acclamatione congratulantis populi gaudio delibuta, projicit se ad statuam, & supplice gestu Deum obsecrat, ut hanc tàm rari exempli pietatem in filijs compenset eo, quod optimum esset homini contingere. Quid fit? post hanc precationem filius uteriq; mortui concidunt. Hoc facto, ait Historicus, ostendit Deus, se majus beneficium homini dare non posse, quàm si maturè vitâ hac non vitâ exuat. Quid nobis, qui Dei voluntatem propiùs novimus, veraq; beatitatis candidati audimus, hic inopinus Collega nostri abscessus portendat, æstimandum cuivis & cogitandum relinquimus, &c. Intimatio eadem hisce concluditur verbis: Funus efferetur hodiè horâ 11. pomeridianâ: quod unum significâsse vobis, sufficere existimamus. Namq; ad deductionem istius neq; rogamus; neq; ut aliàs pro jure nostro facimus, jubemus quenquam comparere: siquidem præscimus, virum hunc de Academia nostra & de vobis singulis ita promeritum, itaq; favorem & benevolentiam vestram sibi collegisse, ut facere non possitis, quin huic frequentes eatis ad tempus dictum exequias.

Dabitis etiam hoc officium, præter cætera, Venerando & optimo seni patri ipsius: qui quanto in luctu & dolore nunc domi versetur, nemo satis intelligit, nisi qui & ipse pater sit, & pater quidem tàm præstantium filiorum, quorum alter natu junior, qui indole animi & doctrinâ huic nostro parte nullâ inferior, Jenæ nuper vitâ defunctus, humabatur, alter hodierno die humabitur. P. P. 18. Martij, Anno Christi 1596.

Hos flores non invitus ego ex Hettenbachij intimatione decerpsi, meaq;

Digitized by Google

meæq; orationi inserui, formalia verba maximam ad partem retinens, nonnunquam etiam seriem, ne sermo nimium translatus, atq; interruptus indolem suam nativam amitteret, quod vitibus arboribusq; translatis contingere solet: & aquæ in fonte suo aliter, aliter in rivis sapiunt. Nec mihi vitio vertendum duco, quod ex alijs desumpta quædam in medium attulerim, cùm etiam ipsa Musæ cantus certamine devictis Syrenibus dicantur, ex pennis earum coronas sibi fecisse: Sic ego proprijs destitutus, alienis, quod dicitur plumis me ornare & in conspectum hominum literatorum prodire interdum non erubesco;

Coronidis loco etiam Epitaphium Joh. Georg. Volckmaro factum recitabo, quod sic sonat:

Hoc jacet exutis nimium citò Volckmarus annis
Ad juga suggestus, magne Luthere, tui.
Hinc populum docuit cathedræ de luce juventam,
Ingenij mirâ, judicioq;, fide.
Si magis annosam licuisset condere vitam,
Ac scripti animum notificare libris,
Tot verbis non esset opus hoc scalpere saxum,
Sufficerent quatuor, Volckmarus hîc situs est.

Te autem, Christe, Fili Dei, supplices oramus, ut, loco Volckmari amissi, des alios Academiæ Vitebergensi pios doctores, & in his regionibus perpetuò colligas voce & ministerio Evangelij tui cœtum, tibi fidentem, nosq; omnes facias vasa misericordiæ tua & organa Ecclesia scholisq; salutaria.

D I X I.

Digitized by Google

ORATIO
DE VITA, REBUS GESTIS, ET TRI-
tristissimo simul ac beatissimo obitu

ÆGYDII HVNNII, D. THEOLOGIÆ
& purioris Religionis Christianæ assertoris ac vindicis acerrimi recitata Vitebergæ Anno 1603. die Lunæ post XII. Dom. à festo Trinitatis, à LEONHARTO HUTERO, SS. Theol. D. & Professore Vitebergensi ordinario.

PUpilli facti sumus absq; patre: Matres nostræ quasi viduæ: defecit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster: cecidit corona capitis nostri: væ nobis, quia peccavimus. Liceat Prorector Magnifice, Illustres ac Generosi Barones: Reverendissime ac Magnifice Dn. Doctor POLYCARPE LYSERE: *viri nobilissimi, strenui, reverendi, consultissimi, clarissimi: Tuq; concio nobilissima atq; ornatissima: Liceat, inquam, ijsdem verbis lamentationis meæ facere exordium, quibus olim sanctissimus Propheta Jeremias luctuosissimum populi Judaici statum sub captivitate Babylonicâ satis tragicè deplorare voluit. Amisimus ante aliquot hoseè menses, vel ut piè magis loquar, præmisimus ex hac lachrymarum valle ad æterna cœlorum gaudia, magnum illum Theologum, imò Theologorum nostri seculi omnium Phosphorum,* Ægydium Hunnium: *ex cujus obitu, quàm grave & acerbum, imò vera fateri si licet, prorsus immedicabile vulnus, nostræ Academiæ & Ecclesiæ: ah, quid dico nostræ? imò Reip. Christianæ universæ infligatur: pij qui sunt & prudentes facilè intelligunt.*

Orba-

Digitized by Google

Orbatur Ecclesia Pastore vigilantissimo: nudatur collegium nostrum Theologicum præsidio firmissimo: destituitur Academia Seniore & Doctore incõparabili; privantur studiosi adolescẽtes, summis tenuioris qui sunt fortunæ, patrono, Mecœnate, imò parente liberalissimo, benignissimo: & quod caput rei est, spoliatur doctrinæ cœlestis veritas custode, vindice, propugnatore longè acerrimo. Talem ac tantũ virum amisimus, Auditores, & quidẽ non senio confectum: sed constanti adhuc valentem ætate: ut haud immeritò cum Propheta rursum ingemiscere cogamur: Magna est, veluti mare, plaga nostra: Quis huic medebitur? Certè non vel ut fungi nascuntur, vel in triviis reperiuntur Ecclesiarum, Scholarumq; doctores pij, fideles, prudentes: sed uti divinæ bonitati unicè acceptum est ferendum, quoties hujusmodi lumina accendit Deus: Ita, si eadem tristi & præmaturo fato, extingui permittat, nonnè iræ ipsius indicium erit longè evidentissimum? Anaxagoram philosophum, cùm de Filij morte nuncium accepisset, respondisse legimus: Sciebam filium me genuisse mortalem: Quin & eundem, cùm Lampsaci moreretur, quærentibus amicis, velletne Clazomenas in patriam, jam fato functus, deferri; dixisse: Nihil necesse est: Undiq; enim ad inferos tantundem viæ est.

Hæc Philosophi Ethnici ἀκρογάμαλα à magno quidẽ animo, (quippè mortis, quâ nihil alioquin homini terribilius accidere potest, contemtore,) profecta videntur: quẽadmodum sanè hodieq; haud desunt, qui has & similes voces, ad cœlum summis propè laudibus evehunt: & susq; deq; ferũt, sive nobilis, sive ignobilis; sive consul sive rusticus: sive Theologus, sive vespillo moriatur: haud plurùs clarorum virorum, deq; Rep. Christianâ præclarè meritorum obitus æstimantes, quàm si vel aër in ignem abeat, vel vapor aquæ in nubem densetur, vel marcescat planta, vel animal brutum tabescat & intereat.

Caterùm nobis, qui Christiani esse magis, quã videri volumus, tantorum virorum fata paulò altiùs contemplanda veniunt. Minatur apud Prophetam Deus inter alias pœnas & istam, qui ex po-

Digitized by Google

pulo suo auferre velit Prophetas & senes, & quidem à facie mali, ne videant oculi ipsorum mala, quæ introducturus sit super terram; uti scriptura loquitur: ὅταν δὲ μέλλῃ κακῶς πράξειν πόλις; ἐξαίρει τοὺς ἄνδρας ἀγαθοὺς ἐκ τῆς πόλεως ὁ Θεός: quod experientia ipsa Platonem quoq; docuit. Quàm tristis συγχύσεως & ἀναρχίας, quæ Politiam, quâ cultum divinum in regno Iudaico exceperit mortem Iosuæ Samuelis, Salomonis, & reliquorum Prophetarum regumq; piorum: ex sacræ historiæ monumentis notius est, quàm ut prolixiore narratione, apud vos, præsertim, indigeat. Hinc tragicæ illæ querelæ & threnologiæ natæ sunt, quibus magnorum virorum fata, quippè ominosa, pij plærumq; sunt persecuti.

Eliseus Propheta, Præceptore suo Eliâ in turbine, curru & equis igneis in Cœlum sublato, voce lachrymabili exclamat, Pater mi, Pater mi, curres & equites Israëlis.

Regius Propheta David, Jonathano pro patria populoq; Dei fortiter pugnante, inq; prælio occumbente, flens & ejulans exclamat: Quomodo ceciderunt robusti, & perierunt arma bellica?

Idem Abnerum interfectum deflens: Hodiè, inquit, cecidit princeps & maximus in Israël: Ego verò adhuc juvenis sum, & vix unctus in Regem.

Stilico Vandalus, Honorij Imp. gener, de Ambrosio Episcopo Mediolanensi, lethali morbo correpto, dixisse legitur: si hic vir naturæ concesserit, ultimus Italiæ impendebit interitus. Et sanè respondit eventus, mox post mortem Ambrosij, Gothis & Vandalis totam Italiam miserè devastantibus.

Sic fatis concedente D. Augustino, Episcopo Hipponensi, totam Africam à Vandalis oppressam, direptam, vastatam: quin & fœdam illam ac blasphemam Arianorum hæresin motam esse, autor est Possidonius. Megalandri Lutheri nostri obitum partim funestum, illud bellum Germanicum: partim σφυγώδη illam Formulam inter religionis, quàm vulgò Interim appellitare solent, excepisse, quis vestrum ignorat? Cæterùm si exempla atq; historias percensere vellem,

Digitized by Google

lem omnes, quibus clarorum virorum obitus, plarumq; fatales fuisse demonstrare possem: citius me dies, quàm oratio deficeret. Nam tametsi & isti debitum naturæ solverunt in morte, quo solvendo tenemur promiscuè omnes: stat enim fœdus antiquum: Semel moriendum est omnibus: Quò tamen magni illi viri, reliquis & dignitate & meritis in remp. magis hac in vita claruerunt: eò in ipsorum morte etiã, cumprimis præmatura si fuerit, illustriora Deus futurarum conversionum & motuum signa edere consuevit. Et profectò haud meliorem nobis etiam sortem hodiè extimescendam esse, facilè intelligunt, qui non in utrumq;, quod ajunt, oculum, conquiescunt: sed præsentium temporum difficultatem paulò expendunt accuratiùs. Nam ut de eo nihil jam dicam, quòd Oriens toti Orbi Christiano, & cumprimis patriæ nostræ dilectissimæ, Germaniæ, vastitatem & excidium, armis funestissimis minatur, quod Septentrio nostram in perniciem immanissimas Scytharum gentes emittit: Ut, inquam, silentio nunc isthac involvam: Illud, illud quæso Auditores, quonam loco reputabimus, quod in medio nostri, Pontificiorum, & cumprimis malè feriatorum Esawitarum gliscit rabies, & crudelitas; Cui Pontifex Romanus, homo ille perditionis, partim vi manifestâ, partim occultâ fraude nequiter ancillatur: imò quod in ipso quasi sinu nostro variæ vigent hæreses, graves dissensiones, tristes animorum exacerbationes: Machiavellica consilia: & quæ horum individuæ sunt pedissequæ: Perfidia & Epicureismus.

Sed nolo ego Auditores isthac exaggerare odiosiùs, ne malè ominari velle, videri possim: quin tibi potiùs, beatissime Doctor Hunni, ex animo gratulor, quod mala illa atrocissima, quæ jam jam lapsura, nostris imminere videntur cervicibus, feliciter evasisti, & ex iactatione mundi hujus procellosâ, ad tranquillum sempiternæ beatitudinis portum aspirasti: Fac tu Deus Optime Maxime, ut tanti viri fato moniti, Tibi ad vitæ emendationem severè vocanti, vel tandem sanctè obediamus, pœnasq; prævaricationibus nostris proneritas, tuâ mediante gratiâ & misericordiâ avertamus.

Sed

Digitized by Google

Sed venio nunc ad id, cujus gratiâ hæc potissimùm illustris Panegyris est instituta. Dicendum est, & mihi quidè dicendum de vitâ, rebus gestis, & morte Hunnij nostri. Quam sanè provinciam nunquam imponi mihi passus fuissem: si vel spectare voluissem, quam ampla ad dicendum sese offerret materia. Quæ enim obsecro orationis vis, quæ dicendi facultas, Hunnij nostri meritis, non dico amplificandis, sed saltem enarrandis par esse possit? vel, si temporum nostrorum iniquitatem curassem, quibus neq; veritas, neq; innocentia ipsa, quicquid sive publicè sive privatim profiteri potest: quod non in dubium vocare, aut Theonino dente calumniando arrodere ausit tragicus Theocrines aliquis: cui ne quid sanctorum virorum in Jesu Christi sinu quiescentium memoriam, exquisitissimis mendacijs ac calumnijs conspurcare, religio est.

Quam sanè sortem & fortunam mihi, meoq; Hunnio jam modò ab Esawitis, à Sacramentarijs, à fanaticis aliis abundè paratam esse, quis ambiget? Verùm post habitis rationibus istis, plus apud me ponderis momentiq; obtinuerunt partim insignia pie defuncti Hunnij nostri merita, quibus me quoque sibi ad æternam gratitudinem devinxit & obligavit: partim verò voluntas eorum, quorum ego neq; authoritatem aspernari: neque jussa negligere honestè vel debui vel potui. Et quanquam, ut apud Homerum Achilles ad Priamum ait, τῷ κρυερῷιο γόοιο, luctus frigidi nulla videtur esse utilitas: virtutum tum ac meritorum præclarorum sanctè colenda, neq; cum corpore ipso sepelienda est memoria: nedum benè meriti eo habendi loco, quo ἀψίδων ἐξείσματα, ut trito fertur adagio. Dicam ergò, & dicam sine pompâ oratoriâ: Hanc enim palmam certè non affecto, sed lubens dicendi magistris eam cedo: dicam, inquâ, de vitâ, rebus gestis, & quidè summa sequens rerum fastigia, quoad ejus fieri poterit brevissimè.

Quod dum facio, viri ac juvenes omnium ordinum præstantissimi, solito me favore audire digneṃini, vehementer etiam atque etiam rogo. Solent aliorum laudes celebrandas qui suscipiunt, à paren-

Digitized by Google

parentum majorumquè virtutibus & rebus præclarè gestis ordiri. Nequè ego sanè institutum illorum improbandum esse existimo, cùm plerumq́, quidem à bono germine plantulæ commendantur: ita, à bonis præclaris, generosis parentibus prognati, boni & ipsi atq́, generosi esse soleant. Verùm si rem paulò altiùs considerare voluerimus, non minorem, sed majorem potiùs laudem illis tribuendam esse reperiemus, qui suis rebus gestis florent & inclarescunt, non solâ parentum, aut majorum virtute nituntur:

Quid enim *(ut Poëta canit)* imaginibus, quid avitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso Consule fasti
Profuerint, si vita labat? Perit omnis in illo
Gentis honos: cuius laus est in origine sola.

Natus est quidem Hunnius noster (ut de primis vitæ initijs aliquid etiam dicamus) parentibus Laicis & illiteratis: sed quæ summa ortus nostri claritas esse potest, Christianis, pijs, honestis, Winendæ in agro Wirtembergico, Anno Christi supra millesimum quingentesimo quinquagesimo, die XXI. Decembris, memoriæ Divi Thomæ Apostoli sacro: Quem diem sibi etiam eximium & solennem habere quotannis consuevit: non omninò, quòd ille homo primùm natus: sed potius, quod per aquam & Spiritum Christianus renatus esset ministerio reverendi viri M. Caspari Leyseri, reverendæ tuæ Dignitatis, præclarissime Dn. D. Polycarpe, parentis piæ ac beatæ memoriæ. Verùm, uti dixi, non alienam sive ascititiam, sed propriam veramq́, laudem Hunnij nostri inquirere placet: cujus generis illud est, quod priusquam hanc in lucem ille ederetur, Deus ipse, qualis quantusq́, vir esset futurus, haud obscurè demonstrare voluit. Aliquoties enim matri, uterum adhuc gestanti cœlestis visio, & quid, uti illa sanctè affirmabat, non verè dormienti, oblata fuit: cujus summa hæc erat: videbatur sibi mater sedere in templo suo loco, & manu dextrâ quippiam humo attollere, simile culmo stramineo: cumquè id teneret inter anteriores digitos, cœpit

Digitized by Google

ita crescere, mater verò sub mole sic angi, sic laborare, sic afflictari, ac si penitùs succubitura esset: cumq; jam jam videretur actum, & planè se putaret interituram sub onere, repentè vidit in Templi columnam versum, & se onere eo liberatam.

Visionem auditis & somnium: sed somnium verè θεόπεμπτον; *& somnium complemento ipso omni ex parte plenissimè confirmatum.* Erat Hunnius *noster, originem Natalium si spectes, culmus ille stramineus, quippè parentibus natus idiotis & vulgaribus, sed succrevit ille in columnam Ecclesiæ Christi longè firmissimam, sive doctrinæ puritatem, sive zelum illum, quo pro domo Domini flagrabat, respicias. Et sanè, quæ singularis in* Hunnio *erat modestia, usquè adeò non ob somnium istud matri immissum, ejusq; complementum, insolentiùs ille efferebatur: ut ne semel quidem nobis Collegis, cum quibus tamen familiarissimè conjunctissimeq; vivebat, illud revelaverit: fortè æternâ oblivione sepeliendum, nisi partim ipse in chartâ quapiam, illud consignasset: partim verò ex literis insignis & præclarissimi Theologi, Doctoris* Stephani Gerlachij, *Professoris Academiæ Tubingensis celeberrimi, ad* Hunnium *nostrum datis idem cognoscere licuisset. Exaratæ verò sunt illæ Constantinopoli ad columnam Constantini M. purpuream: die 19. Maij, Anno MDLXXVII: ex quibus, quantum ad institutum nostrum facere videtur, hoc loco inserere placet: Sic autem ille: Somnia quædam fatidica esse, non solùm Scripturæ testimonio, sed tuo quoq; exemplo patere video. Postquam enim amicorum nostrorum literis accepi, ornatum te Doctoreis honoribus, Scholæ Marpurgensi, Theologiam docendi causa, præfectum esse, recordatus sum somnij matris tuæ, quæ vidit te ex utero egressum in templi columnam converti. Id hodierno die complementum suum sortiri, nemo nisi invidus negabit.* Hactenus D. Gerlachius.

Ridebunt sat scio Esauitæ, ridebunt & Sacramentarij, & (quæ istorum hominũ nativa ad cavillandũ est propẽsio) venenatis sarcasmis, di-

Digitized by Google

mis, divina ista hæc eludent præsagia, quæ ratione aliâ nullâ convellere possunt. Sed rideant, & cum Athenien. σκιάς festũ celebrẽt, quantum & quandiu volent: Quis n. Sycophantarum morsib. aptũ inveniet remediũ? Interim tamen vel proprijs cauteriata conscientiæ stimulis adacti, fateri necesse habebunt, fuisse sanè Hunniũ nostrum, suo quoq; loco ac respectu, σύλον καὶ ὀρθαίωμα veritatis: inq; eo luculentissimè impletũ id, quod somnium ipsum sive visio haud obscurè promittebat. Cæterùm licet parentes Hunnij nostri, essent homines laici & illiterati: visione tamen hac, quam inprimis pia mater animo servabat & volvebat, moniti literis ipsum, ut primùm per ætatẽ potuit, in scholâ patriâ erudiri curarunt: ex quâ ad Adelbergensis ac paulò pòst Maulbrunnensis Cœnobij scholam missus, paucorum annorum intervallo eâ fundamenta pro ingenij felicitate posuit, ut postmodũ Tubingæ sine periculo quod vellet, altissimum humanæ ac divinæ sapientiæ templum superstrueret.

Quemadmodum vero circa ipsius nativitatem illustri planè indicio & documento sese ostendit Dei providentia: ita eadem puerum jam factum non minore curâ complexa est, tenerum illius pectus sic regens mirabiliter, sic adversus hujus Mũdi corruptelas & illecebras egregiè obfirmans, ut licet inter corruptissimos adolescentes viveret; nullis tamẽ rationib. quantumlibet ad seductionem exquisitè compositis, irretiri laqueis impietatis potuerit, aut eò perpelli, ut à pietatis & honestatis tramite, ad scelera atq; flagitia mundi hujus declinaret: Sed Dei Spiritum adversus omnis generis offendicula, insigniter confirmatus, vitæ suæ modum, in medio lubricæ adolescentiæ juventutisq; cursu facilè teneret: imò Diaboli tela, quibus jam tùm μυελοτεχνίτης iste generis humani hostis, Hunnio adolescentulo adhuc insidiabatur, mirabiliter reprimerèt. Quâ de re audire placet ipsum Hunnium, sic alicubi differentem:

Incidi (scribit Hunnius) in utroq; monasterio in adolescentes corruptissimos, per quos Diabolus mihi vehementer insidiatus est, ut suis retibus me totum implicaret.

Digitized by Google

Accidit autem aliquando Adelbergæ, cùm nos Scholastici unà consederemus, & de varijs reb. colloqueremur, ut unus quispiam diceret de peccato in Spiritum Sanctum esse id irremissibile, cujus venia nunquam impetrari posset. Hic sermo spiculum lethiferum mihi infixit, ut horribilis, & quidem subita tentatio animũ meum fortissimè percelleret. Quia enim latebat me definitio hujus peccati: Suggerebat Satanas, Quid si tu forsitan tale peccatum admisisses? Et omninò cogitabat Diabolus me eâ tentatione absorbere. Hoc ipsum tùm coram condiscipulis planè dissimulabam. Ibam cubitum supra omnem modum tristis, noctu in lecto orabam, flebam, implorabam Dei misericordiam, petebam ut me solida & idonea consolatione erigeret. Vix tandem ijs gemitibus & fletibus indormiebam. Manè surgo ad preces consuetas adhuc valdè tristis.

Posteà cùm horâ sextâ matutinâ lectio frequentanda esset, occupo locum meum: & invenio in ipso vestigio loci mei super mensam, Margaritam Theologicam Johannis Spangenbergij, & quidem librum apertum: ad cujus primam conspectum offert se mihi quæstio de peccato in Spiritum Sanctum, & subjuncta responsio ex Augustino, qui peccatum in Spiritum sanctum finali impœnitentiâ definit. Quanquam autem annis sequentibus didici aliquid amplius esse id peccatum: tamen, ut semper est conjunctum cum finali impœnitentia, & indurationes: Sic lectio ejus loci me efficacissimè consolabatur. Et ego quidem ne tantillum dubito, quin divinâ providentiâ factum sit, ut liber ille jaceret apertus, & quidem ille ipse locus, & quidem in meo loco, quem ego in lectione solebam occupare. Hactenus Hunnius.

Elucet certè hinc miranda Dei providentia, & impletio illius promissionis Apostolicæ: Fidelis est Deus, qui non permittit vos tentari supra vires: sed unà cum tentatione largitur exitum salutarem, ut sufferre possitis.

Caterùm

Digitized by Google

Caterum quòd semel opus bonum in Hunnio adolescentulo operari cœpit: illud in ætatis progressu, magis magisq; confirmavit, imò tandem consummavit. Nam, ut cum Hunnio nostro ex Monasterijs & scholis, uti vocant, trivialibus, ad Tubingensem Academiam progrediamur, certè vel hic Dei providentia pleno q. jubare sese conspiciendam præbet. Postquàm enim eò promotus erat, mox admirandæ ἀγχινοίας καὶ εὐσυνεσίας documẽta edidit: ut artes atq; scientias humaniores, non tàm ab aliis accipere, quàm ex seipso parere, & proferre videretur: dum per lusum & jocum quasi arripere potuit facilimè, & retinere firmissimè, quæ alij multo tempore, multoq; sudore vix tandem percipiunt, & ægerrimè meminerunt. Philosophiæ disciplinas, non, uti nostra hodiè juventus, magnâ cum studiorum jacturâ facere solet, vel in obscuris quorumvis profitentium angulis, vel ex imperfectis, & turbidum fluentibus compendiorum, dispendiorum veriùs dixerim, lacunis: sed à publicis præceptoribus, & ex ipsis limpidissimis fontibus, hoc est, ex sobrijs & antiquissimæ notæ magistris hausit: & quidem usq; adeò solidè addidicit, ut ætatis Anno 17. Magister artium magnâ cum ἀποδοκασίᾳ in Academia Tubingensi jure meritoq; crearetur.

Hoc gradu insignitus ad studium illud sacrum, quod Theologicum vocamus, animum appulit: Et quod Regius Propheta David summâ in beatitudine reponit, in lege Domini voluptatem unicè collocatam habuit. Unde Biblijs suis Latinis, quæ diurnâ nocturnaq; manu tùm versabat, γνώμην illam propheticam, tanquam quotidianum ὑπομνήματιον literis majusculis mox in frontispicio adscribere voluit: Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis: & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis. Jes. 61. 10.

Incidit autem singulari Dei providentiâ in eos Theologos Doctores, quibus clariores Academia Tubingensis vix unquam habuit: dubito, an habitura sit: imò quibus nostra hæc Viteberga: quin &

tota Saxonia, cum Misnia & Thuringia, imò Germania universa plurimùm debet. Quis enim ignorat merita magni illius Jacobi Andreæ, *quibus, (ut alia silentio nunc involvam) eo potissimùm tempore, quo liber Christianæ Concordiæ, jussu Electorum ac Principum Augustanæ Confessioni addictorum, erat conscribendus, non has modò terras, sed plurimas regiones & provincias alias, ad sempiternam gratæ recordationis memoriam sibi devinxit?*

Quis ignorat Spiritum & animi heroicam fortitudinem, qua Iacobus Heerbrandus tùm variis scriptis adversus Romanenses felicissimè pugnavit: tùm verò aureo illo suo Compendio Theologico, de universâ studiosa juventute præclarissimè est meritus? Quis ignorat admirabilem illam suaviloquentiam, & singularem dexteritatem, qua Theodoricus Schnepfius in docendo præ reliquis tùm excelluit? Quibus annumerari potest & debet D. Brentius, Magni illius Johannis Brentij filius: cujus humanitatem & industriam Tubingensis Academia, & qui ipsum noverunt, omnes meritò deprædicant. Hac ergò aurea discendi oblata commoditate rectè uti voluit, imò usus est rectissimè Hunnius: *id quod ipsorum istorum Theologorum, quàm meis verbis testatum facere malo. Sic enim illi. Testamur hunc Ægydium Hunnium, cùm studiorum apud nos tyrocinia faceret, ea innocentia vitæ, integritate morum, observantia præceptorum, studiorum assiduitate & vigilantia fuisse, ut statim omnes Professores in certam spem summi profectus erigeret.*

Nam cùm præclaris indicijs virtutis & diligentiæ hic noster in ipsa adolescentia se omnibus commendaret, mox primam lauream studiorum est consecutus: Deinde ex meta, legitimo curriculo tanquam ex carceribus ad Magisterij honorem contendere & aspirare cœpit, quem & suis felicissimis conatibus, & consentientibus suorum præceptorum suffragijs & promotionibus adeptus est: exercitia disputationum semper amavit: quibus, incredibile est, quantum intra breve temporis spacium profecerit, quantam sit apud Præceptores admirationem ingenij & sedulitatis adeptus.

Pari

Digitized by Google

Pari deindè studio, curâ & diligentiâ cùm ex castris illis Philosophicis ad scholas Theologicas transiret, usus est. Nam per annos octo perpetuos (arrigite aures vos αὐτοδίδακτοι, qui sine cortice natare præsumitis, & vel uno biennio, vel ad summum triennio, universam rerum ac mysteriorum Theologicorum abyssum exhaurire vos posse, somniatis:) per annos inquam octo perpetuos, (per quatuor nimirùm priores cùm adhuc studiosum ageret: per quatuor verò posteriores, cùm jam modò diaconatu Tubingensi fungeretur,) omnes in facultate Theologicâ Doctores audivit, concionibus sacris diligentissimè interfuit: disputationes Theologicas nullas neglexit, in quibus etiam innumera specimina diligentiæ, profectus, & ingenij acuminis dedit.

In Collegio etiam illo Tubingensi præclaro, ubi Illustrissimus Princeps Wirtembergicus quàm plurimos beneficiarios, veluti seminarium Ecclesiæ alit, de consilio præceptorum non modo studia: sed mores etiam adolescentum rexit: ita ut non modò ipse quotidiè ad egregios profectus elaboraret, verùm etiam alijs ad ingrediendas veras vitæ & studiorum rationes esset ἐξηγοδιώκτης. Hæc illi: quibus ut fidem religiosè adhibeamus, haud juratis testibus opus fuerit: quin res ipsa per se loquitur.

Et sic habetis Auditores eam vitæ Hunnianæ partem, quæ puericiam, juventutem & adolescentiam complectitur: quæ, uti trito adagio dicitur, plus mellis, quàm aloës habuit. Nunc ad eam me accingo partem, quæ Hunnij nostri labores tùm in Ecclesijs tùm in Academijs exantlatos, citra cujusquam μεμψιμοιρίαν, sive insectationem expediet.

Ac ut à primis Ministerij Ecclesiastici annis ordiar, cùm illustrissimus Princeps Wirtembergicus Ludovicus b.m. animadverteret Hunniũ propè in ipsâ adolescentiâ vitæ suæ modũ tenere, & cũ vitæ innocentiâ eximiã eruditionẽ conjunxisse, noluit eũ quemadmodũ alios, ex urbe ad ministeriũ Ecclesiasticũ vocare: sed Tubingæ sacris cõcionib. præfecit: & quidem eo consilio, ut cum exercitationib. istis Theologicis

Digitized by Google

logicis conjungeret lectiones præceptorum, & ad solidam rerum ac controversiarum Theologicarum noticiam elaboraret. Quod piissimi Principis Wirtembergici Consilium in Hunnio sanè fuit felicissimum. Factum enim ut cùm vix biennium demandatam provinciam pro suis virtutibus laudabiliter, magnoq; cum fructu administrasset, Illustrissimi Principes Wilhelmus & Ludovicus Hassiæ Landgravij, summi & pietatis & religionis purioris, & à Calvinismo repurgatæ Mæcenates à Duce Wirtembergico Ludovico, sibi ex Academia Tubingensi Theologum doctum & industriũ indulgeri peterent, & nominatim quidem eximium illum Jacobum Heerbrandum: qui Professori Marpurgensi piè defuncto succederet, & sacra in celebri illa Academiâ profiteretur. Ibi negocio hoc à Theologis Tubingensibus probè deliberato; solus Hunnius dignus visus fuit, cui tàm splendida functio sine periculo demandari posset.

At verò Hunnius pro singulari animi sui modestiâ & humilitate, in oblatam vocationem consentire haud voluit, quod se existimaret tanto oneri imparem, & sanctè confirmaret, malle se adhuc proficere, quàm docere. Et profectò nisi authoritate Præceptorum fuisset permotus, hanc tàm amplam provinciam omninò neglexisset. Est verò silentio minimè prætereundum præclarum illud elogium, quo Doctor Heerbrandus, Hunnium nostrum Marpurgum abeuntem, prosequi & exornare voluit.

Nam cùm ille ob causas sonticas vocationi oblatæ parere non posset: Verùm Hunnium, ætate quidem adhuc juvenem, sed doctrinâ & ingenio seniorem substituisset: imitari se affirmabat exemplum Johannis Reuchlini, sive Capnionis, quem Erasmus Phœnicem trilinguem vocitabat. Is enim, cùm à primo Fundatore hujus Academiæ Vitebergensis, Friderico sapiente, Electore Saxoniæ, ex Tubingensi Academia hûc evocaretur, ut nominis sui claritate Scholam hanc, tùm adolescentem & obscuram, auctiorem magis & illustrem redderet: justis verò de causis adventum recusaret,

Philip-

Digitized by Google

Philippum Melanchthonem, *veluti succedaneum emisit, cum tali elogio, Hunc juvenem se senem longè superaturum esse. Id quod* Heerbrandus *ad se, &* Hunnium *nostrum tunc temporis derivare non dubitavit.*

Sic ergo Hunnius *Anno 1576. ætatis 26. Marpurgi Professor Theologiæ declaratus, egregia pietatis ac eruditionis dona tùm concionando tùm profitendo, non modò Professoribus Collegis, sed ipsi etiam Landgravio* Ludovico *ita approbavit, ut eum cum amplissima commendatione ad Ducem Wirtembergicum remitteret, ac peteret, ut in ea Academia (Tubingensi nimirùm) summo gradu doctrinæ Theologicæ, quem Doctoratum vocant, ornaretur: in quâ tantam eruditionis vim antea sibi comparâsset.*

Proinde, cum disputando, sacra cursim legendo, Professoribus omnibus, & in accuratiore examine Theologis potissimum præclarè satisfeciisset, in Doctorem Theologum XVII. Calend. Augusti, eodem Anno 1576. unâ cum Dn. Polycarpo Leysero, *(cui cum* Hunnio *per omnem vitam haud minor, aut levior, atquè olim Davidi cum Jonathano intercessit fraternitas, & animorum indissolubilis conjunctio) solenniter promotus & renunciatus est: cùm paucis antè mensibus lectissimam virginem* Eleonoram Felderinam, *nunc viduam mœstissimam, in matrimonium duxisset.*

Sic ergo Hunnius *noster jam & maritus & Doctor Marpurgum reversus, in id summo studio incubuit, ut Spartam, quam nactus erat illustrem, magno cum Ecclesiæ & Academiæ emolumento, egregiè exornaret.*

Duæ autem sunt potissimùm virtutes, quæ in Doctore fideli ac industrio vel maximè commendantur: Fidelitas nempè, qua ἀνωφόρους discipulos instruit: & Perspicuitas, qua non obiter aut perfunctoriè, sed accuratè ac præmeditatè: non obscurè sed dilucidè rem sive materiam propositam pertractat. Utriusq; hujus virtutis encomium, si quisquam alius, certè Hunnius *noster sibi vendicat. Nam (quæ fidelitatis nota potest esse maxima) in interpretantis S. li-*

Digitized by Google

terarum mysterijs, ad auditorum captum sese accommodans, pro eâ, quâ in tribus linguis excellebat peritiâ, primùm ipsa verba singularium phrasium, sensumq; earum genuinum ἐξηγητικῶς reddebat, investigatis simul, & q. retectis rationibus & argumentis, quæ sub verbis alioqui simplicibus & contractis delitescebant: mox locorum communium sylvam ex textu eruebat, obscuriores quidē, & in contro versiâ positos, pro acerrimo, quo valebat judicio, tùm apertis scripturarum fundamentis amplius explicans & confirmās; tùm à quibusdam hæreticorum strophis dexterrimè vindicans, Porrò, (quæ perspicuitatis virtus est) Methodi semel sibi præfixæ erat religiosè observans: & in docendo verbis ac phrasibus utebatur non obscuris, & elucidario quopiam indigentibus: sed puris, proprijs, Latinis, perspicuis: compositione præterea tali, quæ neq; contractione orationis, aut verborum ambiguitate obscuritatem pareret: vel nimiâ prolixitate sententiam suspenderet, sive intellectum ac memoriam legentis turbaret: sed singulari quadam & arcanâ q. verborum vi ac suavitate animos demulceret: ut haud incommodè illud Homeri de Nestore ad ipsum accommodari potuerit:

Τῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλι ῥέεν γλυκίων ἀυδή.

Cujus ab ore fluit vox melle liquenti
Dulcior.

Cæterùm quæ fortuna hujusmodi præclaræ Ecclesiæ lumina plarumq; comitari solet: ut quò insigniora dona in ipsis conspiciuntur, eò atrociores etiam hostes ac adversarios experiri necesse habeant: eandem sanè sortem Hunnius quoq; noster, suâ in statione vel maximè est expertus.

Quas enim, & quàm serias, quamq; frequentes velitationes in Hassiâ tàm Cassellis, quàm Marpurgi, jam cum clancularijs, jam cum apertis Sacramentarijs subire coactus fuerit: quæ & quàm gravia certamina, ob divinissimum sanctissimumq; Religionis Christianæ articulum de Personâ Christi, ejusq; ad dextram Dei sedentis adorandâ Majestate fortiter sustinuerit: id Deo, conscio rerum omnium

Digitized by Google

niam inspectori ac Judici notum est: neq; fugit hoc multos pios & cordatos homines.

Quibus praterea malignis conatibus, & iniquis accusationibus, criminationibus, calumnijs, tùm doctrinam, tùm personam Hunnii nonnulli maleveli, illustrissimis Hassiæ principib. invisam exòsamq; reddere studuerint: neq; illud obscurum mansit. Sed quæ singularis Dei est bonitas, quot Diabolus excitavit Adversarios: tot servo suo Dominus victoriarum trophæa defixit. Nam unus Hunnius, quod admiratione dignum est, tanquam Hercules quidam Christianus, omnibus illis domandis monstris sufficit: invictissimâ illa Spiritus S. clavâ, h.e. verbo Dei fretus: ut ferè in ipso impletum fuerit, quod regius Propheta David, de Apostolis, eorundemq; certaminibus ac victorijs olim cecinit: Transeunt per vallem lachrymarum, fontes faciunt atq; effodiunt in eâ, euntes de virtute in virtutem, de victoriâ in victoriam, ut appareat, quod Deus sit in Sion.

Neq; verò mei est instituti, Auditores, integram texere historiam machinationum atq; consiliorum, quib. tùm alij hæretici, tùm cumprimis Sacramentarij, adversus Hunnium, toto isto ministerij & professionis Marpurgensis tempore, ad insaniam usquè tumultuati sunt. Sic enim non orationem, sed opus Iliade majus conscriberem. Unum tamen illud, haud opinor ingratum vobis molestumq; fuerit, si labores & certamina præcipua Herculis hujus nostri, quæ paucorũ annorum (sedecim nimirùm) intervallo Marpurgensi in Academia, fortiter exantlavit, tanquam in theatro quopiam spectanda vobis proposuero: labores certè & certamina, decem illis Herculeis multò sanctiora, multoq; utiliora.

Ac primo quidem Professionis sexennio, prater privatas illas sed admodum serias cum gente Sacramentaria institutas velitationes, prater ordinarias etiam lectionum & concionũ operas, materias insuper è medijs Theologiæ naturæ penetralibus desumtas, easq; benè multas, disputationum publicarũ loco proposuit, eo fine, ut in hujus-

modi familiaribus συζητήσεσι, collatis utrinq; sententijs, veritas magis magisq; eruceretur: & Theologiæ studiosi ex Spiritus Sancti πανοπλία idoneis instruerentur armis, quibus aliquando, si res postulet, uti possent contra latrunculos illos (hæreticos dico) qui Deo & Ecclesiæ pro gigantæâ suâ audaciâ bellũ indicere minimè verentur.

His ita domi quasi & privatim fœliciter gestis: in publicum tandem circa annum 1584. prodijt Hunnius: non propriâ magis voluntate persuasus, quàm aliorum importunitate adactus. Eo n. tempore primarij Sacramentariæ gentis Coryphæi Danæus cumprimis, Ursinus, Grabius, Pezelius & alij complures, tot modis Hunniũ provocârunt, tot injurijs lacessierunt; ut si diutiùs silui sset, veritatis certè defensionem deseruisse, imò eandẽ prodidisse meritò videri potuisset. Proinde rupto silentio, aureolos illos de persona Christi ejusq; ad dexteram Dei sedentis divinâ Majestate libellos, Sacramentariorũ blasphemiis opposuit: in quib. profectò Hunnius omne punctum tulisse, videri debet. Nam singulas & universas Calvinianorũ Sophisticationes & argutias, quibus Christum hominem de solio Majestatis divinæ, ad quod constitutus est, ausu nefario deturbare conantur, ita solidè confu' vit, elisit, profligavit, ut jugulum causæ Sacramentariæ penitus fregerit, incideritq;: & ardua illius controversiæ decisio tàm brevis, quàm solida, in quâ doctissimus ac optimus quisq; meritò acquiescere queat, meritò primitijs istis Hunnianis, secundum Scripturas sacras, accepta sit ferenda.

Quin eodem tempore eosdem Sacramentarios ex alio latere adortus est, edito scripto Germanico de Altarium abrogatione; quo Calvinianorum sive μωρεσοφίαν, sive ὑπόκρισιν argutè detexit, pijsq; omnibus non tàm ridendam quàm execrandam ob oculos constituit.

Porrò Flacianorum etiam cohorti sacrum bellum indixit, libello eruditissimo edito de substantia peccati Originis: tùm orthodoxæ Ecclesiarum nostrarum doctrinæ immotis Scripturarum fundamentis superstructæ, tùm adversariorum strophis dexterrimè confutatis.

Sed &

Digitized by Google

Sed & alium laborem Annus iſte peperit, nobiliſſimum nempè commentarium in Evangelium Johannis, illud nimirum Evangelium, quod Bibliorum Sacrorum Epitomen, totiúſq; Theologiæ σύνοψιν nominare haud immeritò quis poſſit.

Mox anno ſubſequente 1586. Cyriacus Spangenbergius Hyperaſpiſta & propugnator ille dogmatis Flaciani, Hunnium noſtrum audaciter provocavit futili quodam libello, ſub fictitio Candidi Sylveſtri nomine, in vulgus publicato, & abſurdorum Flacianorum patrocinio, ſed fruſtrà omninò, ſuſcepto. Neq; enim Hunnius palæſtram ſubterfugit, ſed impetum Adverſarij ita feliciter excepit, ita fortiter profligavit, ut neq; hiſcere amplius auſus fuerit.

Eodem anno partem alteram Catechiſmi Minoris B. Lutheri noſtri, duodecim Concionibus: Threnodiam verò Prophetæ Ieremiæ, ſeptendecim concionibus explicatam, juris fecit publici.

Quin laborem labore cumulans, duos etiam commentarios longè utiliſſimos cum Eccleſiâ Chriſti communicavit: Priorem in Epiſtolam ad Hebræos, eam videlicet Epiſtolam, quæ doctrinæ de Chriſto / in utroq; Teſtamento traditæ, Compendium quoddam merito dici debit, quippè dulciſſimum conſenſum Prophetarum in Veteri & Evangelij in Novo Teſtamento, circa ſummum illud caput fidei de Chriſto, ejuſq; officio regio & ſacerdotali, eâ perſpicuitate explanans, ut hic velut in Sacrarium Dei, & Sanctum Sanctorum fidei oculo introſpicere, & geminos illos utriuſq; Teſtamenti Cherubim, verſis ad verum atq; unicum propitiatorium Ieſum Chriſtum vultibus, ſeſe invicem elegantiſſima confeſſione intuentes, videre liceat.

Poſteriorem verò in Canonicam Johannis, brevem quidem illam, ſed accuratam Epitomen duorum illorum capitum, quibus totus Chriſtianiſmus continetur: Fidei nimirum in Chriſtum, & charitatis in proximum minimè ficta ac ſimulata.

Annus proximè ſequens 87. Scriptis varijs Hunnij *noſtri admodum fœcundus fuit. Uno enim hoc anno prodierunt conciones in Danielem, in Obadiam, Jonam, Micheam, Haggai, Malachiam: /*

Digitized by Google

Item commentarij in Epistolam ad Romanos: ad Ephesios, in Posteriorem ad Thessal. ad Titum. Prodijt item eruditissima illa oratio, quam de certitudine Historiæ Biblicæ & Sacræ, ignitis Satanæ telis & tentationibus, quibus autoritatem Scripturæ Sacræ hostis iste Hunnio *suspectam reddere conabatur magno Spiritu, magnaq; fidei πληροφορίᾳ conscriptam, opponere voluit.*

Factum etiam, ut eodem anno, novitius quidam Sacramentarius, M. Josephus Grabius, homo gnaviter impudens & audax, fretus autoritate Præceptoris sui Christophori Pezelij, insignis illius, quondam Saxonicarum nostrarum, jam verò Bremensis Ecclesiæ Turbatoris, notationes quasdam ederet, libellis Hunnij *de Persona Christi, biennio antè publicatis, maledico certè stylo oppositas. Haud enim dubitavit impudentissimus iste Magistellus, crassum illud mendacium per Pezelium antè & Heidelbergenses de Hunnio scurriliter spargere, denuò reponere, & in universum Orbem Christianum audacter disseminare: dixisse* Hunnium *in colloquio quodam (cui tamen homo iste levissimus nõ interfuit) dixisse, inquam,* Hunnium, *Christum non minus jacuisse in utero Herodiadis, quàm in D. Virginis Mariæ utero.*

Quin etiam minimè veritus fuit, sublimem illam doctrinam de Persona Christi & omni præsentia Majestate, stylo ac ore plusquam blasphemo nominare horrendum βδέλυγμα, errorem vesanum, impietatis commentum, nequissimum deliramentum, Dianam magnã, comitam meretriculam, idolum ubiquitatis, Chimæram ubiquitariam, fœdum Diaboli oletum: alijs q; horrendis convitijs & blasphemijs proscindere, ad quas cœlum ipsum contremiscere, vel certè terra exhorrescere, aut Elementa stupescere omnia necessum haberent. Nimirùm hæc est Calvinistarum modestia & mansuetudo, quam alioquin suis in scriptis & sermonibus, plenis quasi buccis subindè crepare solent.

Hic certè non in utramq; aurem indormiendum, sed pugnandum fuit Hunnio: *& quidem uni, adversus duos istos fumigantes ti-*

Digitized by Google

tes titiones, ut Prophetæ verbis utar, Pezelium nempè, & Grabium. Et profectò pugnatum fuit feliciſſimè, vel unico illo verè aureo commentario in Epiſtolam ad Epheſios, detectis, dirutis & everſis vaniſſimis illis ſophiſmatis, quibus caninum lividumq; dentem non tàm Hunnij *ſcriptis infigere, quàm Chriſtum à ſolio majeſtatis deijcere, omniq; gloriâ divinâ ſecundum carnem penitus exutum, in cæterorum hominum claſſem & conditionem detrudere ſacrilegè conati ſunt.*

Cæterùm ut in percenſendis Hunnij *laboribus progrediar, annus mox ſubſequens octuageſimus octavus, magnum illud & divinum opus, Poſtillam nempè Eccleſiaſticam produxit, quam* Hunnius, *(ut accepimus) paucorum menſium intervallo conſcripſit & abſolvit: Opus certè tanti non modò laboris, ſed & Spiritus, ut plurima alia hujus generis ſcripta longo poſt ſe intervallo relinquat.*

Anno inſequente 89. juris fecit publici meditationes illas ſuas in viginti & unum Capita Geneſeos, ea nimirum, quæ difficultatem ſalebris atque tricis capitibus reliquis videntur obſcuriora. Quò eodem anno ſublimem illum, & extra captum humani ingenij longiſſimè poſitum articulum de adoranda & individuâ Trinitate, ſolidè ac perſpicuè explicavit, anſam huic operi patrando præbentibus duobus illis, de quibus modò dixi, ſycophantis, Pezelio & Grabio.

Hi enim ex ſola quâ pruriebant, criminandi libidine, ſive ſcabie verius, publicè calumniabantur, Hunnium *multis paraſangis propiùs ad Arianorum impietatem, quàm ad veritatem cœlitùs patefactam accedere: idque tàm eſſe manifeſtum, ut ea quæ oculis omnium ſunt expoſita: imò* Hunnium, *Arianis arma ſubminiſtrare, & veritatem illis prodere.*

Hic profectò evidentes iterum maximèq; neceſſarias cauſas habuit Hunnius *de tot tamq; horribilibus erroribus, cum ipſo ſalutis funda-*

Digitized by Google

fundamento pugnantibus, sibiq; falsò impositis, non tàm respondendi, quàm horribiles istas criminationes solidè à se, imò ab Ecclesiarum nostrarum doctrinâ depellendi. Haud ineptè verò Pezelium cum manipulari suo Grabio Hunnius noster comparavit eum maleferiatis illis incendiariis, qui cùm furtivum ignem futuro incendio substraverunt, mox saeviente flammâ, ut excitati mali culpam à se procul amoliantur, non minus atq; alij per plateas discurritant, inq; autores tanti facinoris tragicè debachantur.

Qui enim per Deum immortalem sunt illi, qui horrendis depravationibus illustrium Scripturæ testimoniorum, in quibus æterna Christi Deitas fundata est, transitum parant, imò portas pandunt bipatentes ad Ariana impietatis castra? An non Calviniani? An non ex istorum grege in distinctis orbis Europæi partibus, uno quo dicitur passu, ad Antitrinitarios transierunt plurimi? An non ex schola Calvini prodierunt illi, qui nostrâ & patrum nostrorum ætate Arianorum, Judæorum, Mahometistarum Synagogis sese associarunt; Paulus, Alciatus Mediolanensis, Valentinus, Gentilis Consentinus, Georgius Blandrata Salucienſis, Matthæus Gribaldus JC. Lælius Zozinus, Petrus Statorius, Johannes Sylvanus, Bernhardus Ochinus, Sebastianus Castellio, Franciscus Balduinus, Erasmus Iohannes, Casparus Franck, Casparus Scoppius, & complures alij, ut verè nimis Neuserus, qui & ipse istorum classi accensendus est, ad Doctorem Gerlachium olim Constantinopoli scripserit: Nullus nostro tempore mihi notus factus est Arianus, qui non anteà fuerit Calvinista: igitur qui timet sibi, ne incidat Arianismum, caveat sibi à Calvinismo.

Verùm ad labores Hunnij *redeo, qui nullis parcens sive laboribus, sive molestiis, annum proximè insequentem 90. nobilitavit tribus distinctis longè utilissimis operibus. Primum erat de Iustificatione hominis peccatoris gratuitâ: ubi profectò novis illis institoribus Romanæ Babylonis, Esavvitis nimirum graviter sese opposuit, illorum hypocrisin & detestandam hæresin ex verbo Dei solida perspicuitate, perspi-*

Digitized by Google

perſpicuaq; ſoliditate nervoſiſſimè refutavit, ut quantumvis Protei inſtar in omnes formas ſeſe tranſmutent, novis ſubindè machinis, novis armis, novis excogitatis rattunculis, novis conquiſitis coloribus, figmentis & pigmentis: tamen ad unum iſtum Hunnij tractatum, vel nullo alio admoto ariete, ſuâ propriâ futilitate concidant. Alterum opus hoc ipſo anno patratum, erat de Sacroſ. Majeſtate, fide ac certitudine Scripturæ ſacræ Prophetice & Apoſtolicæ, veteris & novi Teſtamenti. Oppoſuit verò iſtum laborem Hunnius gravi conſilio partim varijs Diaboli inſidijs, quib. nunquam non Scripturæ ſacræ veritatem, offuſis denſiſſimis dubitionũ tenebris, obnubilare quoquo modò ſtudet: ut quib. alioquin armis electi cunctas alias tentationes ſuperant, ea è manibus, imò verò è cordib. ipſorum, ſimul & ſemel, uno velut ictu excutiat: partim v. improbis eorum conatibus, qui non tantùm articulos noſtræ Confeſſionis auſu nefario attentant: ſed omninò Pyrrhonicorum exemplo atq; modo, in utramvis partem omnia diſputare, glorioſum ſibi ducunt, atque adeò ipſa principia Religionis Chriſtianæ, quantumvis αὐτόπιστα καὶ ἀναπόδεικτα, in dubium vocare neutiquam perhorreſcunt. Utrisquè iſtis hoſtibus Scripturarum, libellum hunc ſuum velut ὁπλοθήκην ſive armamentarium opponere voluit Hunnius, ex quo tela depromi poſſent & arma, quibus tùm malignus ille tentator rectè ſuperari, & Spirituales ejus aſtutiæ feliciter elidi: tùm v. prophanorum ingeniorum temeritas validiſſimè comprimi, & ſic ſolidâ victoriâ in utraq; paleſtrâ ritè obtineri poſſet. Qui ſanè vel unus Hunnij labor, Eccleſiam Dei, omnemq; ſi qua futura eſt poſteritatem, ad æternã gratitudinẽ ſibi meritò devincit & obligat. Tertium ſcriptum quod hoc etiam anno evulgavit Hunnius, erat de Sacramentis V. & N. T. cùm in genere tùm in ſpecie conſideratis, Romanenſiũ & Calvinianorum ſtrophis ac Sophiſmatis, directè oppoſitum. Quod ſanè opus, quantam commendationem apud pios & doctos quosq; jure ſuo mereatur, malo vos ipſos judicare, quàm me in tantâ tẽporis angustiâ, inſufficienter de eo verba facere. Noverunt, qui controverſiæ Sacra-

Digitized by Google

mentariæ perplexitatem & amplitudinem, paulò altiùs cognitam perspectamq; habent, quot & quàm crassa ac spissa volumina de uno negocio sive certamine Eucharistico, à diversis in toto orbe Christiano sint edita, ut illis singulis evolvendis pellegendisquè vix integrum decennium sufficere possit. At verò, quod citra cujusquam injuriam dixerim, Hunnius noster, uno isto suo tractatu eoq; haud ita prolixo, universa ea, quæ hinc inde satis confusè dispersa dissitaquè jacebant, ita argutè, ita breviter, adde etiam, (quod singularem meretur gratiam) ita Methodicè & perspicuè complexus est, ut hic rursum, omne tulisse punctum mihi videatur. Judicet, qui judicare potest, sed ἄνευ φθονείμα.

Ego ad annum 91. me confero, quo Hunnius bellum illud sacrum, quod adversus hostes veritatis feliciter hactenus gessit, masculè continuavit: ac quidem Pontificios ad internecionem usq; prostravit, in lucem emisso incomparabili illo, de Ecclesiâ ejusq; capite, Tractatu: in quo uno articulo omnem aliàs victoriæ spem fixam illi locatamq; habebant. Quin Sacramentarijs quoq; schema sive larvam illam detraxit, quam ex Augustanæ Confessionis augusto sanè elogio per manifestum crimen falsi, magnificè ostentare consueverunt. Demonstravit enim Hunnius, scripto longè nervosissimo hac de re edito, Calvinianos Augustanæ Confessionis γνησίους sic appellatæ, socios nunquam fuisse, nequè etiamnum hodiè esse posse.

Anno proximo 92. Diabolus denuò Ecebolum illum Bremensem Christophorum Pezelium adversus Hunnium inflammavit ut virulentissimum scriptum, Hunnij Tractatui de re Sacramentaria opponeret, illustrissimis Principibus Hassiæ Landgraviis inscriberet: ut sic quâ posset ratione, & personæ & doctrinæ Hunnij odium ac invidiam conciliaret. Quem improbum Pezelij, vel ipsius potius Diaboli conatum, antevertens Dominus, sic Hunnio vires corporis, ingenij ac judicij confirmavit, ut haud citiùs scriptum illud, vel typis integrum describeretur, vel principibus exhiberetur,

Digitized by Google

beretur, quàm Hunnius noster jam modò vanissima Pezelij mendacia, & impudentissimas criminationes, imò crassissima crimina falsi, in conspectu totius Ecclesiæ Christi solidissimè refutasset, editâ in lucem invictâ illâ assertione sanæ & orthodoxæ doctrinæ, de personâ & Majestate Domini nostri Jesu Christi, ad dextram virtutis & omnipotentiæ Dei, secundum assumtam carnem evecti.

Erat tùm temporis miserrima facies Electoratus hujus Saxonici, tristem omninò & luctuosam Tragœdiam, in Ecclesiis & Scholis istarum regionum per maleferiatos quosdam Sacramentarios, cumprimis per Urbanum Pierium, Salmuthum, Gundermannum, Kimedontium, & reliquos hujus rancidæ farinæ homines, excitante & agente Diabolo. Vidisses enim tùm officijs & dignitatibus suis deturbatos, qui in conservando propagandoquè purioris religionis Lutheranæ Sacrosancto deposito, præstiterunt plurimùm. Vidisses in istorum locum per fas nefasq; suffectos homines novos, temerarios, versipelles, nec sibi ipsi, nec reip. utiles, Theologos cumprimis partim manifestos veritatis hostes, Calvinismum alibi professos: partim Crypto-Calvinistas, qui exierant quidem è nobis; sed non erant ex nobis. Vidisses optimum Principem & Electoralem Christianum I. laudatissimæ beatissimæq; memoriæ, vafris tùm politicorum quorundam, tùm Theologorum consiliis & dolis astutè circumveniri, & turpissimè decipi. Audivisses tùm puriores & Orthodoxos Theologos proclamari Flacianos, Ubiquistas, Capernaitas, Eutychianos, Nestorianos, Semipapistas, Exorcistas, Clamantes asinos, Canes: imò uno verbo ut comprehendam omnia, vidisses tùm haberi illos pro περικαθάρματα καὶ περιψήματα, pro purgamentis & sordibus, ut alicubi noster Paulus loquitur. Audivisses horrenda dicta audituq; convitia, dicteria, execrac̃tumelias, sc̃omata, anathemata, & quidē impunè projici in eos, qui ad cœlestē ac triūphantem Ecclesiā jam erant recepti. Audivisses beatā illam animam

Digitized by Google

Lutherum *dico, non nisi Germanicum Martinum, turbulentum & rigidum Pfaffum appellari: imò vidisses hujus imaginem depictam, in quodam convivio, à Salmutho hujus Ecclesiæ Diacono Calviniſtâ, vitro cerevisiâ pleno peti, & probris alijs affici. Audivisses auream illam Christianæ Concordiæ Formulam, paucis ante annis, incredibili studio sumtibus immensis, nunquam satis laudati Electoris Augusti, beatissimæ itidem memoriæ, conscriptam & publicatam, tanquam monstrum aliquod horrendum, tanquam Pandoram plenam crassissimorum errorum, ex agro & finibus Electoratus hujus ejici, proscribi, profligari, & ex manib. docentium ac discentium excuti. Audivisses criminis læsæ Majestis reum peragi eum, qui vel ex hac cathedrâ, vel ex suggestu, Sacramentariorum nomen vel nudè protulisset. Audivisses Confessionem Augustanam, primam illam, minimeq; variatam, fœdissimarum hæreseon publicè insimulari: imo Codici Justinianeo multis parasangis postponi, usq; adeò, ut quidam, nescio majorenè impudentiâ, an blasphemiâ, effutire haud dubitaverint, doctrinam religionis Christianæ pleniùs & planiùs in Codice Justinianeo, quàm Augustana Confessione comprehensam esse. Audivisses de Majestate Christi hominis voces impias: de absoluto verò quopiam, omnesq; causas antegrediente prædestinationis decreto & reprobationis absoluto itidem immutabiliq; fato, portenta ne fando quidem ante hac audita: deq; reliquis primarijs Religionis Christianæ articulis, prodigiosè absurda, & blasphema dogmata, in hac ipsâ Cathedrâ* Lutheri *(ô rem nefandam & ultricibus inferorum flammis vindicandam) liberè & impunè spargi ac disseminari. Audivisses deniq; (quis enim malorum tum grassantium Iliada vel percensendo satiè assequi valeat) audivisses, inquã, & vidisses, nihil moderatè, nihil candidè, nihil trãquillè geri ab ijs, qui Calvinismũ volebant incrustatum: nihilq; vel in Religione ita sacrum, vel in cæremonijs ita concinnum, vel in politiâ tùm civili tùm Ecclesiasticâ ita approbatum fuisse, quod illi homines non pro libitu convellere, prophanare, excindere, laudi sibi duxerint.*

Verùm

Digitized by Google

Verùm ἀπὸ μηχανῆς medicinam tanto malo, acerbam quidem & satis duram, sed tempestivam tamen; pro arcano voluntatis suæ consilio Cœlestis Pater attulit, obeunte, sed præmaturâ, proh dolor, morte obeunte, diem suum heroe illo Christiano I. *Electore Saxon. laudatissimæ sanctissimæq; memoriæ: cujus facilitate vel potiùs Germanâ ingenuitate homines illi turpiter abusi, principem ipsum multis modis deceperunt; & sic Ecclesiam, Rempublicam ac scholam, improbè perdiderunt. Sic ergò miserando hoc fato, Deus ipso Ecclesiæ suæ patrocinium suscipiens, hostes istos singulos & universos fudit, confudit, & liberationem populo suo & Ecclesiæ exoptatissimam præstitit: Electoratus hujus Administratione legitimè devolutâ, ad religiosissimum Principem ac Dn.* Dn. Fridericum Wilhelmum, *Ducem Saxoniæ &c. augustæ & sanctæ recordationis Principem. Hic enim tanquam alter sive Hiskias, sive Josias curâ ingenti, impensis maximis, labore immenso Reformationem Electoratus hujus mox cœpit moliri sanctissimam. Quod arduum opus, ut piè graviterq; peragereturprætor alios Theologos & autoritate præstantes & doctrinæ puritate insignes, Celsitudo ipsius,* Hunnium *quoq; nostrum, cujus laus & fama jam modò totum orbem Europæum pervagata erat, Marpurgo evocari curavit, evocatumq; vel tandem, licet agrè, annuente Illustrissimo Hassiæ Landgravio* Ludovico: *indulgente etiam Illustrissimo Principe* Ludovico, *Duce Wirtembergico impetravit.*

Sic ergò venit Hunnius, *& venit felici omninò sidere Vitebergam, anno, quem suprà nominavimus, 92. supra sesquimillesimum: constitutus Professor Theologiæ primarius, Templiq; arcis præpositus, ut & Consistorij Ecclesiastici assessor dignissimus, vigilantissimus. Instituebatur autem tùm temporis, uti modò dicere cœperam, mandato inclyti Proëlectoris, consensu etiam Ecclesiæ & provincialium, acris omninò exploratio Religionis subditorum, eorum cumprimis, quorum falsam atq; hæreticam esse fidem, suspicio haud levis erat. Hanc ad rem laudabiliter ac cum emolumento Ecclesiæ proficien-*

Digitized by Google

ficiendam, aptus etiam ac idoneus judicatus fuit Hunnius *noster. Constabat enim de singulari ejus tùm animi gravitate, tùm judicij dexteritate, quâ recessus animorum explorare strophasq; hominum πρεβλῶν facilè agnoscere poterat: constabat de Zelo pietatis, de scientiâ rerum Theologicarum eximiâ, de facultate ἑρμηνευτικῇ, quâ poterat cum moderatione debita vel flectere errantes ex simplicitate: vel confundere eos, qui in pertinaciam erroris animos suos obstirmarant.*

Incredibile verò est, quanta fide, quanto studio, quanta dexteritate munus hoc sibi delegatum obierit, quàm circumspectus in consulendo, quàm fidelis in monendo, quàm diligens in informando, quàm severus in reprehendendo fuerit: ut vel hoc nomine Ecclesiæ hujus Electoratus sibi plurimum devinxerit & obligaverit.

Quid verò jam dicam de ea fide, quam peracta visitatione, ad labores vocationis proprios reversus, Illustrissimæ domui Saxonicæ, & Ecclesiæ atq; Academiæ huic nostræ abundè satis toto reliquo vitæ curriculo probavit. Deum immortalem, quàm in universas occasiones intentus erat, ut tanquam fidelissimus dispensator mysteriorum Dei, doctrinam Evangelij puriorem spargeret; & ab hæreticorum strophis vindicaret. Nihil certè prius, nihil antiquius, uspiam sibi vel optatius duxit, vel gloriosius, quàm ut tùm docendo tùm scribendo puritatem cœlestis doctrinæ longè latequè propagaret. Atque ut id fieret, nullis laboribus, nullis molestijs, nullis objectis difficultatibus, se retardari avocariq; passus est.

Sed ut silentio nunc involvam labores eos quos apud nos tùm in Academia, tùm in Templo, decennio hoc proximo Hunnius *præclarè sustinuit, & quorum Spiritum hæc adhuc Cathedra calere mihi videtur: vel eas tamen res, quæ in publico totius Ecclesiæ conspectu, non tàm hîc, quàm extra Electoratum istum præclarissimè gessit, paucis contemplari, bonâ vestra venia liceat.*

Anno igitur mox subsequente 93, indicebantur comitia Ratisbonæ

Digitized by Google

bonæ celebranda, ad quæ Illustrissimus Dux Saxoniæ Fridericus Wilhelmus, tùm Electoratus Saxonici Administrator, nunc Cæli princeps beatissimus abiturus, Hunnium *sibi tanquam fidum* ϖαρεδρον *adjungere voluit. Quid verò ibi in puncto religionis inter nostros cumprimis & Calvinianos actum disceptatumq; sit, fortè neminem vestrum latebit.*

Certè quòd hominum Sacramentariorum technæ, fraudes & impostura, quibus sub Augustanæ Confessionis Symbolo, Calviniano suo dogmati latibulum admodùm sollicitè quærebant, in lucem fuerunt protractæ, & immotis rationibus Ordinibus Imperij ostensum, Augustanæ Confessioni. γνησίως *sic appellatæ (nam variata illa, neque Augustam, neq; Carolum V. vidit unquam) cum Calvinianorum doctrina, nihil prorsus esse commercij, illud* Hunnij *potissimũ vigilantiæ, & industriæ est ascribendum.*

Neque verò quò minùs externo publicæ pacis bono unà nobiscum in Imperio frui liceret Calvinianis, vel Hunnius *restitit, vel alij orthodoxi unquam sunt reluctati: uti gens Sacramentaria, & in hac cumprimis Embdenses audacter calumniari sunt soliti. Potuerunt certè per* Hunnium, *imò possunt hodieq; etiam per nos Calviniani eodem utifrui jure, quo hodiè in imperio utuntur fruuntur Judæi, Anabaptistæ, Schvvenckfeldiani, & alij fanatici.*

Caterùm ut hoc fiat cum Augustanæ Confessionis jacturâ, & vel hoc pacto, (quod astutè quærunt isti homines) sub augusto Symboli hujus prætextu, erroneum suum dogma, in detrimentum Ecclesiarum nostrarum, inq; fraudem veritatis quam profitemur, latiùs atq; longiùs, imò tutiùs etiam disseminare queant: illud neq; Hunnius *tùm permittere voluit, imò nec potuit quidem nisi libertatem & privilegia Lutheranarum Ecclesiarum prodidisse videri voluisset: neque permittet id unquam, pius qui est, & cui Ecclesiæ ac purioris Religionis salus atq; tranquillitas cura cordiq; fuerit.*

Ringantur interim & medius si velit, crepet larvatus ille Rabula Antonius Benbellona de Godentijs, vel qui idem ille est, Bernhardinus

Digitized by Google

hardinus de S. Georgio: homo ita gnaviter impudens & audax, ut per fabulosam quandam narrationem, acta istorum comitiorum, quoad præsentem quæstionem adulterare haud dubitaverit. Quem ego hominem, per æternam salutem obtestor, si porrò hisce de rebus scriptionem instituere velit, ut si non homines reveretur, saltem meminerit, in cœlis esse Deum aliquem, qui hac universa vindice oculo cominùs intueatur, cognoscat & ad tremendæ severitatis tribunal aliquando revocaturus, ac cuiq; secundum opera sua daturus sit. Sed hac de re alibi fortassis fusiùs: Nunc cum Hunnio ad alia progrediemur.

Anno igitur eodem laudatissimus Princeps Fridericus IV. Lignicensium & Brigensium in Silesia Dux b. r. animadversis dolis, fraudibus & machinationibus, quibus tùm clancularij quidam Calviniani, tùm verò & cumprimis Leonhardus Krentzhemius, Lignicensium quondam Superintendens, veneno Sacramentario, clàm Ecclesias suæ fidei inspectionique commissas inficere ac Sacrosanctum purioris Religionis κειμήλιον miris artibus ac fraudibus obscurare, corrumpere, impedire, ac in fumum prorsus dissipare studuit: Hunnii potissimum nostri operâ ac studio usus, Ecclesiarum Lignicensium per Silesiam Reformationem suscepit, imò perfecit longè saluberrimam.

Expertus est tùm grex Calvinianus, & in eo præcipuè Krentzheimius Spiritum Hunnij nostri, Spiritum certè talem, cui ipse nullo quæsito colore, licet in formas omnes Protei instar sese transmutaret, resistere tamen potuit: quin potiùs convictum sese confusumq; confiteri necesse habuit. Erat Krentzhemius iste hostis acerrimus, & osor infensissimus illius doctrinæ, quam de communicatione Majestatis divinæ, factæ assumtæ humanitati Christi, purior Ecclesia ex fontibus Israëlis haurit, tenet, defendit, propagat.

Proindè ex hac potissimùm parte ulcus Sacramentarium tangere voluit Hunnius, quærens ex Krenzhemio: Num Christus secundum utramq; naturam, & sic secundum humanam quoq;, sed in

Digitized by Google

persona Christi, sit adorandus? Respondente verò Krenzheimio affirmatè, pergebat Hunnius, *interrogando: Num Christus secundum utramq; naturam invocatus, sciat & noverit se invocari, & secundum humanam etiam naturam, perspectas cognitasq; habeat cogitationes, gemitus, suspiria invocantium? Siquidem ridiculum, vel certè infrugiferum foret, invocare eum, qui quod petis & desideras, ipse ignoret, vel certè non intelligat. Ibi Krentzheimius, vel propriâ suâ responsione convictum se constrictumq; sentiens,* Hunnio *respondere ad interrogata amplius noluit: sed ad suos asseclas conversus dixit: ille vult me capere.*

Sic est, mi Krentzheimi, non voluit modò Hunnius *te capere: sed ita te verè cœpit, ita laqueo erroris te irretitum, singulis spectandum præbuit: ut totus obmutescreres, & quid contra mutires haud uspiam invenires, licet omnes sarcinas, omnesq; loculos Calvinianæ Theologiæ ad fundum usq; excuteres. Verùm & isthæc ex actis Lignicensibus jam pridem editis plenius cognoscere licebit.*

Anno eodem Calvinum Judaizantem scripsit & evulgavit Hunnius, *provocatus potissimum à Davide Pareo Silesio, Theologo & Professore Calviniano Heidelbergensi, qui in præfatione quapiam, atro virulentiæ sale perfusa, ac venenatis maledicentiæ aculeis infesta, Hunnij tractatum de Trinitate, eidemq; præmissam præfationē, illis annumerare haud dubitavit, qui συκο φαντικὰς scriptiones evulgare consuevverunt: simul operosa admodum Apologiâ pro Johanne Calvino institutâ. Sic ergò provocatus* Hunnius, *palæstram rursus minimè defugit: sed eo, quem diximus, publicato libro in facie & conspectu Catholicæ Ecclesiæ Dei ad oculum demonstravit, Johannem Calvinum, Sacramentariorum nostri seculi antesignanum, benè multa Scripturarum loca, æternam Deitatem Christi confirmantia, glossis impijs, tetrisq; corruptelis ad suam & aliorum perniciem, à genuino sanoq; sensu horribiliter detorsisse, ijsdemq; caliginem Judaicam offudisse: & vēl hoc pacto, non sine manifestâ veritatis proditione, tela illa & arma Spiritus Sancti, quibus tùm*

Digitized by Google

Judaicam infidelitatem, tum Arianam impietatem Orthodoxi fortissimè profligabant & retundebant, strophis suis hebetâsse, inutiliáq; reddidisse. Sed ad annum sequentem 94. me converto. Hic verò est ille annus, quo à Serenissimâ celsissimáq; Principe ac Domina, Dn. Sophiâ, *Illustrissimi Herois ac Principis Christiani I. Electoris Saxoniæ, laudatissimæ recordationis viduâ, Dominâ nostrâ Clementissima, insignis ille Theologus, & de Ecclesiâ ac Scholâ hac optimè meritus, merenságq; quotidiè,* Dn. Polycarpus Lyserus, *in locum Doctoris* Martini Miri *piè defuncti, Dresdam evocatus fuit. Vacabat ergò jam ex istius discessu apud nos munus Superintendentis: & quidem vacabat annum integrum: cujus interim operæ* Hunnio *(licet nondum ad hoc officium vocato) ratione successionis in Collegio Facultatis incumbebant: donec tandem anno 95. vocante Senatu Academico & Oppidano, eamq; vocationem ratam habente inclyto Dn. ProElectore: accedente simul clementi concessione Illustrissimi Principis ac Dn.* Dn. Friderici, *Ducis Wirtembergici &c. Pastor ac Superintendens Ecclesiæ nostræ Vitebergensis legitimè constitutus fuit. Cujus sanè muneris (ut illud Ciceronis de Consulatu alicubi proditum elogium huc accommodem) magnum nomen, magna species, magna dignitas, magna majestas, quam non angusta capiunt pectora, non animi egestas aut ingenij sustinet. Opus hic vigilantiâ & curâ incredibili: consilio magno: fide egregia: insigni gravitate: circumspectione providâ: ne quid vel detrimenti vel confusionis Ecclesia capiat. Hæc omnia miseris istis & conclamatis fermè temporibus longè graviora fiunt. Quantâ v. fide & industriâ quantâ dexteritate, quantâ circũspectione provinciã hanc administravit* Hunnius: *quanto studio Ecclesiæ hujus commodũ ac dignitatem curaverit: periculum esset ne famæ ac meritis tanti viri prævaricarer, si de eo verbo in hac temporis angustia auderem: cùm vel integram orationem hæc res desideret.*

Vos, vos ego appello Collegas, vos appello Diaconos, vos appello cives Academicos & Oppidanos, ecquid unquam fidei, candoris,

studij

Digitized by Google

ſtudij in Hunnio deſideraſtis? Ingemiſcere mihi videmini, & amiſſum repetere. Sed ô inanes noſtras cogitationes? ô fallacem hominum ſpem? ô lubrica vitæ humanæ curricula? Habuimus Hunnium, & habuimus quidem paucis admodum annis, ut monſtrare eum magis, quàm diutiùs fruendum concedere voluerit Dominus, juſto certè judicio, quòd nos admirari magis, quàm rimari decet.

Verùm à querelis iſtis ad Hunnij res geſtas redeo. Anno igitur eodem in nervum demum verè erupit infelix iſtud incendium, quod præcedente anno gliſcebat adhuc, de univerſali prædeſtinatione, ſive Electione propriè ſic dictâ ad ſalutem, tàm incredulorum, quàm credentium, inq; fide perſeverantium: flammam contentionis & incendij fodiente Doctore Samuele Hubero, homine ἰδιογνώμονι. Quod profectò incendium, quò minùs mox in primis favillis ſopiretur, neq; per Hunnium, neq; per Collegas reliquos ſtetit: ſed nativa potiùs hominis illius intemperies, medijs ac remedijs conſilijsq; ſanioribus locum omnem intercepit. Qualem & verò & quam fidem purioris doctrinæ Hyperaſpiſten, adverſus inanes Huberi φλυαρίας, ſeſe hoc tempore præſtiterit Hunnius, & partim monendo, partim ſcribendo, errantem Huberum in viam revocare ſtuduerit: res ipſa, quod ajunt, loquitur & monumenta hac de controverſiâ benè multa edita, cumprimis vero aureus ille tractatus Hunnij de providentiâ & prædeſtinatione filiorum Dei, ſatis luculenter teſtantur. Utinam verò Deus adhuc hominis iſtius miſereatur, eamq; ipſi largiatur gratiam, ut craſſum errorem verè agnoſcere, agnitum ſeriò in conſpectu totius Orthodoxæ Eccleſiæ deprecari: & ſic tanquam ovis perdita, ad ovile Chriſti aggregari queat: Quod ut fiat faxit altiſſimus.

Diſſidio hoc per remotionem Huberi aliquatenus compoſito, aliâ mox ratione & fermè periculoſiore Eccleſiæ pacē ac tranquillitatem concutere, & ſi fieri potuiſſet, penitus evertere ſtuduit Diabolus.

Prodijt enim anno inſequente 97. Epiſtola quædam, Lichæ primùm, poſtmodùm Serveſtæ Anhaltinorum impreſſa, & prodijt quidem

Digitized by Google

dem sub nomine cujusdam Doctoris Theologi, qui ante hac sæpiùs, tùm in Wirtenbergensium, tùm nostratium Theologorum scripta, disputationes, conciones virgulam censoriam, sed minus candidè sibi sumserat. Insimulabatur in epistolâ illâ primùm quidem Liber Christianæ Concordiæ nescio cujus periculosæ sive mutilationis, sive mutationis: deinde verò Hunnius & alij Orthodoxi Theologi, atrocissimorum errorum, quos quidem in primarijs Religionis Christianæ articulis, de Cœnâ Domini, de Personâ Christi, de Baptismo, de Libero Arbitrio, & de æternâ prædestinatione, clàm inscio magistratu supremo spargant & disseminent. Quibus sanè modis provocatus Hunnius, vel tandem licet invitus prodijt, & utramq; impudentissimam calumniam gemino scripto, tùm à Libro Concordiæ, tùm à se ita masculè, ita solidè amolitus est, ut bono cuilibet & ἄνευ προκρίματος judicanti abundè satisfecerit.

Circa idem tempus, pauci quidam Calviniano Spiritu inflati, homines alioquin obscuri, improbè abusi Principis sui nimiâ facilitate novam quandam reformationem (deformationem verius) Ecclesiarum Anhaltinarum, Spiritu prorsus Carolostadiano susceperunt, demoliendo altaria, extirpando imagines, dejiciendo organa musica, removendo hostias, circa actionem Eucharisticam usitatas, & substituendo panem alium communem fermentatum, inq; frusta oblonga dissectum: abrogando denique Ceremonias alias, hactenus in illis Ecclesijs, sine ullo superstitionis sive periculo sive indicio, piè observatas. Et profectò licuisset per nos istis hominibus sic excolare culicem & deglutire camelum: nisi pro innato superbiæ & πολυπραγμοσύνης studio, stylum, multorum convitiorum veneno tinctum in nostras quoq; Ecclesias convertissent, easq; plurimarum horribilium tùm Papisticarum, tùm ethnicarum etiam superstitionum reas peragere, inq; foro totius Ecclesiæ proclamare ausi fuissent. Hic certè neque Hunnio, neq; nobis Collegis, in aurem indormiendum, sed pugnandum fuit, ut turpis isthæc aspergo ab Ecclesijs nostris abstergeretur.

Qua

Digitized by Google

Quâ in parte quid rursum præstiterit Hunnius, *degeneres nostri vicini magno cum dispendio suæ Reformationis, probè experti sunt.*

Sed neque sic quies concedebatur Hunnio *nostro, quin sequente anno ex Palatinatu sese proripiebat denuò David Pareus, & Calvini sui patrociniũ (sed irrito conatu) suscipiens, scriptum adversus* Hunnium *edebat satis prolixum, partim convitijs & calumnijs exquisitissimis refertum, partim eò directum, ut persuaderet hominibus (haud aliter ac si fungi, stipites & caudices essent,) Calvinum quod scripsit, non scripsisse. Quam veteratoriam κυβείαν καὶ παιπαλείαν πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, ut Apostolus noster loquitur,* Hunnius *duobus vicissim libris egregiè detexit, dexterrimè elisit, solidissimè profligavit: ita ut sacrum omninò silentium Pareus sibi hactenus indicare, quàm tantâ cum jacturâ famæ & doctrinæ Calvinismi, denuò in theatrum prodire maluerit.*

Prodijt eodem anno 99. liber quidam Calvinisticus Staffurti impressus, & prodijt quidem sub illustri nomine Generosissimi Principis ac Domini, Dn. Ernesti Friderici, Marchionis Badensis & Hochbergensis &c. qui partim symbolum Christianæ Concordiæ nescio quorum paradoxorum insimulavit, partim verò universos errores gentis Sacramentariæ de Cœnâ Domini, de Persona Christi, de Libero Arbitrio & æternâ prædestinatione, de Baptismo, novis pictos coloribus reposuit ac recoxit: eo fine ut authoritatem libri Concordiæ quibus posset modis, convelleret, imò penitus everteret.

Quibus improbis Autorum libri istius conatibus, Hunnius *subsequente anno refutationem opposuit, in qua Orthodoxi quiq; omninò acquiescunt: imò in qua acquiescerent ipsi quoq; adversarij, nisi cauteriatam haberẽt conscientiam, & suâ sibi sponte oculos perstringerent. Circa idem tempus, appropinquantibus jam Romani Pontificis Clementis VIII. nundinis, ad annum tùm instantem MDC. Romæ celebrandis, Robertus Bellerminus Esawita, ex singulari Pontificis dispensatione, Cardinalis factus, libris duobus evul-*

Digitized by Google

gatis, obsoletas illas & rancidas merces Papales, Romanas dico indulgentias, priùs à b. Luthero nostro, cum omnibus intestinis, ut Poëta noster nuper argutè cecinit, sepultas, mirificè pingere, orbiq; Christiano commendare non erubuit, ut vel hoc pacto nundinas instantes celebriores frequentioresq; redderet.

At verò Hunnius noster, pio Zelo exarsit adversus Sinonias istas fraudes, impostoras, artes, aucupia, compendia, tendiculas, quibus in universis Ecclesiæ Christianæ regnis, locis atq; angulis, Romanus Pontifex olim negociatus fuit, & laxo nimiùm reti, tanquam supremus pecuniarum piscator, verius dixerim, furum omnium, quos orbis universus unquam habuit, hodieq; habet & habiturus est, imperator, thesauros & opes mundi ad se pertraxit, justo, inquã, adversus artes istas Sinonias Zelo accensus Hunnius, Tractatum verè nobilem conscripsit de indulgentijs & Jubilæo Romani Pontificis: evidentissimè demonstrans, in curia & Ecclesia Romana, tanquam Apocalypticâ illa Babylone, & hujus adamato sponso Pontifice, & jam quoq; in Clemente VIII. ad amussim esse completum, quod ante quindecim secula, Spiritus S. per os atque calamum B. Johannis, sub typo mysticæ nundinationis, capitibus 13. 17. & 18. Apocalypseos prædixit: quod item prænunciavit D. Petrus, fore Pseudoprophetas, qui fictitijs sermonibus per avaritiam negociaturi sint de hominibus. Et quanquam Esavvitica societatis conjurata factio per Apostatam quendam, hominem novitium nervos omnes intendit, & certatim vires universas hûc contulit, ut vulnus lethale, ab Hunnio, Romano Pontifici, ejusdemq; nundinationi inflictum, quoquo modo sanaret: irritus tamen & iste conatus, Dei beneficio, fuit deprehensus.

Excepit ventilationem istam, biennio post deliberatio illa, quæ inter Christianissimum principem Philippum Ludovicum, Comitem Palatinum: & Illustrissim. Princ. Maximilianum Ducem Bavariæ pio consilio fuit suscepta, de Colloquio aliquo inter Lutheranos & Pontificios brevi instituendo.

Incre-

Digitized by Google

Incredibile autem est, quàm fuerit frequens, quamq; insolens apud adversarios sermo de futuro Colloquio: quantoperè sermonibus juxta & publicis scriptis celebratum illud colloquendi institutum, tanquam omnium convenientissimum medium ad extirpandam Lutheranam haresin, (uti illi quidem cœlestem Pontificijs dogmatis adversantem appellant) ita ut propè nihil aliud Esavvitis, ut & Apostatæ Johanni Pistorio in ore & calamo esset, quàm Colloquium, Colloquium, Disputatio, Disputatio.

Hinc immanes illæ provocationes, quod scriptitabant, si nostrates sint cordati viri, congrediantur & pedem contra ferant. Jactare quoque solebant, non tantum esse nostris vel animi, vel fiduciæ, ut inire disputationem publicam audeant. Minitabantur etiam, quibus modis nostrates excipe velint: velle se illos tanquam rudes ex inferiore aliquâ classe scholasticos, primo statim congressu, totis, quod ajunt, castris exuere, adeoq; vivos capere. Itaq; jam tùm erat in illorum manu victoria, antequam ad conflictum res devenisset. Sed verè πρὸ νίκης ἐγκώμιον.

Nam suaves istas & thrasonicas de colloquio speculationes, contrario planè & insperato eventu terminatas esse: & conceptas spes opimas in spongiam, quod dicitur, incubuisse: magnâ cum ignominia Ordinis sui, hodieque persentiscunt Esavvitæ. Experti enim sunt, postquam res ad conflictum devenit, & in arenam descensum fuit, qui & quantus vir esset Hunnius *noster, quâ animi fortitudine, qua fide, quo spiritu cœlestem veritatem, adversus impia Romana Pseudo-Catholicæ Ecclesiæ placita, imò adversus portas infernales asserverit: ita ut nonnullis quoque ex Pontificiis* Hunnius *admirationi fuerit.*

Non dubito ad vestram provocare conscientiam, Esavvitæ: dicite, si viri boni estis, ec quem aculeũ cauteriatis vestris animis Hunnius *infixit? quid tibi, quæso, animi est Hungere, qui ad* Hunnij *Spiritum, vel alterâ mox sessione totus obmutuisti: usq; adeo, ut nec*

deinceps

Digitized by Google

deinceps Spiritum animumq; resumere potueris? Quid tibi animi est, Gretsere, qui Hunnij rationes & argumenta, ex armamentario Spiritus Sancti petita, usque adeò ferre non potuisti, ut, dum quod ad rem responderes, tibi non succurreret, malueris blasphemum tuum os in cœlum ponere, & per inauditam ante hâc (sed tamen tripode Esavviticâ per quàm dignam) impietatem iterum atq; iterum, ingeminare: Spiritus Sanctus non potest, non potest me per Scripturam judicare: Age veniat Spiritus S. judicet me, si potest, per Scripturam, & dicat, Gretsere erras. Parce tu mihi, Deus optime, blasphemias istas referenti: macte verò audaciâ Gretsere, sic ibis ad astra: Breve, crede mihi, restat spacium, quo Spiritus S. per Scripturam, te non modo hæreticum proclamabit: sed & mercedem impietatis istius tibi persolvit eam, quæ notata ac descripta est, Apoc. 14. his verbis: Bibet de vino iræ Dei, quod mixtum est mero in calice iræ ipsius & cruciabitur igne & sulphure, non igne purgatorio, quam ignorat Johannes, sed igne gehennæ inextinguibili, in conspectu Angelorum sanctorum, & ante conspectum Agni: & fumus tormentorum ascendet in secula seculorum. Sed ad te, Tannere, venio, quid tibi, quæso, animi est de Hunnio. Scio te victum ab eo esse vix fateberis: Nam stentoreâ tuâ voce, haud secus ac Pyrgopolynices ille apud Plautum, vel uno spiritu universas Lutheranorum legiones diffiare te posse, somniabas.

Neque verò mihi vel animus est, vel præsentis instituti ratio permittit, operosiùs demonstrare, quàm turpem te in palæstra Ratisbonensi dederis, dum præter informem illam tuam formam, quam subindè ad rabiem usq; occlamabas, quod responderes ad rem, nuspiam inveniebas. Ad acta Colloquij te ablegatum volo: illa contemplare accuratiùs: inde patebit, uter victor abierit. Sed jam pridem de eo in conscientia convictus es, ut vel proprio indicio soricum instar, morsum & stimulum conscientiæ prodere necesse habueris. Cur enim obsecro tàm sollicitè cum tuis gregalibus hactenus caviisti, ut nè Colloquij Protocollum, etiam illud quod Monaci est impressum,

Digitized by Google

preſſum, ſine tuâ egregiâ illâ relatione, plurib, mendacijs quàm verbis conſtante, cuiquam divenderetur? certiſſimo nimirùm indicio, quòd à Protocollo ſolitariè inter veſtros homines ſparſo & lecto, tibi quàm vehementiſſimè metuas.

Sed ad Hunnium *redeo, cujus quanta in colloquio iſto fuerit dexteritas, quanta animoſitas, quanta fides, quanta religio: jam pridem orbem Chriſtianum univerſum percrebuit. Quis enim Ecſavitis ita detraxit leoninam illam, in quam aſini illi Cumani ſeſe abdiderant, ut multùs anteà formidabiles viſi, jam ob fœdiſſimè adminiſtratum munus ſuum rideantur à noſtris, & vileſcant apud ſuos? quis, inquam, hoc præſtitit?* Hunnius. *Quis detexit extremam iſtorum hominum impietatem, per blaſphemias, quas in Scripturam & Spiritum ſanctum eructare nihil exhorruerunt?* Hunnius. *Quis detexit illorũ inconſtantiã, per antilogias & conditractiones frequẽtiſſimas?* Hunnius: *Quis detexit profligatam iſtorum abſurditatem, effutitis ejuſmodi paradoxis, quorum aliqua ne Pontificiis quidem Doctoribus probari certum eſt?* Hunnius: *Quis deniq; ex veris & immotis fundamentis, gladio Spiritus nempè verbo Dei ſcripto, beſtias illas atq; furias, Eſavuitas dico, per immenſam Dei gratiam, debellavit, atq; ſic domuit, ut haud ita facilè denuò in arenam ſint deſcenſuri!* Hunnius.

Admirantur hiſtorici Alexandri Magni res geſtas, quod duodecim annorum ſpacio, totum penè orbem terrarum debellavit & ſubegit: ſuſpiciunt profani Scriptores Julium Cæſarem, quod quinquagies cum hoſtibus ſigna contulit, & victor fermè ſemper evaſit, adeò ut lumen illud Eloquentiæ, M. Tullius, ei acclamare non dubitaverit: Domuiſti gentes immanitate barbaras, multitudine innumerabiles, locis infinitas, omni copiarum genere abundantes: Laudant & in cœlum usq; dignis laudibus evehunt hiſtorici Imperatorem Henricum IV. quod ſexagies bis cum hoſtibus feliciſſimè congreſſus. Verùm ſi Hunnij *noſtri labores, ſtudia, certamina, victorias, triumphos, trophæa, hoſtes aquâ lance penſitemus, nonnè vel*

Digitized by Google

hoc nomine augustiorem ille laudem ac gratiam meretur, quod sine ullo strepitu armorum, sine ullâ sanguinis profusione hostes, Esavuitas, Sacramentarios, & alios fanaticos immanitate barbaros, crudelitate horrendos, omni Sophisticationum genere abundantes validissimè tùm aliàs sapiùs, tùm in nupero potissimùm Colloquio debellavit, domuit, expugnavit: ut verè cum Apostolo Νενίκηκον *illud canere potuerit: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: cæterùm, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illâ die justus judex: non solùm autem mihi, sed omnibus adventu ejus diligentibus.*

Intelligitis ipsi Auditores, de brevitate mihi magis laborandum, & constringenda esse plurima, quæ meritò amplificari possent, imò fortè & deberent: Sed vestræ in audiendo patientiæ mihi ratio est habenda: & jam dudum ultimus vitæ, vel mortis potiùs Hunnianæ *actus, ad se quasi vocare, & hanc absolvere orationem, mihi videtur: de quo mox dicturus: si priùs & tanquam in transcursu, paucis privatâ* Hunnij *vitâ attigero. Sed ut sùmatim omnia comprehendam, jure optimo illud Hippocrateum ad ipsum accommodavero: fuisse nempè* Hunniũ *ἄνθρα καλὸν καὶ ἀγαθὸν, μὴ φιλοτιμίας, ἢ φιλοδοξίας: adde etiã, μὴ πλεονεξίας, μὴ ἐριθείας, ἀλλ' ἀληθείας καὶ ὁσιότητος ἐραστὴν, Nam ut de domesticâ gubernatione & familiâ ordinar, erat ille secundum admonitionem Apostolicam inculpatus, unius uxoris maritus: liberos habebat subditos cum omni reverentiâ: domi suæ benè præerat, non turpem quæstum faciens, sed ἐπιεικὴς, ἄμαχος, ἀφιλάργυρος: Unde divinæ benedictionis vestigia, tùm in re familiari, tùm in eo potissimùm abundè deprehendit: quod secundum promissionem Psalmi 128. Vidit filios ac filias sicut plantationes olivarum in circuitu mensæ suæ. Nam ex unâ Conjuge, Eleonorâ Felderianâ, spectatissimi viri, Johannis Felderini præfecti in Schönbach, &c. filiâ, matronâ honestissimâ, cum quâ anno 1576. die 10. Januarij Tubingæ nuptias celebraverat, octonos liberos genuit: nempè anno 77. supra sesquimillesimum, die 23. Februarij filium* Ludo-

vicum.

Digitized by Google

vicũm egregiæ indolis, magnæq; expectationis juvenem, quẽ biennio post impetratũ gradum in Philosophia summum Deus pro beneplacito voluntatis suæ, in ipso ætatis flore, cum vixisset annos 19. menses 4. & dies 5. Anno 96, die 30. Junij, ex hac terrenâ Vitebergensi, ad cælestem Academiam evocavit. Anno 79. die 3. Septembr. filiam Sabinam. Anno 81. die 10. Septembris filiam Hedvvigem, quæ biennio post, Anno videl. 83. die 13. Decemb. fatis concessit. Anno 83. die 17. Martij, filium Helffricum Ulricum. Anno 85. die 11. Julij, filium Nicolaum. Anno 88. die 10. Martij filiam Eleonoram, Anno 90. die 30. Augusti filiam Margaretham. Anno deniq; 94. die 19. Martij filium Ægydium: & hunc quidem unum Vitebergæ, reliquos Marpurgi. Et quòd meritò in magnâ felicitatis ac benedictionis divinæ parte ponendum est, in hac prolis copiâ, haud necesse habuit experiri illud Demosthenis: τῶν ἀγαθῶν ἄνδρων, ὥσπερ εἰμαρμένη ἐστὶ, φαῦλοι υἱοὶ ἀποβαίνειν.

In communi conversatione admirabilis in Hunnio modestia semper eluxit, & cum ingenua morum simplicitate, gravitas quædam veneranda. Norunt familiariter illo qui usi fuerunt, ea ipsum humanitate, atq; benignitate extitisse in omnes, ut nemini facilè operam suam denegaret, aut suis tantùm inservire commodis, non aliis etiam prodesse cuperet: nulla ex re voluptatem perciperet majorem quàm cum aliorum tùm studia provehere, tùm commoda promovere reliqua sese animadverteret. Unde (quod ex ipso aliquoties me audivisse memini) ex operis & laboribus Academicis tùm se verũ optatumq; fructum persentiscere existimabat: non si Lysandri agrũ egregiè consitum hospitibus ostenderet, sed si studiosos Theologiæ, tanquã plantulas sua manu insitas & plãtatas, nõ in hortis aut pomarijs, sed in templis, in scholis, in principum rerumq; publicarum cancellis, in curijs, in urbibus, in pagis, fructus proferentes uberrimos, monstrare & percensere posset.

Porrò dici nequit, quàm exultaverit, quas quantasq; Deo gratias egerit, quoties de incremento purioris doctrinæ, dequè prospero

Digitized by Google

Eccesiæ statu certior fiebat. Et vicissim, quoties audivit Satanæ & organorum ipsorũ machinis, cursum doctrinæ Lutheranæ inhiberi, turbari Ecclesiam, excitari schismata, dissensiones, offendicula, vel in doctrinâ vel in moribus: quàm ibi sollicitus, quàm afflictus fuerit, quàm nihil non tentaverit, ut hisce vulneribus idonea salutariaq; remedia adhiberentur.

De pacis & Concordiæ studio, quo tenebatur incredibili, quid dicam? Quàm sæpè, bone Deus, lacessitus etiam injurijs & convitijs, de jure suo cessit? Quid de ingenuo candore, de mentis sinceritate & constantiâ proferam? Non profectò aliud in linguâ habebat promtum, aliud verò fovebat sub pectore clausum: nihil simulatè, nihil astutè, nihil dolosè, nihil insidiosè agebat unquam.

Quid deniq; de singulari illo amore, quo nos Collegas suos complectebatur, disseram? Quid de animorum indissolubili conjunctione, & aureo pacis ac Concordiæ vinculo, quo Collegium nostrum jam indè ab ejectione Huberi, q. conglutinatum erat? quid de votorum & sententiarum placabilitate? Non certè solebat Hunnius, licet Senior Collegij esset, ἰδιοβουλευειν, & seipsum solum audire, se solum admirari, se solum efferre, ut faciunt nonnulli ἰσχυρογνώμονες, qui solùm, quod ipsi dicunt, aguntq; magni solent facere: reliquos pro fungis ac stipitibus habent.

Cæterùm his missis ad ultimum vitæ Hunnianæ actum, qui beatum ipsius obitum concernit, me vel tandem converto.

Testantur illi, qui vitæ & studiorum ipsius rationes accuratiùs observarunt, consuevisse illum non integro modò die, sed & post peractam Cœnam, in profundam usq; noctem, scriptionibus & meditationibus operam dare, summoq; mane experrectũ, ad eas mox redire. Quibus continuatis vigilijs & laboribus ille quidem famam nominisq; immortalitatem, cum maximo Ecclesiæ Christi commodo conjunctam, est consecutus: ad illam vicissim ventriculi imbecillitatem, humorum κακοχυμίαν contraxit, quæ proximo potissimùm biennio, crebras & periculosas destillationes, & tandem etiam intempestivam mortem attulit.

Ægro-

Digitized by Google

Ægrotare cœpit, die 15. Martij, & principio quidem familiares calculi dolores, atq; sæviores ipsum invaserunt: sed mox his successerunt cùm supremè ad guttur deorsum ruentes catarrhi: tùm infernè sursum per stomachum lenti viscidiq; humoris indesinentes eructationes, à quibus non solùm jam antè exasperata columella, sed & palatum, & faucium regio universa, veluti incrustata fuit: ut aditus jam medicamentis pariter & alimentis prohiberetur. Medicis nec quicquam satagentibus. Supervenerunt nauseabundæ proritationes, non vomitu, sed screatu eoq; difficili finientes, quas ἐν κακοῖς habet Hippocrates: cum non obscuris signis convulsionis ventriculi, & mox eam ab exhausto insecuturi, & inflammationem tandem attracturi, & interitum, singultus insanabilis & salutis desperatæ: quod eventus tristissimus comprobavit. Paulò enim post febris obortæ vires, jam antè calculi tormentis fractas, & multorum dierum inediâ exhaustas penitùs exolvit, & mortem (proh dolor) adduxit. Mentem habuit futuri præsagam, tùm in multis alijs eventibus, tùm in mortis instantis pronunciandâ certitudine. Nam cùm adhuc nullum vel morbi lethalis, vel mortis adesset indicium, animum suum sibi præsagire dixit, se non fore diu amplius superstitem: sed cum explicatione Epistolarum Paulinarum (jam enim postremam præ manibus habebat) vitam etiam suam clausurum, cum illo Apostolico Epiphonemate: bonum certamen certavi: cursum consummavi: fidem retinui & bonâ conscientiam: proindè reposita est mihi in cœlis corona justitiæ &c. Et profectò præsagio mox eventus respondit longè tristissimus.

Cæterùm priusquàm è vita discederet, finem verò vitæ instare persentisceret, die 4. Aprilis, tertiâ matutinâ, nos tres Collegas suos, & Archidiaconum ad se vocari curavit: inq; nostrâ & Medicorum præsentiâ, articulata, licet submissiore voce, disertè testatus est, se Confessionis suæ & doctrinæ, tàm viva voce, quàm scriptis propugnatæ, ad tribunal Jesu Christi intrepidè rationem redditurum: inq; confessionis hujus suæ fideiq; confirmationem Sacrosanctæ Eucharistiæ

Digitized by Google

charistia viatico, hoc est, ipso corpore & sanguine Christi Servatoris sui, instrui, pasci, potariq; voluit.

Quâ sacra actione magnâ cum devotione, inter preces & lachrymas, ritè peractâ, quieti sese nonnihil commissurus, initiò quidem nobis Collegis: deinde verò conjugi etiam & liberis, dexteram separatim singulis porrexit, & sic extremum vale dixit: quanto cum nostrorum omnium cordolio, facilè æstimabunt, qui vel ipsi experti sunt, vel ab alijs audiverunt, quàm acerbum sit, divelli nos, quibus non collegialis, sed fraterna omninò animorum intercessit conjunctio: quàm item grave sit, conjuges rupto amoris & fidei conjugalis fœdere, ab invicem dissolvi: liberos à dulcissimo parentis amplexu abstrahi, & orbari parente charissimo, parente nimirùm eo, in quo post Deum, omnis salus & felicitas ipsorum erat reposita.

Reliquo vitæ, quod adhuc restabat, tempore, pauci erant sermones, ob defluxionum vehementiam: Quoties tamen ex nobis Collegis & alijs astantibus, Scripturarum testimonia Consolationis plena, de gratiâ & misericordia Dei, de merito Christi Servatoris, de remedijs, terroribus mortis opponendis, in animum ipsi revocabantur: semper capite annuebat: & sic animo ad silentium ac patientiam composito, in sola mortis meditatione, inq; filij Dei invocatione, totus recubuit: & quò magis properabat dissolvi & conjungi cum Christo, eò magis divinum aliquod opus & ἐνέργεια Spiritus S. in eo sese exerebat: ut jam visu audituq; destitutus, manus tamen suas subindè in cœlum attolleret, suumq; Spiritum, sanguine Christi expiatum, fide sanctificatum, Deo patri ardentibus cum gemitibus commendaret: atq; ita sanè quiescens, spiritumq; ægre trahens, tandem inter preces, & ardentissima ad Deum suspiria oculos suos, ille Ecclesiæ & Academiæ nostræ, imò totius Christiani orbis ocellus clauderet, & eadem die quartâ Aprilis, paulò post 8. vespertinam cum Occidente Sole, animam suam ita placidè exhalaret, ut indormivisse magis, quàm mortuus esse videretur.

Atq;

Digitized by Google

Atque ita, proh dolor, amisimus, Auditores, virum longè clarissimum, Theologum incomparabilem: decus Academiæ nostræ eximium: illustre pietatis exemplum: assertorem fidei strenuum: fulcrum & columnam Ecclesiæ præcipuam: pacis & concordiæ antistitem: pauperum Mecænatem: Conjugis & liberorum asylum ac solatium: omnium denique virtutum illustre theatrum: viris principibus gratissimum: collegis acceptissimum: omnibus denique charissimum. Talem, inquam, virum, Doctorem, Collegam, eheu amisimus. Cujus miserandi fati causas, ex nostra hominum, & præsentis temporis conditione, duas potissimùm me deprehendere, ingenuè fateor. Videmus plærumque in humanis, nescio quo fato sic comparatum esse, ut plurimi semper reperiantur qui bona præsentia vix unquam rectè agnoscant: imò non modò non agnoscant, sed & parvi faciant, contemnant, extenuent: & si fieri possit, præclarorum hujusmodi Ecclesiæ organorum luminibus penitus obstrunat. Sunt contra alij, qui contrario modo peccant, & Deorum aut Numinum instar colunt, quos liberaliùs Deus donis suis instruxit.

Quo pacto in Idololatriam turpi excessu homines incidunt: & quod divinæ bonitati ac virtuti erat in solidum acceptum ferendum: illud humanæ industriæ ex toto vendicant. Neutrum diu ferre potest Deus, ut qui neque contemtum suorum donorum tolerat: neq; patitur, ut dona hominum quantumvis excellentia, sibi autori & largitori liberalissimo præferantur.

Proindè quidem Deus eripit dona, quæ in hominibus spernuntur: ut quod Seneca prodidit, tùm demùm homines sua intelligant bona, cùm quæ in potestate habuerunt, ea amiserunt: Ita vicissim amovet, quæ impensè, & plus æquo diliguntur ac magni fiunt, ne sit in utramvis partem turpis excessus occasio. Sed quicquid sit, illud profectò interim manebit ratum fixumq;, nempè fatum hoc Hunnij non tàm esse luctuosum, quàm ominosum: tale omninò, quod magnam post se calamitatum & conversionum Iliadatrahat.

Verùm

Verùm nolo malè ominari, quin ad preces potiùs me confero, & cum Davide ingemisco: Converte Domine Deus noster, Converte Deus salutis nostræ, & averte iram tuam à nobis: Respice, quæso, Ecclesiam tuam: & sicut olim subvecto in cœlum Elia, Elisæum concessisti, ita excita, substitue & præfice Ecclesiæ tuæ alterum Elisæum, qui si non duplo majorem, saltem parem Hunnio *Spiritum habeat: Ostende nobis rursum Domine misericordiam tuam, & salutem tuam da nobis: dissipa gentes & consilia, quæ bella volunt: Confunde hostium veritatis, Esavvitarum cumprimis furores: disperde eos, & fac ut experiantur illud Apostoli:* Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. *Defende inclytam patriam nostram Germaniam & cumprimis Illustrissimam domum Saxoniæ inq; hac Illustrissimum Celsissimamq; Electorem* Christianum II. *cum Conjuge Serenissima: cum matre, Electorali viduâ Illustrissimâ, cum fratribus Celsissimis,* Dn. Johanne Georgio, & Dn. Augusto; *Ducibus Saxoniæ, Dominis nostris Clementissimis: Quin & Academiam hanc totam, inq; ea docentes ac discentes rege, protege, fove: donec tandem singuli, consummato cursu nostro, ad cœlestem illam translati, &* Hunnio *nostro, imò omnibus Electis associati, te Deum verum sine fine intueamur, sine fastidio amemus: sine satietate colamus, laudemus, celebremus.*

AMEN.

ORATIO.

Digitized by Google

ORATIO
REVERENDI, EXCELLENTISSIMI, & Clarissimi Viri,
DN. DAVIDIS RVNGII, SS. THEOL. Doct. & in celeberrima Viteberg. Academia Professoris, & Alumnorum Electoralium Inspectoris dignis. & fidelis. MEMORIÆ habita 27. Aug. Anno M DC IV. à M. Erasmo Schmidt, Græc. Ling. in eod. Acad. Professore.

SI unquam ad dicendum accessi timidus, certè nunc maximè animum meum timore percelli sentio. Movit enim me partim loci hujus insolentia; partim Illustrissimorũ, Reverendorum, Consultissimorum, Excellentiss. Prudentiss. Humanissimorum, omnisq; eruditionis genere ornatissimorũ Auditorum præsentia; partim quæ mihi est dicendi tenuitas; præcipuè verò materiæ propositæ gravitas. Venio enim dicturus, non de rebus gestis in novis Insulis, quæ partim parùm ad nos spectant, partim fabulosæ ad nos perferuntur: non de Pyramidib. Aegyptijs, aut Mausoleo Cariæ, quæ temporis diuturni edacitate jamdudum sunt consumpta, vel saltẽ insigniter corrupta: non etiam de Hercule, Achille, aut Alexandro M. quorũ virtutes, uti magnæ & insignes extiterunt, ita etiam cum magnis & insignib. flagitijs conjunctæ, & à veri Dei agnitione ac fide sejunctæ fuerunt. Sed de eo viro venio dicturus, qui nuperrimè nobiscũ vixit: cujus memoria quotidiè nobis refricatur: cujus monumẽta præclara, nulla vetustas abolebit: cujus obitus præmaturus, nobis omnibus imò toti Ecclesiæ Dei est luctuosissimus: Cujus deniq; virtutes cum vera pietate & fide conjunctæ, meritò sunt decantandæ, & juventus, imò

Digitized by Google

cujusq; ætatis homines ad eas amulandas excitandi. Cujus nomen etiam nunc in vestibulo non exprimerem: nemo tamen vestrûm esset, opinor, qui non statim Rungium ominaretur: de quo, deq; virtutibus ejus, in tàm splendida corona dicere, quàm grave sit, quique apud animum reputate vestrum. Etenim, ut de me dicam, sive inopem meam dicendi supellectilem, sive aliarum occupationũ varietatem, ac multitudinem, sive ipsam materiam considero: non dubito, quin manes Rungiani, à Demosthene aliquo, quàm à me laudari malint: sicut Alexander ab Apelle potiùs, quàm ab alio quopiam voluit pingi.

Vtut autem hæc omnia animum meum non leviter ex una parte perturbant: ex altera tamen, & favor vester, quo antea dicentem prosecuti estis, me solatur: & pietas in Collegam conjunctissimum excitat: & bonorum virorum approbatio munit.

Et quanquam alium Vos libentiùs audituros, nullus dubito: tamen quia, ut dixi, & pietas amorq; in Collegam amicissimum me jubent, & non pauci bonorum virorum studium meum approbârunt, aggrediar, vestrâ pace, ad dicendum, ne meum officium ei defuisse videatur, cui illud deberi, & boni quiq; existimant, nec ipse diffiteri possum. Atq; sic ego statuo, Auditores, à me nunc pietatis potiùs, quàm ostentationis; querelæ, quàm eloquentiæ; doloris, quàm ingenij partes esse susceptas. Itaq; si exspectationi vestræ non respondero: peto a vobis, Illustrissime Princeps Auguste, Rector Magnificentissime, Domine clementissime, nec non ProRector Magnifice, Illustres & Generosi Barones, Viri strenui & Nobilissimi, Reverendi, Consultissimi, Excellentiss. Prudentissimi, Clariss. & Humanissimi, Tuq; juvenũ Nobilissimorũ, & multiplici doctrinâ ornatissimorũ corona, quib. omnib. pro Augustissima & honorificentiss. præsentia & subjectas & debitas ago gratias, peto, inquam, à vobis, ut tantũ veniæ mihi nunc largiamini, quantũ pio dolori largiendũ putatis. Neq; n. officio conjunctior dolor esse potest, quàm hic meus, ex Hominis, quocum conjunctissimè (utinam plurib. annis) vixi, morte exortus. Dabo ego

bo ego operam, ut vestrâ benevolâ audiendi patientiâ me non abusum fuisse intelligatis.

Ut autem inde dicendi initium faciam, unde plerique solent: Natus est noster David Rungius, anno 1564. die Novemb. 28, in oppido Pomeraniæ Gryphiswaldia: quod oppidum Academia Anno 1456, die Octob. 17. à Wartislavo nono, Principe Pomeraniæ instituta, dudum celebre fecit. Sic ergò in complexu Academico genitus, non exigua adeptus est à puero ad eruditionem atq; virtutem adminicula: quibus, si exemplo Rungij uterentur omnes, qui in Academicis gremijs hanc lucem primùm hauserant: fortè minus esset, quod de juventute malè educata, & beneficijs in aliquos non rectè collocatis conqueremur.

Etsi autem non parùm gloriæ adfert, in gremio Academico natum fuisse: tamen longè majorem gloriam, coram Deo & Mundo sibi duxit Rungius noster beatus, se mox in hanc lucem editum, desideratissimæ Patriæ nostræ, quæ est Ecclesia, per Sacrosanctum Baptismum, institum, & civem regni Dei in his terris factum fuisse, atquè pietatem quasi cum lacte materno imbibisse.

Parentes habuit honestissimos: Patrem quidem, Iacobum Rungium, Theologiæ Doctorem, & in Academia Gryphiswaldensi Professorem, & Pomeraniæ Occidentalis Superintendentem, uti nunc loquuntur, Generalem, virum, uti partim ex concione funebri, partim ex fide dignis relationibus, partim ex monumentis ejus patet, pietate, virtute, doctrinâ, prudentiâ, judicio & authoritate, apud suos imò & exteros, incredibili: Matrem verò, fœminam præstantissimam Catharinam Gersoniam.

De his Parentibus honestissimis, meritò habuit, quod sibi gratularetur Rungius. Quò honestiorem autem sibi originem esse intellexit: eò majore curâ studioq; cavendum sibi duxit, & quasi imperavit, ne quid ortu suo committeret indignum: secùs quàm illi, in quos quadrat tritum illud, ἠιθέων τίκνα πήματα.

Digitized by Google

Si quis nunc fortè in hoc cœtu sedet emissarius Pontificius, (uti in ingressu videre mihi aliquem videbar) aut Jesuita aliquis hæc auditurus est, illi statim hæc animo surget sententia: Egregias verò audio laudes Rungij, ex ejusmodi Parentibus nati, quorũ conjugium sanctissimus Romanus Papa damnavit. Sed heus, bone vir, etiamsi millies Romana meretrix Sacrosanctum Dei ordinem damnet: tamen nobis satius est, Scripturam θεόπνευστον, quæ Episcopum, seu sacerdotem, maritum unius uxoris disertè describit, audire, quàm edictis Anti Christi tui moveri. Et longè nobiliorem ortum judicamus eorum, qui ex honesto & casto Sacerdotum Conjugio prodierunt, quàm istorum, quos vestri patrati patres ex concubinis & scortillis sibi genuerunt filios, aut nepotes. Sed hæc ab alijs uberiùs dudum dicta. Redeo ad Rungium.

Is præter sorores quatuor, quarum una, morte præmaturâ abrepta, reliquæ verò tres honestissimè elocatæ fuerunt, Fratres quoq; habuit totidem, omnes se ætate maiores, Viros quâ pietate, quâ honestate, quâ eruditione, quâ rerũ usu multiplici, præstantissimos; Joannẽ *Medicinæ Doctorẽ, & in aula Wolgastana Archiatrũ, simul & Stetini Physicũ, ut loquuntur, Ordinarium:* Jacobum, *Patri cognominem, in aula Wolgastana ærarij præfectũ:* Fridericum, *Theol. Doctorem, & in Academia Gryphiswaldiana Professorem, ac diœceseos illius Superintendentem: & deniq;* Danielem, *J. V. D. & in Academia Gryphiswaldensi Professorem, aulæq; Wolgastanæ Consiliarium. Inter hos, natu maximus Johannes jam aliquantò antè éx hac vita in alteram meliorem commigravit: tertius in ordine Fridericus vix octiduo ante Davidem nostrum, beatè hisce terris valedixit: cùm paucis dieb. antè noster Doctor David domi eum invisisset, & ægrotantem Gryphiswaldæ reliquisset: cæteri, qui adhuc in vivis sunt, ut diu beneq; sint, precamur, quò Vidua Rungiana honestissima, quæ nunc abitum meditatur ad suos, plus solatij & opis in statu suo mœstissimo, cum filiola misella percipere queat.*

Horum

Digitized by Google

Horum fratrum ſuorum, non minùs, quàm Parentis exemplo luculentiſſimo, noſter ille Beatus, ad omnẽ virtutem & pietatem excitatus, omnes nervos in id intendit, ut Parentibus & fratribus gaudio atq; honori eſſe poſſet: nefasq; duxiſſet, aliquid, quod vel Parentibus ingratum, vel fratribus opprobrium eſſet, vel ſe degenerem oſtenderet, perpetrare, atq; ita familiæ laudatiſſimæ honorem contaminare. Hæc omnia ſive ſingilatim, ſive conjunctim conſiderata, etſi ejusmodi ſunt, ut laudem & admirationem mereantur: tamen cùm & genus & pro avos, & quæ non fecimus ipſi, vix ea noſtra putet Vlyſſes Ovidianus: plura de his huc afferre ſuperſedeo, & ad ea potiſſimùm tranſeundum cenſeo, quæ Rungij *noſtri ſunt propria.*

Ea etſi quàm plurima ſunt: ex illorum tamen numero, tantùm de ipſius indole, ſtudiorum curſu, officio, & morte deniq; dicam: ſecutus præceptum Platonis in Menexeno, qui viros illuſtres defunctos inde laudandos cenſet, unde boni fuerunt exiſtimati: & ubi generoſam ipſorum originem primùm commendaverimus, poſteà educationem & inſtitutionem, & poſthac, quàm præclara & ſe maximè digna facinora ediderint, percenſere jubet.

Mirà ſtatim eluxit ex Rungio *noſtro ingenij naturæq; indoles, quam cùm Parens optimus animadverteret, mox eum, uti reliquos ſuos filios, ad omnem pietatem virtutemq; aſſuefacere ſedulò allaboravit. Cumq; ætas adhuc tenera eſſet, domeſtico ſuoq; ipſius exemplo, illum excitare ſtuduit: ratus nimirùm vir optimus, non facilè ad pietatem & virtutem reduci poſſe eos, qui pueri pravis exemplis domeſticis, quorum vis maxima eſt, ſeducti, à verò tramite aberrârunt: nec facilè ſanari poſſe animos eorum, quorum pueritia malâ educatione corrupta, callum nequitiæ obduxit: non minus, quàm in corporibus noſtris, primæ coctionis vitia, neq; in ſecunda, neq; in tertia corrigi poſſunt. Quod utinam omnes parentes apud animum ſuum, uti debebant, reponerent: non haberemus, cur toties & tantoperè corruptionem noſtri ſeculi deploraremus. Sed tanta eſt hodiè parentum non paucorum ſtoliditas, & ferè inſanus in liberos affe-*

Digitized by Google

ctus, ut existiment, se eos amare non posse, nisi ad omnem improbitatem illis conniveant, & cuivis contumaciæ pueriles annos prætendant.

Quin & eò nonnulli impietatis processêre, ut de improbitate filorum gaudeant, eamq; laudent. Quòd si exsecrationibus & blasphemijs valeant, cum approbatione & applausu egregios illos aliquando heroas futuros, ridendo vaticinantur, & ut Germanicum verbum sonat, Animosos Gallos: de patibulo nimirum, vel rota aliquando cantaturos, & ad carbones tartareos, ni resipiscant, assandos.

Longè alia mens fuit pio patri Jacobo Rungio, qui Spiritus Sancti Ethicâ edoctus, quò ardentiùs filios suos amavit, eò accuratiore studio eos educavit.

Postquam Rungius noster, pietatis, artium dicendi fundamenta, partim in ædibus paternis, partim in schola patria laudabiliter jecit: uberioris ingenij cultus causâ, Stetinum fuit missus, ubi in illustri Pædagogio per triennium integrum ita in curriculo studiorum perrexit, ut inde ad Academiam patriam revocandus à parente judicaretur. In qua cùm itidem triennium studijs impendisset, Rostochium missus, annum unum ibi est commemoratus. Hinc Tubingam ablegatus, virtute & industria sua meruit, ut ab Illustrissimo Principe ac Domino, Dn. Ludovico, Duce Wirtenbergico laudatissimæ memoriæ, stipendio munifico donaretur, quo biennium cum semestri ita fuit usus, ut nec Principem Optimum beneficij, nec Rungium officij pæniteret unquam. Hujus munificentiæ Illustris, Rungius noster, uti erat beneficiorum quorum vis tenacissimè memor, perpetuam memoriam retinuit, eamquè sæpius grato animo deprædicavit.

Non Tubingæ autem tantummodò, sed in reliquis modò dictis Academiis ita vixit, ut singularis pietatis, virtutis, diligentiæ, modestiæq; exemplum esset, suorumq; Præceptorum favorem sibi abundè conciliaret. Ex studijs, cui potissimùm se dicarat, non tantùm patris & unius fratris exemplo ductus, sed etiam occulta ὁρμὴ à Spiritu Sancto,

Digitized by Google

Sancto, qui organo hoc in Ecclesia uti volebat, impulsus, elegit Theologicum: idq; non tractavit segniter, aut negligenter, non etiam ἀμεθόδως, aut perversè. Sed cum hoc studium sublime planeq; divinum esse intelligeret: ea prius adminicula sibi comparanda ratus est, quibus ad sublimitatem illam, Deo juvante, feliciter tendere posset.

Itaq; ante omnia Linguas eruditas studiosè didicit, Latinam, Græcam, & Hebræam, in quibus tantùm profecit, ut absq; interprete, harum Linguarum libros, præcipuè V. & N. Testamenti Codices, legere & intelligere; & si qua ἐμφαλιωτέρως dicta ex proprietate Linguæ erant petenda, solertissimè eruere & enucleare potuerit.

Præter linguarum studium, non pœnitendam etiam operam impendit Artibus liberali ingenio dignis. Vidit enim homo sagacissimus, Dominam hanc generosissimam & divinissimam famulâ fideli & industriâ opus habere. Vidit, quantum adminiculi adferret sobrius sobriæ Philosophiæ usus, ad multorum locorum Sacræ Scripturæ genuinam interpretationem. Vidit, periculosum esse, cum hostibus hac armatura indutis, nudum congredi & inermem. Itaq; in hac etiam Artium ingenuarum palæstra, strenuè sibi decertandum & desudandum existimavit. Neq; verò vulgares in ijs fecit progressus, sed ejusmodi, qui Artificem peritissimum arguere possent. Fecisses periculum in Logicis, fecisses in Metaphysicis, fecisses in Mathematicis, in Physicis, in Ethicis, in Poëti, in Historiis, in Musicis, & quibus non alijs? Solertem invenisses. Fidem meis verbis si derogari, intelligerem, Auditores, partim ad amicas collationes & συζητήσεις, quæ non paucis optimè sunt notæ: partim ad scripta ejus, quarum pars aliqua prodijt, aliqua & ea quidem non exigua, adhuc expectatur: partim ad pulpita hac, quæ vel maximè multiplici eruditioni Rungij nostri fidem facere possunt, vos remitterem. Nec leve argumentum præbet summus in Philosophia gradus, Tubingæ ipsi dignissimè collatus: Sicut & Poëseos utq; Hebrææ linguæ Professio, Gryphiswaldiæ cum summa laude & juventutis utilitate, antequam Vitebergam vocaretur, administrata.

Non

Digitized by Google

Non satis autem esse, Linguarum tantùm, & Artium suppellectile instructum, ad sublime Theologiæ studium accedere, piè ipse secum reputavit, cùm quàm plurimos hæreticorum nullâ, hac in parte penuriâ laborasse sciret: & fieri posse, ut aliquis veram salutis viam alijs monstraret, at ipse tamen reprobus fieret, ex verbo Dei edoctus esset. Itaq; præterquam quòd linguarum eruditarum & artium liberalium laudabilem cognitionem sibi comparavit, simul etiam animum suum rectè ad Theologicum studium præparandum putavit.

Non ergò ingenij donis, quæ gratâ mente agnoscebat: non propriis viribus, quarum fragilitatem sentiebat: non propriæ industriæ, quam Carni in divinis socordissimæ maximè adversam sciebat, confidendum arbitratus est: sed Spiritus Sancti gratiam & auxilium sedulò & ardenter imploravit, fretus dulcissimâ illa Salvatoris promissione: Si vos, qui naturâ mali estis, dona tamen utilia datis filijs vestris: quantò magis cœlestis Pater, qui unus & totus bonus est, dabit Spiritum S. petentibus. Hunc igitur studiorum Ducem, hunc ingenij expolitorem, hunc virium suggestorem, hunc industriæ excitatorem, fidis & assiduis precibus sibi exoravit.

Ne autem hunc nobilissimum hospitem contristaret, aut excuteret; vitâ pia, casta, modesta & tranquillâ sedulò cavit: & sicubi fortè, uti homines sumus, ex imbecillitate hallucinatus esset, seriò apud Deum fiducia Mediatoris unici deprecatus omnibusq; modis evitare studuit, ne si aliquando alios ad salutem doceret, ipse reprobus evaderet; neve sicut artifices illi, qui Arcam Noha tempore Diluvij impendentis condiderant, nec tamen ingressi servabantur, ita & ipse alios ad arcam Ecclesiæ, in qua sola est salus, adducens, ab ea excluderetur.

In primis verò scopum certum & verum, ad quem omne studium cœlestis doctrinæ dirigeret, animo suo præfixit, ne si ab hoc aberraret, reliqua omnia non tantùm inania essent, sed etiam sibi ipsi & Ecclesiæ Dei perniciosa. Videbat enim, & parente monitore perspiciebat, quam

Digitized by Google

quàm plurimos ad ſcopum verum non attendentes, turpiter aberrare. Quot enim, quæſo, inveniuntur? qui ſibi ſcopum præfigunt ignaviam; tantumq; cuticulam curant; potu ciboq; lautiſſimo ventres diſtendunt; luſibus, ſomnoq;, licet per horas Canonicas interrupto, & ubi occaſio præſtò eſt Veneri indulgent: parùm intereà ſolliciti, quomodo verbum Dei propagetur, ejusquè gloria inter homines amplificetur. Exempla ſuppeditant tot millia Monaſteriorũ in Papatu, in quæ tot juvenes intruſi, ſub cœleſtis doctrinæ ſtudij prætextu eo, quo dixi, modo vivunt; ut rarum ſit exemplum Monachus pius, ad infinitum penè reliquorum numerum collatus.

Quot inveniuntur? quos Avaritia, omnium malorũ radix & mater ſtudio huic Sacroſancto mancipat: qui ideò tantùm in cœleſti doctrina verſantur, ut inde divitias corradant, & φαντασίαν hujus mundi ſibi acquirant. Hinc tot Papatus, qui ad quæſtum faciendũ comparatus eſt totus, defenſores: hinc tot noſtræ veræ Religionis, quæ cum quæſtu non eſt conjuncta, deſertores: hinc tot ad Papatum defectores. Quid cauſæ putas, quòd Jeſuitæ, ſellæ Romanæ, à magno illo Luthero, divinâ virtute labefactatæ, nova fulcra ſuffigere tanto conamine annituntur? Pecunia cauſa eſt. Cur pro Igne Purgatorio, qui (Deo ſit laus) in noſtris Eccleſiis & conſcientijs planè eſt exſtinctus, tantoperè depugnat? Pecunia cauſa eſt. Cur tot à noſtris Eccleſiis ad Antichriſtianam deficiunt ἀποστάται? Pecunia cauſa eſt, pecunia, inquã, quæ unicus eſt Papiſticæ Religionis ſcopus, ad quem omiſſo vero omnes collimant.

Quot rurſus inveniuntur? qui ſub velo ſtudij ſacri; propriam gloriam & applauſum vulgi quærunt: quot faſtus & ſuperbia eò adigit, ut nova & à verbo Dei aliena dogmata producere non vereantur, dum modò ipſi hac ratione emergant, aſſeclas ſibi pariant, & mũdo innoteſcant: non interea curantes, quàm graviter Eccleſiam ſaucient, quam ve crudeliter lacerent. Hinc tot errores, & hæreſes, tot ſchiſmata, & ſectæ: quibus plerisq; omnibus, Auditoribus, in hoc vel illud opinionum abſurdarum pelagus ex factus faſtigio præcipi-

tatis, nomina sunt indita: non minùs quàm Icarus Icariis nomina fecit aquis.

Quot deniq; sunt alij, qui vel ad hunc, vel ad illum scopum, neglecto vero, perperam collineant? de quibus omnibus dicere, præsens institutum non fert.

Quò evidentiùs a. multiplicem hanc à vero scopo aberrationem perspexit noster Rungius: *eò diligentiùs verum illum dispiciendum, & intentiùs adeum respiciendum, omneq; studium illùc dirigendum putavit. Illum cùm ex Spiritus Sancti oraculis,* gloriam Dei *esse percepisset; non Ignaviam Monasticam, non divitias Jesuiticas: non φαντασίαν mundi, non nominis alicujus præ cæteris singularis acquisitionem, sibi in curriculo studij sacri proposuit, sed gloriam Dei unicè unicam. Huius causa suscepit, quæ suscepit, omnia: ad hanc contendit solam: hanc voluit defensam: hanc in orbe Christiano amplificatam omnibus votis exoptavit.*

Sic ergò cùm adminiculis artium & linguarum necessarijs sese instruxisset, Spiritus sancti auxiliũ exorasset, vitæ piæ se dedisset, & verum unicumq; illum scopum sibi præfixisset, Rungius *noster studium Theologicum in nomine Sanctæ Trinitatis est aggressus.*

En exemplum habes, studiosa juventus, quæ & ipsa nunc divinum & Sacrosanctum hoc studium tractas, vel suo tempore tractatura es.

Hoc tibi propone, hoc intuere, hoc imitare, hoc æmulare. Noli committere, quod ij solent, qui perversè studia tractant, & neglectis linguis artibusq;, malè viventes, nec opẽ divinã implorant, nec gloriam Dei curant, atq; ita illotis manibus pedibusq; in sacra mysteria irruunt. Disce potiùs cum linguis eruditis, artes quàm potes accuratissimè: implora auxilium & gratiam Spiritus sancti: vive piè, castè, & honestè: omnia ad gloriam Dei unicè dirige & ita te ad studium hoc tremendum accinge. Tu cœtus ille es, ex quo Deus sibi electa vasa segregat: Tu officina es, in qua, imò & materies ex qua, columnæ Ecclesiæ Dei præparantur, Tu fac, quod speramus, ut ex te Rungios

videamus

Digitized by Google

videamus multos: Tu fac, ut filij & nepotes nostri, tuâ secundum Deum operâ, veræ Religionis usu gaudeant: Tu fac, ut Ecclesia de θεσπεσίοις pro nutricatione spirituali redditis, sibi aliquando gratuletur.

Hæc cùm ad universos, tùm præcipuè eos, quos Illustriss. Saxoniæ Elector, liberalissimis stipendijs hic alit, & in Deum pietas, & in Religionem Zelus & in posteros amor, quin & officij mei ratio, dicere me jusserunt. Sed ad Rungium nostrum revertor.

Quomodo ille in studio cœlestis doctrinæ sese gesserit, paucis etiam est ostendendum. Non erat Rungius noster αὐτοδίδακτος, aut domi latitans, opinionibus suis, quas aliquando ad officium adhibitus propinare alijs posset, sese pascebat, ut quosdam ἀνθρώπους φαντασιας facitare experimur. Sed diligenter auscultabat publicè docentes, quorum etiam familiaritati industria & modestia facilè eum insinuabant: audita publicè, domi repetebat: repetita, memoriæ mandata, suo loco & tempore ad usum transferebat. Codicem præterea sacrum legendo & relegendo faciebat sibi familiarissimum: ut jam de utilibus scriptis antiquioribus & recentioribus nihil dicam. Utq; eò magis sese ad certamen cum apertis hostibus veritatis ineundum præpararet; sæpissimè in disputationũ publicarum & privatarũ velitatione sese exercuit. Testes horum omniũ esse possunt, partim præceptores ejus, quorum adhuc aliqui sunt superstites: partim æquales, quibus cum vixit: partim deniq; ipsa, quarũ civis fuit, Academia.

Quæ omnia miram & indefessam, meritoq; omnib, imitandam Rungij nostri industriam arguunt. Quâ etiam per Dei gratiam & benedictionem id est consecutus, ut non tantum eruditionis Theologicæ præclaræ opinionem in animis multorũ excitârit: sed etiam præeuntib. Examinis, Lectionis, Disputationis, alijsq; solitis, quæ egregiè sustinuit omnia, tentaminibus, SS. Theol. Doctor (quæ Dignitas ab Apostolica proxima est) in hac ipsa Academia, cum laude sui ipsius, & Academiæ nostræ honore, publicè crearetur & renũciaretur, quod Anno 1594. factum esse, plures adhuc, opinor, meministis.

Digitized by Google

Non longè pòst, Anno nimirum sequente 1595, hûc ad Professionem Theologicam vocatus, eandẽ Deo triuno auspice acceptavit: atq; ita Deo & Ecclesiæ in officio vocationis legitimæ, pro viribus inservire est annixus. Hancq; vocationem tanti fecit, ut sicut eam Deo trahente fuerat secutus; ita quoq; in eadẽ perstiere voluerit semper. Ac licet sæpiùs vocaretur aliò, nunc Wolgastum ad munus Præposituræ: nunc Rostochium in excellentissimi Theologi Davidis Chytræi *locum: nunc ut ad officium, quòd Parens olim administrârat, Gryphiswaldiam se conferret, solicitaretur: quia tamèn, Electore Saxoniæ manere jubente, à vocatione, quam olim hûc secutus fuerat, discedere, nefas sibi duxit: maluit in legitimæ vocationis officio perdurare, quàm aliò, tametsi haud dubiè splendidiore sorte frui potuisset, se conferre. Quâ fide, quaq; diligentiâ, Officij sui partibus omnibus præfuerit, testis es, ô alma Mater Academia: quin & tu testis es, hujus loci Ecclesia.*

Lectiones eâ diligentiâ, fide, & accurato judicio componebat, ut maximum inde fructum ad se redundâsse, Auditores diligentes prædicarint, & adhuc prædicent, & prædicaturi sint, quàm diu vivent.

Non aliena immiscebat, sed propria tractabat, non obscuris ænigmatibus res involvebat, sed perspicuè omnia proponebat: non ociosè ad ostentationem verborum molem cumulabat, sed necessaria breviter & nervosè concinnabat: Non auditorem dubium relinquebat, sed controversiam propositam eruditè & solidè decidebat. Testes præter alios plures sunt, Genesis, Exodus, & aliquousq; perductus Leviticus: utinam totus Pentateuchus.

In disputando, quantum ejus fuerit acumen, quanta dexteritas, quanta perspicuitas, præter privatos parietes, hæc pulpita testari, & vos, Auditores, vobis ipsis testes esse potestis αὐτοψίᾳ.

Conciones (nam & harum cura pars non minima ad ipsum quoquè pertinebat) quanta δεινότητι & gravitate, cum facilitate atquè jucunditate conjuncta, habuerit, ad utriusq; Templi partetes & scamna

Digitized by Google

& scamna provocarem, nisi Auditorum animos præferendos duxerem, in quibus semper semina pietatis, doctrinæ, agnitionis peccatorum, fidei & charitatis Christianæ reliquit, ut efficacia Spiritus S. ἀναίδητος domum se ex Templo redijsse dicere possit nemo, nisi qui segniùs auscultârit.

Ad deliberationes Academicas adhibiti, quoties singularem εὐτοχίαν admirati sumus? quoties pro prudente consilio ipsi vel tacitè vel palàm gratias egimus?

Caterùm cùm ad hoc officium se divinitùs vocatum intelligeret, & eodem fidelissimè fungi sibi proposuisset: statuit quoq; secum in hoc officio castè & cum bona conscientia Deo inservire, ltaq; juxta præscriptum Paulinum, Conjugium meditatus est, & uxoris unius maritus esse voluit, quam etiam, divinâ gratia imploratâ, & reprius benè deliberatâ, legitimè duxit, eamq; virginem, honestissimam nimirum ac pudicissimam Elisabetham, viri Reverendi, Domini Balthasaris Ravvi, piæ memoriæ, Sacræ Theologiæ Doctoris, & in Academia Gryphisvvaldensi Professoris filiam: nunc viduam mœstissimam: ex qua duos, Deo benedicente suscepit filiolos, & præter hos filiolam Annam, solam adhuc superstitem, quam cum tristissima matre vidua, ut DEUS pater pupillorum, & judex viduarum consoletur, meritò preces fundimus.

Vt autem in alijs Rungius meminerat se esse Rungium: ita etiam hac in parte officij sui non fuit immemor. Vixit enim cum uxore exoptatissima castè & εὐσόργως, cohabitans illi cum omni ἐπιεικεία & mansuetudine: utq; filiola piè & honestè educaretur, quam diu vixit, annixus est semper.

Vt paucis multa dicam: erat Rungius noster, vir pius, vir doctus, vir prudens, & τετράγωνος undiquaque.

Quibus omnibus, cùm magnam apud multos admirationem sui concitasset: factum est, ut nec levia, nec exigua ipsi demandarentur. Etenim Illustrissimus Princeps, Dominus Fridericus Wilhelmus, hujus Electoratus Administrator sanctæ recordationis,

Digitized by Google

Anno 1590. thesaurum hujus Electoratus non postremum curæ ipsius tradidit: cœtum, inquam, illum selectorum juvenum, qui Illustrissimi Saxon. Electoris munificâ liberalitate hic aluntur, & in pietate, artibus liberalibus accuratè informantur: quam curam hujus κειμηλίου sui Serenissimus Princeps ac Dominus, Dominus Christianus *Secundus, Saxoniæ Elector &c. ratam deinceps fecit. Hanc quantâ fide integrum octennium gesserit, cùm aliàs satis constet: ego nunc meum testimonium prolixè non addam. Hoc verò quin dicam, omittere non possum, me Curæ hujus Collegam exoptatissimum, proh dolor, amisisse, quem non tàm ut Collegam dilexi, quàm ut fratrem, imò ut patrem reverenter amavi: quo cum omnes labores, quos cœpi, mihi fuêre leves & jucundi: quem nullius prærogativæ affectatorem, nulli πλεονεξίᾳ obnoxium fui expertus: quem paterno affectu commissum Alumnorum cœtum prosequi, ex indicijs neq; paucis neq; obscuris perspexi. Quo magis etiam, vix animo meo obducta cicatrix nunc refricatur: non dubito, quin & vobis, qui ex cœtu illo estis, meliores & gratiores, uti plerosq; esse confido.*

Rursus cùm Anno 1601. Colloquium cum Pontificijs, ab Illustrissimis Principibus ac Dominis, Dn. Philippo Ludovico, *Palatino Rheni & Bavariæ Duce &c. & Domino* Maximiliano *Palatino Rheni, utriusq; Bavariæ Duce &c. Ratisbonæ esset institutum: etiam hac provincia ab Illustrissimo Saxoniæ Electore* Rungio *nostro, uti & magno illi quondam* Ægydio Hunnio τῷ ἐν ἁγίοις, *fuit delata. Quantum autem in hoc Colloquio uterq; horum incomparabilium Theologorum præstiterit, & Acta illius, & alia scripta de eo edita loquuntur.*

Rursus cùm superiore anno proximo 1603. insignis ille Theologus, quem nunc nominavi, Ægydius Hunnius, *Ecclesiæ hujus Antistes venerandus, & Academiæ nostræ decus singulare, morte, sibi quidem beatâ, bonis autem omnibus intempestivâ, luctuosâ, & peracerbâ, ex hac vita emigrasset: Illustrissimus Saxoniæ Elector,* Christianus *Secundus, Te, Illustrissime Princeps ac Domine, Domine* Auguste,

Digitized by Google

Auguſte, *Dux Saxoniæ &c. Domine Clementiſſime, Rector hujus Academiæ noſtræ Magnificentiſſime, curæ, inſpectioni, & quoad pietatẽ, informationi* Rungij, *accuratè commendavit. Quæ omnia quantâ fide adminiſtrârit, tu Auguſtiſſime Auguſte Princeps, teſtis unus ſufficis pro multis. Hoc tantùm ego nunc addo,* Rungium *noſtrum, etiam in morbi ſui graviſſimis inſultibus, tamẽ curam tui ſolicitam nunquam depoſuiſſe ſed ſapiſſimè Te Tuamq́ totam familiam Illuſtriſſimam Deo Opt. Max. precibus ardentiſſimis commendâſſe, ac pro Tua Tuorumq́ omnium ſalute & incolumitate orâſſe.*

Taceo nunc, ſemel Rectoratum, alterâ vice ProRectoratum dexterrimè adminiſtratum: ubi utrobiq́ & gravia & intricata negocia ita expedijt, ut vel hinc prudentia Rungiana *ſat teſtimoniorum habeat.*

Taceo etiam exteros juvenes, peculiari inſpectioni, ab Illuſtribus quoque perſonis commendatos: quibus omnibus quomodo præfuerit, ipſi grato ore loquentur.

Taceo & ea, quæ, antequam ad noſtram Academiam accerſeretur, Anno 1593. in Synodo Stetinenſi, & alibi, præclarè egit.

Taceo reliqua, quæ omnia ſi proferre vellem, vel veſtrâ audiendi patientiâ abuti, vel Rungij *virtutes in dubium vocare videri poſſem, cùm vel me tacente,* Rungius *vobis ſatis fuerit notus,* Rungius *inquam, cujus ſimilem non tàm ſperare, quàm optare nobis licet. Optat Agamemnon apud Homerum decem Neſtores, quorum prudenti conſilio & impigrâ operâ uti poſſet. Nos ſi decem* Rungios *haberemus, non eſſet nunc, quod vel Lipſia vel Roſtochium, vel Jena, vel noſtra etiam Viteberga, tàm ſolicitè homines quæreret. Talis autem tantusquè cùm fuerit* Rungius: *idem tamen, quod alij omnes homines à condito mundo hucusquè fuerunt experti, ipſum quoque experiri oportuit: & cùm ex mortalibus parentibus, natus eſſet mortalis, mortem quoque evitare non potuit. Cum enim ex itinere Pomeranico, quod & ſectus, & Fratrum, & Sororum, & aliorum amicorum viſendorum, quin-*

Digitized by Google

quin & quæ cum illis sibi intercesserant, gravium negociorum expediendorum causa, Mense Majo proximo, rogatus susceperat, Viteber-gam contenderet: ecce Berlini febris maligne initia vehementiora sensit: indeq; properantiore rhedâ hûc cum febri istâ est advectus: ad quam subinde invalescentem, alia symptomata, ut fieri solet, accessêre, eaquè gravissima, præsertim, fluor alvi, vigiliæ continentes, susurrus capitis, Syncope: quæ corporis vires magis magisq; afflixêre. Quò violentius autem corporis vires prosternebantur, eò fortiùs & fides, & patientia, & Spiritus alacritas invaluêre. Testes esse possumus αὐτόπται, qui decumbenti sapiùs adstitimus, nonnulli & morienti. Testis esse potest Sacrosanctæ cœnæ dignissimæ cum desiderio fruitio. Testes quoque esse possunt duæ illæ ardentissimæ precatiunculæ, quas durante morbo, ipse propriâ manu sibi præscripsit, & præter alias, subindè devotissimè repetijt, quas audire vos ne pigeat, oro. Prioris hæc sunt verba:

Omnipotens, æterne, vive DEUS, Pater Domini & Salvatoris nostri JESU CHRISTI, unà cum Filio & SPIRITU tuo SANCTO: Sapiens, sancte, & potens Deus, gratias ago tibi humillimas, quòd me, infinitis cumulatum donis animæ, corporis, & fortunæ, ad hunc terminum ætatis meæ, clementer perduxisti. Minor sum Domine Deus omnibus miserationibus tuis, & veritate, quam impleviſti. Et quia nunc magnâ corporis ægritudine, te volente, laboro: (quid enim fiat sine voluntate & nutu tuo?) ideò te per viscera misericordiæ tuæ adoro, si adhuc sum utilis Schola & Ecclesiæ Christianæ, restitue mihi amissas vires animi & corporis, qui potes suscitare mortuos. Tu JESU CHRISTE, da, ut sis cor meum unicum, & solatium in hora mortis, vel sana me verbo tuo, sicut dicitur: Non herba, non malagma, sed verbum Domini sanavit eos. Tu SPIRITUS SANCTE Deus, in æstu refrigerium, in fletu solatium, da, ut horam mortis meæ lato exspectem & superem animo. O misericordissime Deus, proijce peccata mea in profundum maris, ne eorum in æternum ulla sit memoria, meq; indutum fide & Christo, consolare, sustenta,

Digitized by Google

ſuſtenta, erige contra infirmitates carnis, & tentationes Diaboli. Hoc, te ſupplex oro, da mihi Deus, fretus verbo tuo, Pſal. 27. Mein Hertz helt dir für dein Wort: Ihr ſolt mein Antlitz ſuchen. *Si debemus hoc facere, tu cura, ne fruſtrà fiat. Pſal. 50. Invoca me in die tribulationis; ecce hac eſt dies tribulationis & anguſtiæ Domini: filij venerunt ad partum, & non vires pariendi. Eripiam te, exſurge Deus, uſquequò? revertere & eripe animam meam. Et glorificabis me; non mortui laudabunt te Domine, neq; qui deſcendunt in foveam: Sed ego vota mea reddam Domino, coram tota Eccleſia & docebo iniquos vias tuas, & impij ad te convertentur. Amen, amen, Jeſu Chriſte, in quo ſant omnia Amen, fac & hoc Amen. Bonus & miſericors eſt Dominus.* Hæc eſt una.

Altera ſic habet: O Domine Jeſu Chriſte, Fili Dei vivi, ego æger & infirmus ad medicam manum tuam confugio. Tu Domine potes me ſanare, tu Domine non abijcies me in ira, ne langueſcat fides mea de divino auxilio, adeſto citò propitius & miſerere. Remitte mihi omnia peccata juvenilis & virilis ætatis, propter quæ ſanguinem tuum effudiſti. Accende mentem meam lumine tui Spiritus, & vivifica conſolatione. Et ſi, Domine, bonum eſt in oculis tuis, conſerva me adhuc aliquandiu inter vivos: Miſerere uxoris & filiolæ.

Hæ precationes Rungianæ, *an non fidem abundè arguunt? an non patientiæ præclara indicia habent? an non alacritatem ſpirant?*

Ne verò in lingua & calamo tantùm nata hæc verba quis profanior putaret: pijſſimus Deus etiam Spiritus Sancti in corde habitantis virtutem & efficaciam, per tentationes haud leves, notam omnibus fecit, ex quibus eodem Spiritu Sancto συμάχῳ & Duce, ita eluctatus eſt, ut & Deum glorificaverit ipſe, & nos meritò laudemus omnes. Solet Deus, Dominus ille Zebaoth, ad exemplum Imperatorum prudentum, qui milites generoſiſſimos & fortiſſimos in ea parte aciei locant, ubi hoſtes impreſſionem maximè minantur, Electorum ſuorum fidem & conſtantiam haud levib. periculis expo-

Digitized by Google

nere: id quod exempla omnium Sanctorum, præcipuè Davidis & aliorum Prophetarum, quin imò & ipsius Filij Dei, abundè comprobant. Neq; tamen in medio tentationum periculo eos deserit, sed pro fidelitate sua, per Spiritum Sanctum vivificam consolationem in corda eorum profatur, & tandem victores coronâ justitiæ & beatitatis æternæ, quæ omnibus sanctis est reposita, propter Filij unigeniti meritum, donat. Quâ spe erectus noster Rungius, *post superatas, Dei gratia, hasce tentationes, uti anteà facilitârat, ita nunc quoquè multis variisq; cùm aliorum piorum, tùm imprimis Divi* Lutheri *cantionibus, utpotè singulari Spiritus divini gratiâ animatis, suam fidem, patientiam, & alacritatem subindè excitavit, adeoq; in cantando fuit deinceps multus, ut voce & Spiritu tandem inter canendum deficeret; & ad Musicam cœlestem, quam hic moriturus inchoaverat, in omnem æternitatem cum beatis Angelis & hominibus continuandam, ex hoc mundo evocatus, placidè exspiraret: quod 7. die Julij sub 11. horam noctis factum esse scitis.*

Atq; ita beatissime Rungi, *cui nunc præter ultimum VALE dicere nihil possumus, tu cœlestem patriam repetisti, nos in hoc orbe tristi & maligno reliquisti. Tu, qui Nestoreos annos vivere eras dignus, heu præproperâ nimis morte es abreptus: quæ si decrepitam sustulisset, fortè non esset, quòd nunc Academici Patres Collegam tantoperè desiderarent? Ecclesia Antistitem amissum ingemisceret? Vidua maritum, orba filiola patrem lugeret. Jam verò cùm adeò præmaturo fato, anno videlicet ætatis quadragesimo currente ablatus sis, etsi tecum quidem præclarè est actum beatequè: nobis tamen inde publicus dolor haud vulgaris est exortus.*

Habet, quod doleat, Academia: habet Ecclesia, habet vidua, filiola, habent boni quiq;. Eoq; magis, quod doleamus, habemus, quò plures Academia nostra, brevi tempore amissos desiderat. Nondum elapsum est biennium, cùm Schola hæc Jubilæum primum solenniter perageret, Deoquè pro conservatis omnium Facultatum

studijs

Digitized by Google

studijs cum Religione intemerata, gratias publicè ageret: & tamen tàm brevi spacio, tres præcipuos Academia nostra viros amisit, & eos quidem ex eorum numero omnes, qui publicè solennitatem illam Jubilæam exornârunt. Anno enim superiore, die 17. Martij, vir præstantissimus, Andreas Schato, *Medicinæ Doctor & Professor, ejusdemq; Facultatis Senior honorandus, & tuus ô Illustrissime* Auguste, *archiater fidelissimus, qui suæ Facultatis nomine, Jubilæam post alias Orationem in Arcis Templo habuit, ex hac vita in cœlestem emigravit. Quem mox, nondum tribus septimanis elapsis, die 14. April. subsecutus est vir ille incomparabilis* Ægydius Hunnius, *SS. Theol. Doctor ac Professor, itemq; suæ Facultatis Senior venerandus, & Ecclesiæ hujus Superintendens vigilantissimus, & tuus, ô Auguste Augustissime, in pietate informator diligentissimus, qui primam à Concione sacra, à Te, Reverende Doctor* Gesnere, *habita, Jubilæam orationem suæ Facultatis nomine, in eodem Arcis Templo recitavit: & nunc proximè* Rungius *ille noster beatissimus, cui in ipsa Jubilæâ solennitate, Te Illustrissime* Auguste, *volente & jubente, Pro Rectoratus in dicto Arcis Templo publicè committebatur. Ut jam non dicam, quot quantosq; viros intra hoc tempus amissos lugeat vicina Lipsia, quærat Rostochium, desideret Jena, & quæ non loca alia?*

Hoc nimirum est Jubilæum celebrare! hoc est μεμάχοις in medio fervore pugnæ amissis, Παιάνιον canere! Nimis verè nunc dicimus cum Jeremia: Senes de porta cessaverunt, & juvenes à cantico suo, cessavit gaudium cordis nostri: versus est in luctum chorus noster: cecidit corona capitis nostri. Væ nunc nobis quia peccavimus: propterea mœstum fuit cor nostrum: propter ista obtenebrati sunt oculi nostri.

Sed utat mœreamus, lugeamus & plangamus: nullâ tamen ratione beatũ nostrum Rungium, *vel quos desideramus reliquos, revocabimus. Neque etiam ipsorum Manes luctum tantum à nobis requirunt, cùm in statu cœlestis beatitatis nunc versentur,*

Digitized by Google

& Sacrosanctam Trinitatem de facie ad faciem contemplentur, imò in ipsa sint fidissimi Dei manu, ubi nullus eos dolor cruciabit: id quod meritò illis gratulamur.

Ethnicis olim persuasum fuit, nisi sufficiente suos defunctos fletu prosequerentur, capilloq; resectos tumulo injicerent, aliaq; id genus δεισιδαιμονία facerent: non esse illorum Manibus quietem. Nec dissimilis est Pontificiorum superstitio, qui sacrificia, missas, vigilias, & id genus alia pro defunctis ex Purgatorio illo commentitio, & Prophetis Apostolisq; omnibus ignoto, liberandis, instituunt. Nos verò ex verbo Dei meliora edocti, luctu mediocri, quem non defunctorum nostrorum causâ, sed affectu humano ita exigente, edimus, contenti simus: & interea τὰ μέσα καὶ τὰ ὅσια, quod prudentum est videamus.

Si enim in vitam nostram hactenus actam intuiti fuerimus: inveniemus & tadium verbi caelestis turpissimum, & ingratitudinem exsecrandam, & vitae pravitatem detestandam. Quae omnia nunc pluribus exponerem, nisi Gretseri Jesuitae mordacitas, quam nuper sensi, denuò mihi esset metuenda, quo, cùm in festo Catharinae anni Jubilei currentis, ex hac Cathedra, jussu legum Facultatis Philosophicae, orationculam Decanus habuissem, & ferente occasione, pravitatem nostri seculi exaggerassem, ubi alia, quae suggillaret, malitia ejus non habuisset, eo tantùm nomine calumniosè mea verba interpretatus est, quasi Lutheranorum, uti Orthodoxos vocat, quatenus Lutherani sunt, vitam descripsissem, uti in Refutatione Orationis Jubilaeae D. Hunnii, sub finem habet: cùm tamen, si candor in eo esset ullus, ex ipso textu orationculae meae videre posset, me non Lutheranorum ut Lutheranorum mores depinxisse, sed improborum, quorum inter nos esse plures, quàm sat est, velut inter segetes Zizania, diffiteri nec possumus, nec volumus: & in Antichristiana Ecclesia, quae malignantium est, longè plures & deteriores esse, nullâ fronte Jesuita ullus negabit. Ideoq; ut candidiorem deinceps Censorem agat, & Μαλολίας omittat, Gretserum, si vult, rogo.

Ex his

Digitized by Google

Ex his autem nunc breviter de vita nostra dictis, unumquenq; vestrum, Auditores, secum in animos suos expendere velim, qualis justissimi Dei affectus erga nos sit æstimandus, an non satis ad tadiũ, & ingratitudinem puniendam hactenus sit à nobis ipsis lacessitus? an non satis ad improbitatis nostræ ultionem sit provocatus & irritatus?

Sed ut in futura quoq; paulisper prospiciamus: quid deinceps nobis eventurum putamus? Usitatum est Deo, si quam πανολεθρίαν inducturus est, pios & fideles ministros, & in politica, & multò magis in Ecclesiastica gubernatione, ante ingruentem pœnarum calamitatem præripere. Quod & Esaias Vates non dissimulat: Ecce, inquit, quomodo moritur justus, & nemo considerat: Viri justi tolluntur, & nemo attendit: à facie iniquitatis sublatus est justus. Sic ante Diluvium Noham Deus in Arcam immittebat: ante incendium Sodomorum Lothum educebat: ante excidiũ Hierosolymorum, Discipulos Christi in oppidum Pellam transferebat. Quid ergò nobis animi habendum censes? postquã tot pios & fideles viros, non de Ecclesiastica tantùm, sed & de scholastica & civili gubernatione optimè meritos, è medio sustulit. Quid aliud nobis restat, quàm ut ab Ortu Turcicam rabiem: ab Occasu & Meridie, Jesuiticam crudelitatem & sævitiam: ab Aquilone, calamitatem nescio quam aliam: inter nos ipsos, domesticas & intestinas mala omnis generis exspectemus? Quæ omnia ut Clementissimus Deus, in media ira misericordiæ suæ recordatus, per Jesum Christum Mediatorem nostrum, benignè à nobis & posteris nostris, si qui futuri sunt, avertat, vulneraq; Ecclesiæ, quæ, proh dolor, nimis altè adacta sunt, sanet, & Hunnios, Rungios, Scatones, aliosq; viros bonos in Ecclesiis & Rep. excitet: ijs verò, quorum operâ in Ecclesia & Rep. & in omnibus Facultatibus Scholastici status commodè nunc utimur, diu frui nos sinat: In primis Magistratum nostrum Illustrissimum in vera Religione cum pace, sanitate, & omni Εὐαγγελία in solatium Ecclesiæ suæ diutissimè conservet: precibus ardentissimis ex pœnitente corde profectis, quotidiè & obnixè singuli & universi, contendamus & flagitemus. DIXI.

Digitized by Google

ORATIO PARENTALIS

DE VITA ET OBITV SALOMONIS GESNERI, SCRIPTA, ET RECITATA à R. ET CLAR. VIRO, LEONHARTO HUTTERO SS. Th. D. & Prof. in Academia Vitebergensi ordinario Anno Christi MDCV. die 7 post I. Trinit.

Τὸ τῦ λόγυ βέλημὰ, ζῶν ἐμῶν κακῶν
Ἐξισορῆσαι τὴν ὁδὸν, εἴτ' ἔν δεξιῶν.
Οἱ μὲν γὰρ ἔτως, οἱ δ' ἐκεῖνως φαῖεν ἄν.
Ὅτως ἄν οἵμαι τῆς ῥοπῆς ὦσιν ἴνες.
Οὐ γὰρ τὸ βέλεσθ' ἀσφαλὲς κεκτήμεθον.

Seriem meæ miseriarum vitæ lubet,
Felicitatis & vices pertexere.
Nam fortè de me varia dixerint,
Prout animus cujusque sese inclinaverit.
Nec enim voluntas hominum sat benè judicat.

His nimirum Jambis, sed Græcis, vitæ suæ historiam ordiri voluit Gregorius Nazianzenus: & profectò, si modò judicando quid assequi valeo, rectè prudenterq; voluit. Vidit enim verè Magnus ille Theologus, ea esse sui etiam seculi tempora, eos hominum mores, ut nullius quantumvis boni ac prudentis viri, vel vita adeò sancta, vel merita in Remp. tàm præclara, vel vitæ denique exitus ita felix beatusq; esse queat, quin Sycophantarum morsus experiri necesse habeat. Certè vix satis concesserat Gregorius iste, cùm Nestoriani hæretici, ad suas ipsum partes pertrahere, suaq; teterrimæ hæreseos quasi ὑπεξαπίσην, plenis, quod ajunt, buccis proclamare haud dubitarent: neque deessent, qui δύσφημα alia satis atrocia, de ipso spargerent;

Digitized by Google

rent. Etsi verò vir Bonus, cum Seneca facilè respondere potest: Malis displicere, laudari est: Malè de me loquuntur homines, quia benè loqui nesciunt: faciunt, non quod mereor, sed quod solent: Vix tamen vel unus mihi dabitur generosus animus, qui Contumeliam æquo animo ferre queat: ut idem statuit Seneca: Nihil enim sævius, nihil violentius est convitijs, quorum vulnera tantò difficiliùs curantur: quantò faciliùs proferuntur: Levis quidem Sermo, quia leviter volat, sed graviter vulnerat: leviter transit, sed graviter urit: leviter animum penetrat, sed non leviter exit: leviter profertur, sed non leviter revocatur: facilè volat: ideò facilè charitatem violat; uti Bernhardus alicubi scitè dixerit. Quis proinde vel Gregorium vel alium quemq; veniam mereri negaverit, qui vitæ suæ historiam vel ipse describendam suscipiat, dum lucis adhuc hujus usurâ frui, ipsi conceditur, vel alij cuidam laborem hunc demandet: factiq; cum Gregorio rationem hanc reddat:

Μικρὸν δὲ ἄνωθεν τὰς ἐμὰς ἀφιξόμεθ'
Εἰπεῖν ἀνάγκη, κἂν δέῃ μακρηγορεῖν,
Τῶ μὴ καθ' ἡμῶν ἰσχύσαι ψευδεῖς λόγους.
Altiùs repetendi casus hi mei
Veniunt: tametsi erit prolixa oratio:
Nos immerentes ne opprimant mendacia.

Idem mentis præsagium, eademq; cura exercuit Beatam etiam illam Animam, cui Parentationis justa hodiè solvimus, Reverendam dico & clarissimum virum, Doctorem Salamonem Gesnerum, Theologum insignem, Collegam semper optatissimum, nunc autem longè omnium desideratissimum. Is enim hostium suorum animum ac studia probè habens cognita, partim ipse vitæ rerumq; à se gestarum historiam conscribere aggressus est: partim verò hanc mihi provinciam, morti jam vicinus, delegavit: vel hoc pacto nominis famam existimationemque asserturus, imò obviam iturus calumnijs

calumnijs & obtrectationibus, quas plenis quasi catarrhactis, à quibusdam malevolis, in se effusum iri, sagaci animo præviderat: Secutus hac in parte consilium illud Sapientis: Si prudens est animus tuus, vitæ actiones tribus temporibus dispensa: præsentia ordina: futura provide: præterita recordare: nam qui nihil de præteritis cogitat, vitam perdit: qui nihil de futuro præmeditatur, in omnia incautus incidit. Et profectò minimè vanum erat in Gesnero nostro, hoc mentis præsagium. Nam vix, ac ne vix quidem extremum vale Mundo huic dixerat: ecce (malùm) ex antro quodam Calvinistico prorupit vespertilio, avis inauspicata, Scholæ cujusdam in vicina Lusatia Magistellus, homo quidem obscurus, sed gnaviter impudens: pijs piè defuncti manibus, fœtidissimam hanc urinæ Sycophanticæ luem aspergere haud erubuit:

Conditus in tumulo jacet hoc Herostratus alter,
Gesnerus patriæ perditio una suæ.
Qui cùm non posset justis claréscere factis:
Ad patriæ interitum contulit omne nefas.
Hanc falsæ incendens doctrinæ crimine, versam
Ex imo penitùs perdere sensus erat.
Sed Phaëton magnis jam turpiter excidit ausis;
Et caput autoris vis truculenta ferit.
Qui sitijt Patriæ, proprium vomit ore cruorem.
Gesnerus patriæ perditio una suæ.

Refert Diogenes Laërtius, Chrysippum Philosophum Asianum, Stoicorum cum Zenone principem, ab improbo quodam multis aliquando convitijs affectum respondisse: Optimè feci sti, mi homo, quòd nihil eorum, quæ in te sunt, præterieris: Ego sic vivo, ut nemo tibi sit crediturus. Idem ego vespertilioni isti responsum volo: Optimè feci sti, mi Magistelle, quòd nihil eorum, quæ in te sunt, præterieris: Nam uno hoc tuo Epigrammate φιλοσυκῶ, *Sycophantam, & ut Plutarchus ejusmodi hominem definit, omnium scelerum & injuriarum Autorem te esse, satis apertè prodidisti: Gesnerus contrà sic piè*

Digitized by Google

sic piè vixit, sic orthodoxè docuit, sic beatè mortuus est, ut nemo tibi, diversum affirmanti, sit creditarus: præsertim cùm non, cui maledicitur, sed qui convincitur, reus esse censeatur: uti verè pronunciavit Isidorus.

Et quia secundum Græcum illum Comicum, ψευδόμενος ἐδεὶς λανθάνει πολὺν χρόνον, *Diu latere non queunt mendacia: certè vel indè ultrò Sycophantæ hujus patescet stupenda levitas, si quæ de vita ac obitu beati* Gesneri *nostri habeo dicere, fide non Sacramentariâ, sed Germanâ proposuero.*

Quod dum strictim breviterq; facio, Illustrissime generosissimeq; Princeps, Rector Magnificentissime, Dn. Clementissime: Prorector item Magnifice: Viri Nobilissimi, Strenui, Reverendi, Consultissimi, Clarissimi: tuq; Nobilissima, Ornatissimaq; Concio, clementer ac benevolè audire me dignemini: quâ par est animi submissione, reverentiaq; rogo.

Placet autem Naturæ insistere vestigijs, quæ à primo cujusque hanc in lucem ortu sumit initium. Natus est igitur Gesnerus *noster, Boleslaviæ, haud ignobili Silesiæ oppido, Anno 1559. 8 die Novembris: patre* Paulo, *verbi divini in finibus Bohemiæ & Moraviæ Ministro: Matre verò* Anna, *è præcipua & honorata ibidem* Cunradorum *familia, quippè insignibus equestribus, à* Ferdinando *Imp. ob virtutes bellicas, & res in Vngaria fortiter gestas, decorata.* Sed

Stemata quid faciunt, quid prodest, Pontice, claro
Sanguine censeri: pictosq; ostendere vultus
Majorum, & stantes in curribus Æmilianos?
Nam, Qui genus jactat suum,
Aliena laudat.
Doctrina sed vim promovet insitam.
Rectiq; cultus pectora roborant.

Patrem amisit sexennis, Anno nimirum LXV. matre superstite: relictus in re inopi ac paupere, cùm non modò ad capessenda

Digitized by Google

studia; Quod pater unicè & in votis habuerat, & in mandatis uxori dederat: Sed vix ad victum cultumq; necessaria supperterent. Nec Deus tamen, nec boni viri, honestis ejus conatibus defuerunt. Itaquè Troppaviæ prima pietatis & literarum fundamenta jecit, Loci illius Commendatore & Diacono necessaria liberaliter subministrantibus.

Nec ita multò pòst in patriam reversus, Præceptorem nactus est, virum eruditum & industrium, Matthiam Hilvuigium, *cujus non solùm informatione institueretur, sed & liberalitate juvaretur.*

Accidit tùm fato quodam, ut horrenda planè annonæ caritas, non Silesiam modò, sed universam penè Germaniam affligeret: tùm multis alijs onerosa, tùm Gesnero *potissimùm nostro malè ominosa: ita quidem, ut jam de studijs ipsius planè actum videretur. Nam mater, quod filio suppeditaret, habebat nihil: ipsâ fame partim, partim mœrore contabescens. Sed ne sic quidem spem omnem abjecit* Gesnerus, *quia extremũ illud paupertatis telum arripere, & mendicando panem ostiatim petere maluit, quàm studijs nuncium remittere,*

O miserabilis conditio mendicantis, exclamat ille: si petit, pudore confunditur: si non petit, egestate consumitur: & ut mendicet, necessitate compellitur: Jam Deum *arguit, quòd non æqualiter dividat: jam proximum criminatur, quòd nimis parcè subveniat: jam indignatur: jam murmurat: jam imprecatur: ita ut Salomone etiam teste, Melius sit mori, quàm indigere. Sed utut dura sors hæc fuerit, usq; adeò tamen moderatè eam tulit* Gesnerus *noster, ut testes fide digni confirment, ipsum Matrem, de pane procurando admodum solicitam, his verbis subindè compellâsse: Non est, charissima mater, quòd meâ causâ vehementer te angas: quàm primùm enim scholam ingredior, nullam prorsus ampliùs sentio famis molestiam: sed abundè satur mihi videor. Impletum nimirùm in ipso est illud Propheticum: Ecce oculi Domini super timentes eum,*

& in

Digitized by Google

& in eis, qui sperant super misericordia ejus: ut eruat à morte animas eorum, & alat eos in fame. Novit enim Dominus dies justorum, propterea non confundentur tempore malo, & in diebus famis saturabuntur.

Crescente autem annonæ penuriâ, res eò tandem rediit, ut panem non modò ex avena, hordeo, glandibus pistum, sed merè furfuraceum latranti stomacho objicere necessum haberet: Sed & hunc Benedictio divina salubrem effecit, nec salubrem modò, sed & suavem: ut verè omninò Socrates optimum cibi condimentum dixerit esse famem: potionis sitim: & Antiphanes, Famem omnia dulcia reddere, præter seipsam.

Cæterùm quod Venusinus ille Poëta de seipso prodidit:

Et laris & fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem:

Idem Gesnero *etiam nostro accidit. Nam durum hoc paupertatis onus, stimulus ipsi ac incitamentum fuit summo annitendi studio, ut in literis & pietate indies proficeret. Sic aliàs comparatum esse videmus, ut difficilimè virtutes ac artes revereatur, qui secundâ semper fortunâ fruitur: Et quod Seneca habet, plurimis ad eruditionem viam præcludant divitiæ, usq; adeò, ut si animo vacare velis, vel pauperem, vel pauperi similem te esse oporteat. Quare, uti rectè Chrysostomus infert, si te quoq; paupertatis caminus excoquit, noli despondere animum: Hæc enim tibi est manuductrix ad virtutem: est unctio athletica ad labores: est exercitatio ad doctrinam: est portus denique tranquillus ad gloriam.*

Verùm enim verò hoc paupertatis elogio gaudere nec possunt nec debent errones illi, qui hoc cumprimis tempore æstivo hinc indè vagantur, ventri ac ocio dediti: illud nimirum Ennij in Iphigenia in ore habentes:

neq; domi nos, neq; militiæ sumus:
Imus hùc, hinc illùc: cùm illùc ventũ est, ire illinc libet.
Incertè errat animus, præter propter vitam vivitur.

Digitized by Google

His enim paupertas non ſtimulus eſt ad virtutem: ſed tegumentum nequitiæ & ignaviæ: ut haud immeritò ille apud Plautum dixerit:

nimis homo nihil'ſt, qui piger eſt:
Nimisq; id genus odi ego malè.

Apud Argos lege conſtitutum erat, ut qui videret deſidioſum aliquem per urbem vagantem, ſtipem emendicare: illius nomen ejus ad Magiſtrum, qui loco cenſoris erat, deferret: & rationem, unde victum quæreret, quidq; artificij tractaret, reddere cogeret. Sic lex Sardoa in hujusmodi vagantes, pœnas ignaviæ ſatis acres deſiniebat, & unumquemq; laborum, victus, totiusq; vitæ rationem reddere cogebat. Si talis hodiè ſive lex, ſive cenſura, noſtra in Rep. obtineret: minùs profectò ea laboraret: minùs etiam foret moleſtiarum.

Sed ut ad Geſnerum *noſtrum redeamus, exacto ille, ſub hoc paupertatis duriſſimo jugo, integro fermè triennio, Vratislaviam metropolin illam Sileſiæ conceſſit, animo quidem ac ſpe ſtudia proſequendi: ſed parùm abfuit, quin egeſtate coactus, & frequenti Dominorum mutatione hinc inde jactatus, fabro aurario ſuam operam addiceret: niſi ipſum orphanorum pater* DEUS, *illius ipſius aurifabri operâ, qui ei liberos ſuos erudiendos committere, quàm artem tradere, ſatiùs ducebat, ab officina ad ſcholam literariam revocâſſet. Ergò Vratislavia linguarum Latinæ, Græcæ, Hebrææ rudimenta addidicit: diſſerendi dicendiq; artes cognovit: doctrinæ Sphæricæ initia percepit: in utraq; oratione, ſoluta & ligata, ſe diligenter exercuit: ita ut præceptoribus charus & acceptus eſſet. Donaverat ipſum tum temporis hoſpes dimidio Joahimico Valenſi, quem in Novum Teſtamentum, Græcis typis impreſſum, impendit: eoquè tanquam peculiari theſauro, quo vis auro & argento preciſiore, ita quotidiè uſus fuit, ut periculum faceret, num ſine adhibita verſione Latina, Græcum textum intelligere poſſet.*

Moris

Digitzed by Google

Moris tùm erat, ut Vratislaviæ tenuiores fortunæ scholares, carminibus salutarent Patritios & Mercatores, eorundemq; gratiam ac liberalitatem vel hoc pacto ambirent. Quare Gesnerus *etiam noster, à postremis esse noluit, sed Carminum scriptione, ad quæ Natura quapiam propensione ferebatur, aliquid nummorum collegit, unde Autores studijs aptos, Ciceronem cumprimis, & Poëtas utriusq; linguæ sibi comparavit.*

A. C. 1576. viaticulo corrogato, & consarcinatis libellis, quos neq; comparare multos, neq; portare plures poterat, Vratislaviâ per Bohemiam Argentoratum se contulit: ubi cùm visitatoribus ejus Scholæ profectus suos, facilè ac luculenter approbâsset, statim Auditor primæ Classis factus: nec multò pòst ab amplissimo Senatu in Collegium Wilhelmitanum alumnus receptus fuit, usus eo beneficio per integrum quinquennium. Studia tractavit tùm Philosophica, tùm Theologica: Præceptores Philosophos habuit, Johannem Ludovicum Havvenreuterum, *Medicum & Philosophum nostri seculi incomparabilem:* Theophilum Golium, *Ethicum & morum Censorem severissimum:* Melchiorem Junium *Oratoriæ Professorem celeberrimum:* Henningum Oldendorpium, *Hebrææ, Chaldaicæ ac Syriacæ linguarum Professorem maximè industrium:* Davidem Wolkensteinium & Cunradum Dasypodium *Mathematicos minimè ignobiles. Præceptores verò Theologos,* Doct. Johannem Matbachium: Doct. Johannem Pappum: Doct. Erasmum Matbachium: M. Nicolaum Florum: & Dn. Johannem Fabrum: *quos omnes ego, qui per integrum fermè decennium, ijsdem Argentinæ Præceptoribus, & quidem per Dei gratiam, satis feliciter usus sum, venerationis & honoris causâ meritò nomino. Cum lectionibus Theologicis conjunxit exercitium concionandi, in Collegio quidem, quoties ordo posceret: in pagis autem, quoties* D. Pappus *permitteret: permittebat autem singulis fermè septimanis. Incredibile autem est, quantum intra breve*

Digitized by Google

temporis spacium profecerit: quantam apud Præceptores admirationem ingenij & sedulitatis adeptus.

Elapso quinquennio nactus est discipulum, nobilem Livonum, cujus sumptibus annum adhuc Argentorati substitit, creatus tùm Philosophiæ Magister, anno ætatis XXIV. Christi autem XXCIII. Quo ipso anno discedendi à Senatu veniâ impetratâ, liberos generosorum quorundam in Polonia, per menses aliquot instituit: unde se, cupiditate ad doctos homines in Academiam aliquam redeundi, maturè expediens, impetratâ dimissione Vratislaviam rediit, Argentoratum inde repetiturus, diem unam & alterum Vratislaviæ dùm moratur, incidit in notitiam Andreæ Dudithij, *trium Impp. Consiliarij: apud quem &* Andream *filium natu maximum, honesto stipendio aliquandiu instituit: & commentarium in libros Ciceronis de Fato, certè doctissimum concinnavit.*

Et hæc est, Auditores, ea Gesneriana *vitæ pars, quæ pueritiam & Adolescentiam complectitur: satis quidem inter tot tantasquè miserias, auspicata & felix: imò verè talis, quæ exemplo esse possit imò debeat omnibus, pietatis bonarumquè artium studiosis.*

Quotus enim quisquè est, qui exemplo Gesneri *nostri,* αὐτοψὸς *esse, & ex viva Præceptorum voce proficere, quàm domi suis tantum Musis, canere malit? Quotus quisque est, qui linguas illas principes, Latinam dico, Græcam & Hebræam, ita sibi cognitam reddere studeat, ut sine cortice, quod dicitur, natare: ipsos ἀκροτόμους fontes, sine interprete, legere, interpretari, intelligere possit?*

Quotus denique quisquè est, qui per multos labores atq; molestias, ad solidæ eruditionis culmen sibi ascendendum esse statuat: neque priùs, (in sacratissima potissimùm Theologia nostra) docendi sibi partes sumat, quàm ipse, quæ docenda sint, rectâ methodo didicerit: Sic nimirùm, nescio quâ persuasione decepti plurimi, præclarè suo sibi videntur functi esse munere, si ad Rusticellos conciunculam aliquam demurmurare queant: solidâ interim rerum Theologica-

Digitized by Google

logicarum noticiâ planè destituti. Vndè, proh dolor, idem sacratissimæ nostræ scientiæ hodiè accidit, quod de Philosophiæ inclinatione, suo jam tempore Epictetus apud Gellium conquestus fuisse legitur: Φιλοσοφοῦμεν, καὶ θεολογοῦμεν, μέχρι τοῦ λέγειν, ἀνὸ τοῦ πράττειν: *imò verius* μέχρι τοῦ δοκεῖν, ἀνὸ τοῦ λέγειν, καὶ ἀνὸ τοῦ πράττειν. *Et quod de* αὐθαδιδάκτοις *quibusdam scribit D. Hieronymus: Multi, cùm loqui nesciant, tacere tamen non possunt: docentq; Scripturas, quas non intelligunt: ac eruditorum sibi sumunt supercilium, priùs imperitorum magistri, quàm doctorum discipuli.*

Sed hæc fortè deplorare, non item emendare licet: Vnum proindè illud Maronis, ijs qui è melioribus sunt, ad animum revocatum volo:

Quisquis perduros casus virtutis amore
Vicerit, ille sibi laudemq; decusq; parabit:
At qui desidiam, luxumq; sequetur inertem;
Dum fugit oppositos incautâ mente labores;
Turpis inopsq; simul miserabile transiget ævum.

Jàm cum GESNERO *ad eam ætatis partem me accingo, quæ labores ipsius, tùm in Schola, tùm in Ecclesia exantlatos, paucis expediet.*

Anno igitur 85. Gesnerus *noster Vratislaviâ, Boleslaviam legitimè vocatus, viro clarissimo deq; Rep. Scholastica optimè merito,* MATTHIÆ HILVRIGIO, *Schola illius Rectori, piè jam defuncto, in functione scholastica: ut & Anno statim sequente, in conjugio successit, matrimoniali fœdere sibi junctâ,* MARGARETHA, *matronâ certè honestissimâ, viduâ adhuc superstite, longè mœstissimâ. Functus autem munere isto, tantâ fide & studio, ut majore non potuerit: munere quidem per se laborioso, sed quo Reip. nihil majus melius vè afferre possumus: sic ipso etiam censente M. Tullio: lib. 3. de Divinatione.*

Quadri-

Digitized by Google

Quadriennio integro in pulvere scholastico expleto, Anno 80. ad Recturam illustris Gymnasij Stetinensis legitimè vocatus accessit: Pastore tùm Ecclesiæ collegiatæ ad D. Mariam, M. Cunrado Bergio: Diacono verò, M. Joachimo Stygio: utroq; Calviniana secta, sed timidiusculè, addicto. Hac in statione quid Gesnero *evenerit, ex publicis historiæ Pomeranicæ monumentis notius est, quàm ut prolixâ commemoratione indigeat.*

Proposuerat Gesnerus *pro more Scholæ illius, theses de Sacramentis in genere, tùm à Superintendente D. Johanne Cogelero: tùm à Pastore M. Johanne Bergio censas approbatasq;. Ibi M. Stygius, Stygio nimirum æstro percitus, disputationis Actui præsentem se sistere, tumultuari, inq; hæc verba, quasi ex abrupto, erumpere: Nunquam comparuissem, nisi meâ præsentiâ testari debuissem, Theses propositas me minimè approbare: Sed tanquam impias & Diabolicas reijcere. Et ne sine ratione insanire videretur homo fanaticus, plenis buccis subindè crepabat:*

Quicquid Ecclesias benè constitutas dissipat, illud impium est & Diabolicum.

Hæc tua de Sacramentis disputatio dissipat Ecclesias benè constitutas.

Ergò impia est & Diabolica.

Cui verò non sapientiam istam Stygiam audienti, in mentem veniret Horatianum illud:

Quid tanto dignum dabit hic promissor hiatu?

Sed subijciat alter:

Parturiunt montes procurrit ridiculus mus.

Siccine enim Ecclesias benè constitutas statim turbat, & disijcit, quod erroribus Sacramentariorum opponitur? O bardum disputatorem, dignum planè, cui idem respondeatur, quod aliquando Gorgias Xenophonti non Socratico, sed alicui cuidam homini contentioso quærenti, Quam ob causam faba ventrem inflent? respondisse legitur; istud quidem jam dispiciendum relinquo: sed illud jam olim cogni-

Digitized by Google

cognitum habeo, Terram adversus istiusmodi homines producere ferulas.

Caterùm occasione primæ hujus συμπάξεως, tanta inter partes dissidentes, temporis progressu, animorum orta est acerbatio, ut uterquè tùm M. Gesnerus, tùm M. Stygius ab usu S. συνάξεως diutiùs, quàm alioqui consueverunt, abstineret: donec tandem Stygius, qui jampridem omnem pietatem perdiderat, nullâ prorsus reconciliatione præmissâ, non sine evidenti Ecclesiæ scandalo, illius sese participem redderet.

Facti hujus atrocitate motus Gesnerus, sibi quoq; utpote parti læsæ, & bonæ tùm causæ, tùm conscientiæ testimonio fruenti, à sacratissimo hoc epulo diutiùs haud abstinendum esse ratus, mediare reconciliationis pia ac honesta, per quosdam Ecclesiæ ministros, M. Stygio offerri curavit. Sed cùm homo iste in oblatam reconciliationem consentire priùs nollet, quàm Gesnerus apertè testaretur, omnem controversiam de doctrina ipsa, sic simùl esse sublatam sopitamquè; Gesnerus rem omnem Deo ac tempori committere, quàm veritatem cœlestis doctrinæ tacitè prodere, aut abnegare maluit.

Proindè coram Ministro Ecclesiæ sincero corde testatus, se omnem penitùs offensam, in suam quidem personam commissam, Stygio ex animo condonare: ac debita cum reverentia, Absolutionem, uti loquimur, petijt & impetravit: postridiè nimirũ ad S. σύναξιν accessurus. Stygius re compertâ, furere, animo angi, & nihil non tentare, pergit quò Gesnero Sacramenti usus interdiceretur. Verùm cùm frustrà laborasset, aliâ ratione Diabolicam animi malitiam, explendam sibi esse, arbitratus est: eo excogitato facinore, quod, ut arbitror, priùs ne fando quidem auditum fuit.

Nam cùm Stygius, pro officij ratione, quippe Ecclesiæ Diaconus, prioris partis Sacramenti Eucharistici, Hostiæ videlicet, uti vulgò loquimur, administrationem obiret: pro more Ecclesiæ consueto, sinistrâ manu patinam tenuit: dextrâ verò panem communicantib. & rectè quidem, distribuit: Sed cùm jam Gesnerum ordo inter

Digitized by Google

communicantes tangeret, Stygius mox mutato habitu, patinam dextrâ arripuit, sinistrâ verò Hostiam ori ipsius ingessit, verbis consecrationis, in diram istam imprecationem, ausu plùs quàm nefario, mutatis: Deus sit Judex inter me & te. Sic dimisso Gesnero, reliquis communicantibus, eo modo hostiam distribuere perrexit, quo & initio cœperat, & usu receptum erat.

Sic nimirum Sacramentarius iste sibi usq; adeò temperare non potuit, ut Stygiam animi rabiem ac insaniam, circa tremendam etiam actionem Eucharisticam, furore prorsus Diabolico expleret. Quo Ecclesiæ scandalo, quâ infirmorum offensione, verbis satis exprimi haud potest. Sed quasnam putabimus Stygium nefandi hujus facinoris causas postmodùm edidisse? Eas videlicet, quas non bonus Dei Spiritus, sed Pluto ille Stygius sive Draco infernalis certò certius suggessit.

Nam à Superintendente D. Johanne Cogelero, & D. Jacobo Fabro Concionatore aulico, facti rationem reddere jussus, culpam omnem in spasmum, qui non manum sed linguam ita hebetavit, ut verba consecrationis in diram ac horrendam imprecationem permutaret; imò qui vix ad horulæ momentum, & ad unius duntaxat individui præsentiam duravit. Abominatio est Domino, inquit Salomon, omnis illusor, & parata sunt ipsi judicia; ac mallei percutientes, in palude nimirum illa Stygia, de qua nomen sortitus Stygius.

Gesnerus haud parùm hoc facto consternatus, varias animi perturbationes sensit: ita ut jam tùm morbi illius initia animadverteret, qui nuper mortem ipsi acceleravit. Nam mœror in corde viri humiliat illum, & Spiritus tristis exiccat ossa: & ut Græcus habet comicus λύπαι ἀνθρώπινον ἴκτησι νοσεῖς: id quod Poëta Latinus sic reddidit:

Strangulat incluſus dolor, atq; cor æſtuat intus:
Cogitur & vires multiplicare ſuas.

Augebat

Digitized by Google

Augebat hunc animi mœrorem, haud parùm, quòd animadverteret Gesnerus, *se illis ipsis, uti patronis minimè propitijs, penes quos rerum summa erat, & qui de ipso magis loco movendo, quàm defendendo tractarent consilia.*

Sed Deus, *cujus proprium est misereri, ex hoc importuno mari, ad portam optatiorem* Gesnerum *tandem perducere voluit. Factum enim divinâ providentiâ, ut Anno 92, Stralesundium legitimè accerseretur, non modò, ut Pastoris ibidem senio propè confecti Adjutorem: Sed & Scholæ Professorem ageret. Hanc felicitatem etsi Calviniani, tùm Stetini adhuc latitantes,* Gesnero *usq; adeò invidebant, ut nocendi cupiditate acti, suppellectilem ipsius tum librariã tum œconomicam, jam modò navi impositam, per integram hyemẽ, eamq; asperrimam detinerent: sic futurũ opinati, ut omni præsidio destitutus, neq; officio rectè satisfacere, neq; familiam commodè curare posset: spes tamen hæc ipsorum in spongiam, quod dicitur, incubuit. Nam inclyta Resp. Sundensis, omnem defectũ ita liberaliter supplevit, ut nullius rei inopiam persentiscceret. Sic ergò vana fuit istorum hominum, & sine viribus ira: idemq; planè ijs accidit, quod apud Plautum haud inscitè dixit:*

Invidere alij benè esse, tibi malè esse, miseria est:
Qui invident, egent: illi, quibus invidetur, rem habent.

Cæterum vix septem menses Sundij Gesnerum *subsistere: quin hanc nostram potius ad Academiam Vitebergensem, tanquam ad messem ampliorem, Dominus evocare voluit: cui vocanti eò libentius annuit, quòd haud obscurè sensit, neq; aërem, neq; diætam Pomeranicam valetudini suæ esse commodam: Accidit autem, ut cum hûc concessurus Stetinũ rediret, ab Illustriss. Principe ac Dn.* Dn. Johanne Friderico, *Duce Stetini & Pomeraniæ, &c. vocaretur ad Synodum in qua Dissidiũ prius inter ipsum & Stygium de Religione motum, legitimè cognosceretur. Uter verò, num* Gesnerus *an Stygius erroris in Synodo illa convictus fuerit, malo trium præclarissimorum Theologorum verbis, quàm meis testatum facere.*

Digitized by Google

Sic autem illi: Nos, qui in Stetinensi Ecclesia docemus, profitemur & testamur coram omnibus pijs & bonis, nos ab Anno Christi M D L XXXIX, quando M. Salomon Gesnerus, primùm Rector illustris Scholæ in Padagogio apud nos factus est, ipsum propter excellentiam ingenij, & eruditionis, & propter dona docendi, & virtutum ornamenta amanter complexos, & propter singularem humanitatem & comitatem, ejus consuetudine plurimùm delectatos esse, & cum gaudio conspexisse ejus fidem, diligentiam in erudienda juventute, & regendo Gymnasio.

Doluimus autem ipsum incidisse in collegas & alios, qui Calviniani videri, aut dici noluerunt, & viro optimo ob amorem & confessionem divinæ veritatis, multum molestiæ & infortunij attulerũt, donec vocatus ad Ministerium Evangelij in Ecclesia Stralsundensi, Anno 1592. mense Septembri illûc commigravit.

Ubi etsi Senatus, Ministerium, & omnes pij & boni, in ea Ecclesia & Rep. summo desiderio & studio retinere ipsum exoptarunt: attamen cùm Vitebergam, divinâ providentiâ, mense Januario, Anno 1593, ad officium docendi in Ecclesia & Academia, & in Stralsundensi Ecclesia multa essent controversa, inter Illustrissimum Principem, & Senatum eius civitatis, & in Ecclesia, & ordine Ministerii magna esset ἀταξία, & disciplina penè nulla, cùm in mensem septimum, officio concionandi, & prælegendi in Schola, summa cum laude & fructu ibi functus esset, Vitebergam cum suis commigraturus, Stetinum redijt & vocatus ab Illustrissimo Principe & Domino, Dn. Johanne Friderico, *Duce Stetini & Pomeraniæ, Cassubiorum & Vandalorum, Principe Rugiæ, & Comite Gutzkoviæ, Dn. nostro Clementissimo, interfuit Synodo, in qua res de Calviniano dissidio, moto in Ecclesia Stetinensi, cognita est.*

In hoc amplissimo & celeberrimo confessu in quo præses fuit ipse Illustrissimus Princeps, cum fratris filio, Principe Francisco, habens secũ Legatũ Electoris Brandeburgici, & legatos Dominorũ fratrum, Illustriss. Principum, Dn. Bugslavi, *& Dn.* Casimiri, *Ducum Stetini.*

Digitized by Google

Stetini & Pomeraniæ, &c. Principum Rugiæ &c. & duos Comites, & multos præstantissimos viros ex ordine Equestri, & Consules & Senatores, ex præcipuis in hac regione civitatibus, unà cum tribus Superintendentibus totius Pomeraniæ, & præcipuis aliquot Pastoribus, M. Salomon, *de controversis Doctrinæ cœlestis articulis, & inprimis de Persona Christi, clementer & plenè auditus, luculentissimum testimonium innocentiæ, omnium approbatione adeptus est, adversarijs ipsius de errore Calviniano convictis, & calumnijs antè sparsis contra ipsum retusis & consopitis: qui tamen posteà, coram Superintendentibus & Pastoribus congregatis, & toto Ministerio in Stetinensi Ecclesia, initâ unitate fidei, & factâ mutuâ reconciliatione, cum* M. Salomone Gesnero *redierunt in gratiam. Oramus igitur omnes pios, eruditos & bonos, ut huic nostro testimonio fidem tribuant, &c. Ad rei fidem nos in Pomerania tres Ecclesiarum Generales Superintendentes, consensu & jussu omnium Pastorum, qui Stetini nunc in Synodo congregati fuerunt, manu propria subscripsimus & obsignavimus. Actum Stetini die 10. Maij, Anno Christi 1593.*

Johan. Cogelerus D. & Super. Stettinensis: m. p.

Jacobus Rungius D. S. Wolgastensis: m. p.

Petrus Edlingius, S. Ecclesiarum Christi in diœcesi Caminensi.

Jam si in ore duorum aut trium testium consistit omne verum: utique de istorum etiam testimonio nihil quicquam dubitabimus: & quidem tantò minùs, quòd hujus ipsius Synodi, pars minimè postrema isti fuerunt. Nam ut ille apud Plautum dicit:

Pluris est oculatus testis unus, quàm auriti
Decem: qui audiunt, audita dicunt: qui vident, planè sciunt.

Gesnerus *præclaro hoc instructus Testimonio, relicto Stetino, tandem venit Vitebergam, Anno 93. die 16. Maij, felicibus omninò auspicijs, Magisterij Philosophici gradu adhuc insignatus; Quem tamen*

Digitized by Google

men paulò pòst cum honoribus Doctoreis permutavit, Doctor Theologiæ solenniter renunciatus, die 10. Augusti, ejusdem Anni: promotore Polycarpo Lysero, Theologo, è primis nostri seculi, facilè primario; quem honoris & observantiæ causâ nomino. Hac ergò in statione Professoris Theologi munus obijt: & aliquandiu Electoralium Stipendiatorum inspectorem: & ab Anno 95. supremum in Templo arcis conciatorem egit: Recturam bis gessit: Decanatus Theologici munus administravit toties, quoties ordo ipsum tangebat: Assessoris partes in Consistorio Ecclesiastico postremo vitæ novennio sustinuit: præter concionandi operas publicè prælegit Psalterium, octo minores Prophetas, Danielem, Historiam Passionis: Jesaiæ partem: privatim disputando excussit Formulam corcordiæ, Genesin, Danielem, partes duas Examinis Concilij Tridentini. At quâ fide, eruditione, industriâ hæc egit? Certè optimâ maximâ: & quam docti ac pij omnes suspiciunt ac prædicant: livor agnoscit; & expallescit.

Cæterùm in hac ipsa provincia ritè administranda, non defuerunt ipsi hostes infensissimi. Vix enim labores ordinarios aggressus erat, cùm infelix ille D. Samuel Huberus, homo absurdus & αὐτοκατάκριτος, tùm reliquis Theologis Collegis, D. Polycarpo Lysero, & D. Ægidio Hunnio: tùm etiam Gesnero nostro, funestum, planè bellum moveret, de promiscua, indeterminata, sive ut ille loquebatur, Universali omnium hominum prædestinatione, eaq; propriissimè sic dicta, Scripturis certè prorsus incognita. Quod sanè incendium, quò minus mox in primis favillis sopitum extinctumquè fuerit, minimè omnium vel per Gesnerum, vel per reliquos Theologos stetit: sed nativa potius Huberi intemperies & ἰσχυεγνωμοσύνη, medijs consilijs sq; sanioribus locum omnem non tum modò intercluſit: sed etiamnum hodiè intercludit.

Verum neq; sic certaminum finis: Quin annis hiscè proximis ex vicina Lusatia, prodierunt quidam Turbatores, quibus animus erat, universam Silesiam veneno Sacramentario inficere. Quo fine

varios

Digitized by Google

varios illi libellos, tum Theologicos, tum Philosophicos, toxico tamen Calviniano subdolè illinitos, cudebant, & incautiori juventuti obtrudebant, imò longè lateq; disseminabant: & hæc quidem omnia, sub plausibili doctrinæ Lutheranæ prætextu. Erat Gorlitij quidam Ludirector, qui Scholas suas his Emblematis exornavit:

1. Fractio panis significat fractionem, h.e. crucifixionem corporis Christi.

2. Distinguendum est inter circumstantias sacræ cœnæ, quarum aliæ pertinent ad substantiam hujus ritus, quòd panis est adhibendus, quod frangendus, facienda publica precatio, distributio, sumtio.

3. Hanc propositionem, Verbum caro factum est, invertunt heterodoxi (Lutheranos sic indigitat Sophista) & ex subjecto faciunt prædicatum: & ex prædicato subjectum, pro, Verbum caro factum est, dicunt, caro facta est Verbum seu λόγος, hinc est illa exaquatio naturarum & realis communicatio Idiomatum.

4. In verbis institutionis τοῦτο quid denotat? id quod acceperunt discipuli. Quid discipuli acceperunt? id, quod obtulit DOMINUS. Quid Dominus obtulit? id, quod priùs ipse acceperat. Quid ipse acceperat? panem. Ergò (en tibi Carolostadium redivivum) panem indicat particula τοῦτο: Nihil ergò aliud, quàm panem demonstrat particula, Hoc, nec aliud sonant verba Christi: Hoc est corpus meum, quàm, hic panis est corpus meum.

5. Quæ est vera interpretatio horum verborum, panis est corpus Christi? Respondeo: Tres sunt interpretationes: Prima est Papistarum, qui fingunt Transsubstantiationem: Altera Scholasticorum, qui fingunt consubstantiationem: Tertia est Orthodoxorum, qui dicunt, illa verba Sacramentaliter exponenda esse sic, ut neq; substantialis aliqua mutatio panis fiat, neq; occultatio, aut coexistentia substantialis corporis sub pane, seu ad locum statuatur: sed ut PERFIDEM panis Eucharisticus intelligatur esse Sacramentum seu testimonium, pignus atq; sigillum, medium ac instrumentum divinitùs ordi-

Digitized by Google

ordinatum, cujus usu legitimo obsignetur, id est, non nudè significetur, sed applicetur & confirmetur nobis vera communio corporis & sanguinis Christi, & omnia beneficia Christi Evangelio promissa.

Accedebat primarij Ecclesiæ Görlicensis Ministri studium, minimè ignavum, quo Calvinismo non fenestras, sed portas latè patentes aperire conabatur: in publicum evulgata, & præcipuis per Silesiam familijs inscripta praxi quadam Evangeliorum: ejusmodi filosculis Sacramentarijs expolita, ut truncum & bardum esse oporteat, qui hominis istius spiritum dignoscere non possit.

Hic profectò non in utram q; aurem Gesnero indormiendum erat: Sed patriæ cura suscipienda, quà, teste etiam M. Tullio, Natura nihil nobis voluit esse jucundius nihil charius, nihil dignius, in quo omnis nostra diligentia indulgentiaq; consumatur. Et suscepit sanè curam istam quàm felicissimè, scripta & publicata Admonitione Germanica ad ordines Silesiacos: sic masculè detectis dolis & consiliis, quibus clancularij illi Sacramentarij rem tum agebant.

Sed, bone DEUS, quàm uno hoc scripto, crabones irritavit Gesnerus? Vix lucem illud aspexerat, cùm personatus quidam Rabula Antonius Benbellona de Godentijs, in suscitabulo illo suo, nimis intempestivo, omnem bilem in Gesnerum effundere non dubitaret: Scriptum ipsum nominans maledicum & mendax: Autorem verò, plenam cruoris hirundinem: Huic succenturiantes alij πολυπραγμοσύνης & ἀλλοτριεπισκοπῆς ipsum insimulare, persecutionis Pontificiæ, quæ per Silesiam grassari cepit, facem ac tubam, aliorum deniq; criminum reum peragere, haud erubuerunt. Dubito profectò, num istorum hominum impietatem magis, an stupendam malitiam detestari debeam. Quid enim? An non prodigiosè impium est, πολυπραγμοσύνης in simulare eum, qui patriæ commodum curæ sibi, cordiq; habet: & pro ejus salute excubias quasi agit: præsertim si errores ac hæreses in perniciem patriæ impunè serpere ac grassari videat? Annè Pontificijs gladium mox persecutionis porrigit is, qui in falsos Doctores, justo Zelo acriùs invehit: Respondit

ſpondit ad hanc calumniam ipſe Geſnerus, *paulò ante obitum ſcriptis ad amicum quendam, paſtorem Sileſium, literis, quibus iſthæc inſerere voluit. De periculis, quæ veſtris per Sileſiam Eccleſiis, à Pontificijs imminent, varij ſermones ſpargũtur; certi autem aliquid T. R. cognoſcere cupio. Non deſunt è factione Calviniana, qui omnes illas Pontificiorum molitiones, meo ſcripto, abſq; omni verecundia imputẽt, & me hoſtem patriæ, publicè privatimq; criminentur. Sed quàm grandi me afficiant injuriâ, & quàm ego ſincerè patriam meam dilexerim, & diligam, dies illa Domini, quâ omnia arcana pateſcent, revelabit. Quaſi verò Pontificij, non ſimilia, & multò etiam atrociora moliti eſſent, ad opprimendam in Sileſia & Moravia, orthodoxam doctrinam, antequam mea Admonitio lucem aſpexit, & priusquam ego natus ſum? Te interim vir Reverende & doctiſſime rogo, ut apud quos licet, meam innocentiam tuearis, &* Geſnerum, *qualis qualis eſt, non qualem illi atris calumniarum coloribus depingunt, animis illorum ſuggeras, &c. 15. Octob. Anno 1564. Sed oggerunt illi, ſuam potuiſſet curare Eccleſiam, non alienam, quæ ipſius inſpectioni minimè eſt commiſſa. Quid audio? Siccinè ergò alieni muneris jus ſibi arrogavit Polycrates, qui Eccleſiarum Occidentalium curam ſuſcipiens, errores Victoris Epiſcopi Romani candidè detexit? Siccinè Cyrillus πολυπραγμοσύνης crimine notandus, quòd Eccleſias, ſuæ certè inſpectioni minimè commiſſas, fideliter monuit, ut ſibi à graſſante Neſtorij hæreſi probè caverent. Sed quid multis opus, cùm animi levitatem & malitiam proprio quaſi indicio, homines iſti, ſoricum inſtar, haud obſcurè prodant? Laudant illi Theodorum Bezam, quòd ſcripto quodam ad* Auguſtum *Electorem Saxoniæ, ſanctæ recordationis Principem adornato, tum Graſſantis Calviniſmi patrocinium ſuſceperit, tùm autor ſuaſorq; ipſi fuerit, ut Suevicam Theologiam ex agro & finibus Electoratus hujus Saxonici, eliminaret. Exhibeant verò naſutuli iſti cenſores vocationis tabulas, quibus fretus Beza, Eccleſiarum Saxonicarum curam hanc jure ſuſceperit.*

Digitized by Google

Porrò ijdem homines plenâ manu eundem commendant, quòd publico itidem scripto, Ducem Wirtenbergicum, Christophorum *&c. Ecclesiasq; Suevicas in Calvinianorum partes pertrahere, vel maximè studuit. Laudant Lambertum Danaum, quòd Ecclesiarum Helveticarum curam gesserit: Laudant alios suæ farinæ Doctores, qui Ecclesiarum optimè constitutarum Reformationem, deformationem verius, subdolè moliti sunt. Proferant vocationis tabulas, quibus freti Beza, Danæus & alij hoc tentare ausi fuerint. Sed nimirum, tantùm quid isti homines faciunt rectum est.*

Si fortè ædificium aliquod flamma corripiat, num prater officium fecisse putandus, qui ad restinguendum incendium accurrat, licet ædium illarum cura ac inspectio ipsi minimè sit commissa. Sic quis vitio vertet Theologo, qui patriam diligenter præmoneat ab ijs, quorum vel suspecta saltem fides est ac religio, vel manifestè hæretica. Utiq; enim cùm non sibi modò noceant: sed exemplo etiam suo partim, partim turbatione & seductione rectè sentientium, ad Remp. Christianam, plurimùm detrimenti afferant: interest sanè Theologi sedulò prævidere, ut ne veneni lues, cancri instar, Apostolo teste, serpens contagio suo alios & sic integram provinciam inficiat. Verè enim Ambrosius: Dùm latet serpit hæreticorum perfidia. Sic ergò pugnandum etiam fuit Gesnero *nostro: & pugnatum ad finem usquè vitæ satis feliciter: ut jure optimo* Παύλειον *illud Apostolicum ad se quoq; (ringantur licet Calviniani) accommodare potuerit: Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: cæterum, reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi* Dominus *in die illa, justus Judex: Non solùm autem mihi, sed omnibus apparitionem ipsius diligentibus.*

Quoad vitam, mores & conversationem ipsius, uno verbo omnia dicam: vixit secundum admonitionem Apostolicam, Inculpatè. *Nam domi suæ benè præfuit, liberos (quos divinâ benedictione genuit quaternos: duobus tamen hodiè tantùm superstitibus,* Paulo *filio, &* Mariâ *filiâ) habuit subditos cum omni reverentia: erga*

omnes

Digitized by Google

omnes ἀπειρὸς, ἄμαχος, ἀφιλάργυρος, vitiorum censor severus: virtutis & honestatis singularis fautor & promotor. Sed hac, proh dolor, fuerũt. Corpusculo erat naturâ infirmo: quod etiã continuatis vigilijs & laboribus, magis magisq; attenuaverat atq; afflixerat. Iamq; ultra annum conflictabatur affectionibus hypochondriacis flatulentis, ventriculi imbecillitate, & tussi vehementi ac gravi: cùm nono die Januarij, horâ tertiâ matutinâ, venula ei in pulmonibus rumpitur, unaq; copiosus sanguis erumpit. Ille tn. nihilominus eo mane concionẽ habere voluit. Caterùm sanguinis ejectione subindè infestãte, viribus usq; adeò exhaustus erat, ut de vita in dubium veniret. Itaq; postero die, nos duos Collegas, qui tùm in loco eramus, & Archidiaconum ad se accersiri curavit: nobisq; præsentibus, voce articulatâ, judicio integro, manibus complicatis, confessionem fidei satis luculentam edidit: disertè testatus, se toto pectore abhorrere à dogmate Calvinianorum, Esauvitarum, Huberi, aliorumq; quorum vis tùm veterum, tùm recentiorum hæreticorum. Certus n. sum, ajebat, eam Doctrinam, quæ Dei beneficio, in Scholis & Ecclesiis inclyti hujus Electoratus Saxonici jam publicè sonat, quamq; voce ac calamo, pro donorum divinitùs mihi concessorum modulo, propugnavi, esse veram ac sanam illam Doctrinam, quæ scriptis Prophetarum & Apostolorum est comprehensa, inq; libris Ecclesiarum nostrarum Symbolicis, nempè Augustana Confessione, prima illa minimeq; variata, Articulis Schmalcaldicis, utroq; Catechismo Lutheri: Formulâ deniq; Concordiæ, adversus quosvis fanaticos Spiritus, altiùs est repetita & explicata: Profiteor etiam me hac ipsa doctrina, ad extremum usquè vitæ halitum, per Dei gratiam, constãter perseveraturum: & ad tribunal Jesu Christi Servatoris mei, intrepido infractoq; animo, de hac mea doctrina rationes redditurum.

Vos a. Collegas meos, per hunc ipsum Christũ δεχπομφὰ nostrum obtestor, hujus meæ fidei ac Confessionis, publicum mihi Testimoniũ perhibere: & adversarijs, qui fortè diversum de me calumniabuntur, masculè resistere dignemini. Ego vicissim ante faciẽ Dei

mei, in conspectu omnium Angelorum & Electorum, cum quibus brevi, uti spero, futurus sum, itidem ὀρθοδοξίας & sinceritatis Testimonium vobis perhibebo luculentissimum. In fidei hujus & Confessionis meæ tùm signum, tùm confirmationem, Sacrosanctæ Eucharistiæ viatico, ipso videlicet, corpore & sanguine Christi Servatoris mei, instrui, pasci, potariq; ardentissimè desidero. Si fortè etiam vel vos Collegas, vel alium quemcunq; verbis aut facto offendi, pallio charitatis tegi, amicè condonari, humanæq; infirmitati adscribi volo. Ego usq; adeò omnis offensæ, quæ fortè mihi evenerit, sum oblitus, ut nihil quicquam sit, excepto unico afflicto satis Ecclesiæ statu, quòd animum meum angat aut excruciet.

His eo, quo dixi, modo ad nos Collegas expeditis, tandem ad Archidiaconum conversus, confessionem peccatorum piam & seriam edidit: & auditâ priùs dulcissimâ Absolutionis voce, sacratissimi epuli, Corporis & Sanguinis Christi, redditus est particeps.

Quâ actione finitâ hilari vultu & læto Spiritu in hæc verba erupit: Jam ego tranquillo ero animo, & Deum patienter expectabo: Fiat voluntas ipsius, quæ sola bona & sancta est: perindè jam mihi fuerit, sive diutiùs superstes maneam, sive moriar: vita mihi Christus est: Mors lucrum. Si vixero, Domino vivam: sin mortuus fuero, Domino moriar: sive enim vivimus, sive morimur, Domini sumus.

Sed ut reliquam vitæ ac mortis Gesnerianæ *partem paucis pertexam, die 13. Januarij, Sanguis quidem rejici desijt, ita ut tùm ipsi ægro, tùm Medicis spes restitutionis haud exigua affulgeret: verùm mox in ejus locum, calor quidam febrilis successit: quem remittentem, tanta semper totius corporis lassitudo excepit: ut reliquo tempore vix è lecto movere se posset.*

Accessit tandem angustia pectoris, & sputi purulenti crebra ejectio: ita ut multoties jam jam animã exhalaturus nobis videretur. Quibus in angustijs ipse constitutus, magno tn. semper Spiritu illud

Cygnæum

Digitized by Google

Cygneum ingeminavit: Nunc dimittis, Domine, servum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei salutare tuum, &c. & illud Davidis: Ad te, Domine, levavi animam meam: Deus meus in te confido, nõ erubescam: Respice me & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego: Angustia cordis mei magna est: erue me de tribulationibus meis. Consimiliter quoties ipsi à nobis divinarum consolationum momenta, Diaboli insultibus & tentationibus opponenda, ad animum revocabantur: intrepidè respondit. Nihil mihi prorsus rei est cum Diabolo: neq; quicquam ille mihi molestiæ, toto isto morbi mei tempore, facescit: Sed esto, veniat, adoriatur me, viresq; suas in me misero peccatore experiatur: Ego propterea non despondebo animum: Scio enim me non ipse, sed Deo meo peccásse: Quare Israëlitas in deserto secutus ego, monstrabo ipsi non quidem serpentem æneum: sed Filium Dei de cruce pendentem: & dicam: Huic ego, non tibi peccavi: Huic ego totum me credo, credo enim, quòd ipse, uti pro totius Mundi, sic pro meis quoq; peccatis, sufficientissimum λύτρον Deo patri exolverit.

Quare apage sis Diabole, & tela tua in semen hoc mulieris converte: Hunc si viceris: me quoque viceris.

Pridiè ante beatam ipsius ex hac vita emigrationem, cùm circa vesperam ipsum accederem: & inter reliqua ad animum ipsi revocarem illud Filij Dei ex Apocalypsi: Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ: Ipse contrà: Rectè mi Domine Collega: & hanc cõronam modò capitibus suis impositam gestant Collegæ quondam nostri, D. Hunnius & D. Rungius: Quos ego brevi salutabo; si quid tuo nomine ipsis nunciatum velis, mihi commendes: habebis certum tabellarium. Certus n. sum, me haud diu ampliùs fore superstitem: proinde tuis verbis salutabo collegas, & tùm Ecclesiæ tùm Academiæ nostræ statum ipsis enarrabo: Deo etiam tuos & aliorum fidelium Doctorum labores diligenter commendabo. Nam vobis diutiùs hiscè in terris sudandum erit: pergite, ut cœpistis: neq; dubitate, quin illa ipsa, quã tu mihi benè ominaris Iustitiæ corona, vobis quoq; in cælis sit reposita. Ego jam jam abitum meditor: & nihil magis

Digitized by Google

cupio, quàm dissolvi, & esse cum Christo Servatore meo. Et profectò præsagio huic mentis, eventus ipse respondit. Nam postridiè statim, septimâ nimirum Februarij, horâ mediâ quartâ vespertinâ, in confessione veritatis, interq; preces & cantiones religiosas atq; ardentes, Spiritum cœlo, corpus terræ reddidit: ita placidè, ut, (quod sanctè attestabuntur, quot mortis ipsius spectatores fuêre) nemo nostrûm mori ipsum animadverteret.

Nam versus quosdam, & quidem ἐμφατικωτέρους cantionis illius Eberianæ, verè Cygnææ, clarâ ipse voce simùl accinebat: sed vix cantus finitus, & precatiuncula recitata: ecce oculi ipsius confestim caligabãt, & pectus bis saltem spiritum agriùs trahebat, & sic emittebat: usq; adeò tranquillè, ut dormienti, quàm mortuo multò similior videretur. Vixit annos quadraginta quinq;, menses tres, cujus spatij dimidium fermè, in scholastico partim, partim Ecclesiastico munere consumsit. Staturâ fuit mediocri, colore subpallido, viribus haudita firmis: cultu neq; delicato, neq; sordido: Sed qui Doctorem Ecclesiæ deceret: victu temperato: cibi parcissimi, perpetuam ventriculi imbecillitatem causatus: somni (postremis potissimùm hisce annis) penè nullius: ingenij sagacissimi: memoriæ tenacissimæ, ut, quæ in vastuoso illo S. Patrum mari dispersa jacent, angustis memoriæ suæ cellulis inclusa, firmissimè retineret: adulationis & simulationis hostis acerrimus: veritatis & simplicitatis amantissimus.

Atq; ita, proh dolor, talem ac tantum virum amisimus: Theologum nimirùm, non aliquẽ de trivio: sed præclarum Dei organum: magni nominis Theologum: decus Academiæ nostræ eximium: illustre pietatis Exemplum: assertorem purioris Religionis strenuum, fidelem, constantem: Talem, inquam, virum, heu, amisimus.

Cujus miserandi fati nescio quod omen Animus mihi præsagiat: non quidem Gesneri causâ, cum quo certè optimè actum: quãtumvis etiam ipse, in medio ætatis flore, quippè anno 46. nondum expleto, extinctus videatur. Quemadmodum enim felicior est, quem ventus acrior citò in portum pertulit, quàm quem venti segnes & longa

Digitized by Google

longa tranquillitas, lentissimo tædio delassarunt: Ita fortunatior, quem festina mors his vitæ malis citiùs eximit: uti alicubi scripsit Seneca. Et, ut Sapiens habet: Justus, si morte præoccupatus fuerit: in refrigerio erit. Neq; refert, quot annos habeas, sed quot à DEO *acceperis? Si plures vivere non potes: hæc tua est Senectus: quicunq; ad extremum sui fati venerit, hic moritur Senex: uti rursum præclarè scribit Seneca.*

Nobis autem, nobis, inquam, quin præmaturus tanti viri obitus, non tàm luctuosus, quàm ominosus sit, vix inficias iverit, qui aliquid judicando assequitur.

Quicquid patimur (inquit ille) mortale genus,
Quicquid facimus, venit ex alto.

Et verè quidem: atq; utinam non ab iratò, sed misericorde Deo: ὁταν δὲ μέλλῃ κακῶς πράξειν πόλις, ἐξαίρεται τοὺς ἄνδρας ἀγαθοὺς, ὡς τῆς πόλεως ὁ θεὸς, id quod ipsum quoq; Platonem experientia docuit. Et testis est Propheta, DEUM, *à facie mali, colligere justos, & ingruentibus sævioribus procellis ac tempestatibus, ad portum quasi tranquillum perducere. Vix biennium abijt, Auditores, cùm &* Hunnium & Rungium, *& nuper* Gesnerum *amisimus: vel, ut piè magis loquar, præmisimus. At quos viros? Quos Theologos? Lumina profectò atq; firmamenta Scholæ & Ecclesiæ Christianæ: Quâ jacturâ, uti nulla minùs expectata aut opinata; ita nulla gravior atq; acerbior: nulla, quæ piorum, & rectè de Religione sentientium animos, vel præsentis mœroris sensu commovere, vel futuri status cogitatione solicitos, habere posset. Quæ conversationes Rerumpublicarum: quæ συνεδρίας tùm in Ecclesia, tùm in politia civili, magnorum virorum obitus plerumq; sint insecutæ: quid, quæso, attinet pluribus testatum facere, cùm vel bono cuiq; proprius animus, futurorum eventuum, triste ferat præsagium? Verùm ne vel animos æternis, ut ille ait, consilijs minores fatigemus, atq; in divinæ providentiæ adita oculos curiosos dirigamus: vel malè ominari videamur: ad preces potiùs conversi, sic cum Davide ingemiscimus:*

Domine

Digitized by Google

Domine Deus, *qui justo indignationis furore, commoviſti terram, & nos, populum tuum à facie tua repuliſti: qui cibaſti nos pane lachrymarum, & poſuiſti nos in opprobrium inimicis noſtris, ut ſubſannent nos. Revertere, quæſumus, ad nos: & averte iram tuam à peccatis noſtris: Ah Domine, peccavimus, fatemur, & pœnas haſce, imò graviores plùs ſatis ſumus promeriti. Numquid propterea, in æternum iraſceris nobis? Numquid propterea extendes iram tuam à generatione in generationem? Numquid propterea Academiam hanc & Eccleſiam noſtram penitùs peſſundabis? O Domine usq; quò? An non tu es* Deus, Deus *ille miſerator, & miſericors Dominus: longanimis & multùm miſericors? An non tu es Deus ille, de quo ſcriptũ: Non ſecundũ peccata noſtra fecit nobiſcum: neq; ſecundum iniquitates noſtras retribuit nobis: An non tu Domine Deus converſus vivificabis nos? Ecce Domine Deus palmas ſupplices ad te attollimus: & peccatorum veniã humiliter deprecamur: oſtende ergò nobis rurſum miſericordiam tuam: oſtende nobis vultum favoris tui, ut populus tuus rurſum lætetur in te. O utinã audiam, quòd Deus loquatur pacem populo ſuo, & ad ſanctos ſuos, ne convertantur ad ſtultitiam. Reſpice ô Deus Eccleſiam & Academiam hanc tuam propitio vultu: ſana tu fracturas, quas dediſti ei: excita, ſubſtitue, præfice Academiæ huic noſtræ fideles Doctores, qui ſacrũ illud bellum, bellare & velint & poſſint: Diſſipa conſilia eorum, qui lucem Evangelij tui, variorum errorum præſtigijs conſpurcare: conſpurcatam obfuſcare: obfuſcatam deniq; extinguere conantur: diſperge, & nõ ſolùm ab inclyto hoc Electoratu Sax. ſed univerſa Germania, patria noſtra dilectiſſima repelle gentes, quæ bella volunt, & ſanguinẽ populi tui avidiſſimè ſitiunt: Benedic deniq; laboribus, conſilijs & actionibus noſtris cunctis: Sic in te Deo noſtro, faciemus adhuc virtutem: tuoq; freti præſidio, hoſtes verbi tui univerſos, ſub pedes noſtros conculcabimus: tibiq; laudes ac vota noſtra perſolvemus: donec & nos corporum vinculis exuti, ad cæleſtem Academiam aſpiremus: ibiq; te trinum & unum Deum, conjunctis laudibus atq; gratijs, celebremus ſeculis infinitis, Amen.*

ORA-

Digitized by Google

Oratio parentalis
DE VITA, REBUS GESTIS, ac obitu,
GEORGII MYLII, CORAM ORDINIbus Reip. literariæ recitata Vitebergæ à Leonharto Huttero, SS. Theol. D. & P. P. XXXIX. Octob. A. C. 1607.

SIccine ergò hoc unum restabat adflictis & penè prostratis Academiæ nostræ rebus, ut Mylius, Mylius *ille noster, qui vel unus in spem felicitatis diuturnioris, bonorum quorumvis animos erigere, & ceu alter Atlas penè collapsa Ecclesiæ & Scholæ nostræ fundamina, humeris suis fulcire ac sustinere videbatur, non præmaturâ quidem, sed, ut hominum more loquar, inopportunâ tamen & acerbâ satis morte abriperetur? ô vanas hominum spes! ô consiliа fallacia! ô ludibria infelicis miseræq; vitæ, quæ cùm in manibus habere arbitramur: cùm ijsdem frui nos posse diutissimè, speramus: de repente avolant, & in medio quasi felicitatis cursu nos deserunt inhiantes. Lachrymis adhuc vestri madere oculi: planctibus & gemitibus Cathedra hæc personare: ipsi parietes querelis & lamentationibus illis adhuc mihi calere videntur, quas in triplicato illo Academiæ nostræ luctu publico, proximo hoc quadriennio in funere* Hunnij, Gesneri, Rungij, *ex hoc ipso loco fusas sparsasq; esse meministis.*

Abstulit illos, eheu! avara mors: at quos viros? summâ pietate, fide, meritis in Remp. Christianam maximos: at quo tempore? alienissimo, quo videlicet ipsorum opera nobis, ah quid dico nobis? uni-

Digitized by Google

verso potiùs Christiano orbi, cumprimis futura erat usui. O durum & acerbum religionis Christianæ fatum! ô miserum & luctuosum Ecclesiæ Dei casum! Non licet, aut fas est, Auditores, hoc quidem tempore, in merita laudes q; tantorum virorum latiùs excurrere: alius enim & temporis & laboris hæc fuit cura & occupatio: unum tamen illud sicco pede ne præteream, ipsâ pietate prohibeor: quòd viventibus tribus istis Ecclesiæ luminibus, Collegis quondam meis desideratissimis, verè felix ac florens Academiæ nostræ fuit facies: quòd sub quadruplicato illo Collegij nostri Theologici jugo, utraq; & Academia & Ecclesiæ Cathedra rectissimè habuit: quòd deniq; tanta animorum conjunctio, sententiarum voluntatumq; consensio inter Collegas Theologos tùm viguit, quanta hoc quidem in mundo, vix in mortales cadere posse: & quantum non dico sperare, sed ne quidem optare ampliùs, fas esse videtur. Vulnera ex præpropera (humano si standum sit calculo) istorum morte Reip. Christianæ ferè lethifera inflicta, nondum coalescere, nedum cicatrices obducere cœperunt: & ecce tibi novam cladem, eamquè tergeminam: Unam ex beato Mylij obitu, ordini nostro sacro: alteram eamquè duplicatam ex præmatura morte Johannis Zangeri, & Ludovici Person., Jurisconsultorum, quâ prudentiam, quâ experientiam præclarissimorum, politico ordini illatam: utramq; profectò Reipubl. Christianæ & luctuosam & ominosam.

Equidem ingenuè fateor, crebris istis & verè fatalibus rerum nostrarum mutationibus, me ita affici, ita commoveri, ita omnem animi ardorem, quo me sub luctu isto nonnihil erigere queam, tanquam flumine quodam obrui & extingui: ut quid dicam, quò me vertam, unde ordiar, ubi desinam, vehementer ambigam. Ex abundantia tamen cordis os id loquitur, quod ex sacratissimo Psalmorum codice habet: Anima mea turbata est valdè: At tu Domine usq; quò? Siccine in luctu & squalore perpetuo anni isti nobis exigendi erunt? Quem eundē perturbationis affectum vos quoq; singulos & universos, animo mecum concepisse, nullatenus dubito: ita ut por-

tenti

Digitized by Google

tenti simile dicere ausim, si quem in tanto luctu à dolore vacuum viderem. Tu ipse, Serenissime Elector Christiane, cujus & in prosperis rebus spectata est moderatio, & in adversis animi magnitudo, in tantone luctu dolorē & gemitus cohibere potes? Ah qui posses? cùm cor illud alterum incliti Electoratus Saxonici, Academiam hanc puto Vitebergensem ob oculos tibi constituis: & præsens ejus fatum ad pristinam illam gloriam & dignitatem obiter saltem & perfunctoriè quasi appendis, quâ tantùm alias inter caput extulit urbes, Quantum lenta solent inter viburna cupressi.

Statuit hæc priùs, cum immortali nominis sui fama, plurima præclarissima Trophæa: & triumphum quasi egit de quibusvis Evangelicæ puritatis hostibus: sed ecce jam suis spoliata Anteſignanis, subsannationes & sarcasmos eorum audire cogitur satis virulentos: priùs terrori fuit hæreticis: nunc fabula eorum & ludibrium facta est: priùs in portu satis tranquillo laborū cursum tenuit longè optatissimum: nunc in ipsō portu jacet miserè fracta, disjecta, dilacerata. Certè hoc misero & fermè conclamato tempore non commoveri, non lugere, non ingemiscere, belluinæ cujusdam, & plùs quàm Scythicæ aut ferinæ foret immanitatis. Proinde quin mecū lugeatis, quin ploretis, quin lamentemini, non prohibeo: imò ut hoc studiosè faciatis, sedulò admoneo. Etsi enim malè ominari nolo, ea tamen imminere videntur tempora, quæ gravissimas, utinam ne Patriæ nostræ exitiosas mutationes haud dubiè allatura sunt. Verùm si modus est in rebus, si certi denique fines sunt: modus utique luctui etiam huic nostro statuendus fuerit: modus nimirum ille, qui in divini Numinis nutu ac voluntate placidè acquiescit: qui veniam delictorum pœnitenti corde expetit: qui denique pœnarum mitigationem à Deo Opt. Max. humiliter deprecatur.

Est quidem Deus judex severus: id quod magno nostro damno experimur: sed est & Pater misericors: etiam cùm ulciscitur, beneficus est: etiam cum pœnas exigit, misericors est: Ipse propitijs oculis respiciet fluctuantem Ecclesiæ naviculam: & scissuras ejus ita

Digitized by Google

sanabit, ne prorsus rimas agat, & tota fatiscat & dissereat: Ipse, ut cum Davide loquar, imposuit quidem cervicibus nostris jugum hoc satis durum & acerbum: sed capita inimicorum suorum conteret citò.

Quare non est, viri Jesuitæ, & vos reliqui, quod nostro hoc luctu exultatis, ut vos omni periculo jam liberatos, omni metu expeditos, omni curâ solutos arbitremini. Extincti quidem sunt illi, quorum authoritas & industria vesanum furorem vestrum frenavit: impetus sceleratos infregit: conatus nefarios repressit: sed vivit adhuc, vivit & vivet in æternum Christus Jesus, *Dux & summus Navarcha Ecclesiæ suæ; qui ipse ad clavum sedens, cursum ejus ita moderabitur, ut non modò non vestræ, sed ne inferorum quidem portæ adversus eam sint prævalituræ. Stat enim firmum & immotum illud Servatoris effatum: Confidite, ego vici Mundum.*

Sed his in præsentia missis, ad Mylium *redeo: cui justa hodiè pro more & consuetudine recepta, persolvi, & à me quidem persolvi voluerunt illi, quorum precib. honestè refragari nec potui, nec debui.*

Caterùm vos ipsi, qui propiùs novistis Mylium, *me etiam tacente, cognitum exploratumq; habetis, virtutum ac meritorum ipsius encomia, tantæ esse amplitudinis & excellentiæ, ut singula, non dico justâ oratione, exæquare, sed cogitatione saltem assequi, difficile prorsus atq; arduum sit.*

Proinde in immensa hac, quæ ad dicendum sese offert copia, pictores imitabor, qui, cùm in una tabula multa exprimere conãtur: quorundam saltem capita, aliorum corpora tota depingunt: sic ego summa sequens vestigia rerum, ea historicè magis delineabo, quàm Rhetorum more amplificabo, ex quibus de laudibus ac meritis Mylij *nostri, fieri queat judicium. Quod dum strictim breviterq; facio, benignas, uti cœpistis, aures mihi porrò præbere dignemini, vehementer etiam atq; etiam rogo.*

Jam

Digitized by Google

Jam verò primùm omnium non est, ut prolixam aliquis à me exspectet historiæ telam, quæ patriæ, quæ natalium, quæ parentum atq; majorum descriptionem contineat. Quanti enim nobis Christianis isthæc facienda, vel Christi Servatoris exemplo novimus: qui totius orbis imò cæli quoq; Dominus & Monarcha, obscurum tamen, abjectum & plerisq; nec fando priùs auditum oppidulum, in quo nasceretur, elegit: qui cùm Deus & Dei filius revera esset, faber tamen & fabri filius haberi voluit: qui cum omnia mundi hujus regna ac imperia manu suâ teneret: in stabulo tamen natus, vix ac ne vix quidem invenit, ubi suum reclinaret caput.

Sed neque externis etiam istis laudum præconijs Mylius *noster prorsus destituebatur. Patriam certè habuit, augustissimum illud Germaniæ meditullium,* Augustam *Vindelicorum: urbem tùm opibus ac magnificentiâ florentissimam: tum duobus alijs nominibus, longè celeberrimam.*

Uno, *quòd sacrosancta illa & in hunc usq; diem, Dei beneficio, inexpugnabilis Confessio Protestantium, Anno XXX. supra sesquimillesimum* Carolo V. *Imperatori exhibita, ab urbe hac denominationem longè augustissimam accepit, ut* Augustana *diceretur.*

Altero, *quòd sanctio illa pragmatica, quam vulgò pacificationem religionis, sive Transactionem Passaviensem appellitant, in Comitiis hac ipsa in urbe, Anno 1555. celebratis, ab Imperatore reliquisq; Imperij ordinibus solenniter confirmata fuit: eâ tum pace Imperio Romano restitutâ, quæ inaudito exemplo, diversissimarum religionum homines ita mutuò devinxit: devinctos obstrinxit: obstrictos consociavit: ut ipsius Imperij jugulum petere videri possit, qui pacis hujus conditiones quoquo modo violare, animum inducat.* Augustæ *ergò natus* Mylius, *Anno 1548. Patre Wolffgango, cive ibidem, & fabrò lignario: Avo Johanne Geringo, cui ex opificio, more gentis, Milleri appellatio cessit, quæ usu postmodum ita invaluit, ut Millerorum familia diceretur, quæ Geringorum esset propria. Claruit autem Johannes ille Geringius, insigni artis militaris peritiâ:*

Digitized by Google

ita ut Carolo Imp. eximiè charus esset: sub eodemq; Ducis sive Capitanei stipendia mereretur. Reliqua verò universa generis familia, mechanicis potissimùm studijs & artibus occupata, ignobiliore loco erat posita: pietatis tamen & honestatis laude maximè nobilis: ἀνὴρ μέ γὸ ἀγαθὸς οὐκ αἰ εἴη δυσγενὴς: ut Græcus habet Comicus.

M. Tullius pater illeRomanæ eloquentiæ, cùm ob Ciceronis cognomen dicterijs incesseretur, ab amicis admonitus, ut aliud sibi cognomen adsciscerct: respondisse legitur, se Ciceronis nomen illustrius effecturum, quàm esset Catonum, Catulorum, aut Scaurorum. Idem cùm generis & natalium ignobilitas ipsi obijceretur: respondisse fertur: Satius est meis gestis florere, quàm majorum opinione uti: & ita vivere, ut sim posteris meis nobilitatis initiũ & virtutis exemplum. Idipsum rectissimè respondere poterat Mylius noster, maleferiatis nõnullis Sycophantis, quibus partim ex Milleri cognomine, partim ex generis ignobilitate calumniandi materiam petere, in more hactenus ac consuetudine fuit positum. Millerorum enim cognomen illustrius ille effecit, quàm Jesuitarum, Cappuzinorum, & Monachorum ad unum omnium, unquam esse possit: sic suis etiam rebus gestis floruit, sic vixit, sic mortuus est, ut reverâ posteris suis Nobilitatis initium & virtutis exemplum extiterit.

Edidit rei hujus specimina primis statim adolescentiæ annis, quibus bonas literas ita addidicit, ut alios easdem docere, privatâ pædagogi operâ potuerit: quod bono suo experta est Hainzeliorum familia, nunquam satis laudata, & Patriciatu ibidem cumprimis nobilis. Nam quemadmodum in herbescenti segetum viriditate, certa propè spes futuræ messis apparet: sic vix quisquam Augustæ tùm erat, qui non jam inde à puero Mylium talem fore, qualis posteà fuit, facilè augurarctur. Ingenium enim quod à Deo planè divinum adeptus erat, ita per artes ac disciplinas, quibus tenuior illa ætas informari solet, excoluit, ut quæ discebat, non tàm à magistris accipere, quàm ipse ex se parere videretur. Ingenio respondebant mores, in illa ipsa ætatis teneritate graves, severi, compositi: humanitatis tamen ac facili-

Digitized by Google

facilitatis condimento ita temperati, ut eos, cum quibus conversabatur, & singulari quadam jucunditate sibi conciliaret, & exemplo suo ab omni improbitate avocaret. Jactis in patria bonarum artium & linguarum fundamentis, ad solenniores sive publicas illas Scholas, quas Academias appellitant, Anno 1566. concessit, & primùm quidem Argentinam: indè Tubingam, hinc Marpurgum: in quibus singulis ita vixit, ut juvenis senibus, tyro veteranis, novitius exercitatis, tanquam exemplum continentiæ, frugalitatis, obœdientiæ, & quæ summa rei est, minimè fucatæ pietatis proponeretur. Suspecta fortassis cuipiam tanquam ex privato amoris affectu profecta commendatio isthæc videri queat: prodeat ergò in medium inclyta Academia Tubingensis, & qualem sese Mylius noster non modò, ut studiosus adhuc adolescens: sed & jam ad ministerium Ecclesiasticum legitimè evectus gesserit, pleniùs edisserat. Sic autem habent literæ publicæ, quas Testimoniales vocant, sigillo itidem publico Facultatis Theologicæ communitæ.

Testamur hunc Georgium Mylium, cùm studiorum apud nos tyrocinia faceret, ea innocentia vitæ, integritate morum, observantia Præceptorum, studiorum assiduitate & vigilantia fuisse, ut statim omnes Professores in certam spem summi profectus sui erigeret. Nam cùm ad præclaram indolem, ea, quæ diximus, accedunt, pulcherrimos & exoptatissimos fructus ad benè beatéq; vivendum, & immortalem tandem gloriam suis possessoribus afferunt. Et sanè cum ijs indicijs virtutis & diligentiæ hic noster in ipsa adolescentia se omnibus commendaret, mox primam lauream est consecutus. Deinde ex hac meta legitimi curriculo, tanquam ex carceribus, ad magisterij in bonis artibus honorem contendere & aspirare cœpit: quem & suis felicissimis conatibus, & consentientibus suorum præceptorum suffragijs & promotionibus adeptus est.

Linguam Græcam cum Latina, & tandem cum his etiam Hebræam ita permiscuit, ut solidiorem doctrinam præclara fundamenta ponere-

Pari

Digitized by Google

Tari deinde diligentia, cura & studio, cùm ex scholis Philosophicis ad Theologicas transiret, usus est. Nam apud nos quadriennium totum & ampliùs, prælectiones Theologorum omnium qui in Academia nostra sacra profitentur, audivit: disputationibus se exercuit: sacris concionibus summa attentione interfuit: & interim Philosophiæ studia non neglexit: sed operam dedit diligentem, ut ea ad instituti sui accuratas, & aliquando Ecclesiæ profuturas rationes dextrè adjungeret. Neque sanè spes hæc vel ipsum, vel alios fefellit. Nam cùm in utraq; & Tubingensi & Marpurgensi Academia, ordinis & Famæ suæ fundamenta præclarè posuisset: tandem Anno 1572. in patriam Marpurgo revocatus est, & ordine sacro initiatus, inter Ministros Ecclesiæ locum inibi tenuit extremum. In qua statione cùm annos octo, magno cum Auditorum suorum fructu & commendatione, non modò plebeiorum: sed & Magnatum admiratione, sacra pro concionibus popularibus docuisset: de consensu & voluntate Ecclesiæ, Tubingam redijt, gradum in sacratissima scientia nostra Theologica summum petiturus.

Hic ergò cùm disputando, sacra cursim legendo, Professoribus omnibus & in accuratiore examine præclarè nobis satisfeciisset, in Doctorem Theologum X. Calend. Decembris, Anno salutis 1579. solenniter promotus est: brabeutâ Jacobo Heerbrando: Decano verò & Vice-Cancellario Theodorico Schnepfio, magnis illis Theologis, deq; Ecclesia Christi universa præclarissimè meritis.

Eat nunc personatus ille Sycophanta, Georgius Pomerius, & porrò, si lubet, impudenti mendacio q; calamo scriptitare pergat: vitam Mylianam ejusmodi sceleribus ac flagitijs conspurcatam fuisse, ut indignus planè fuerit, cui ad Cathedram vel Ecclesiasticam vel Scholasticam aditus patefieret.

Sed his nunc prætermissis ad majora & longè augustiora, & ea quidem, mea properat oratio; quæ Mylius noster, non cum multis communia, sed sibi quasi propria & singularia vendicat. Impetrato ergò gradu Doctoreo Augustam reversus Mylius, statim consentientibus

Digitized by Google

tibus votis ac suffragijs Ecclesiæ, idq; ratum habente inclyto Senatu Augustano, Pastor ad D. Annæ declaratur: atq; octo menses pòst Superintendens etiam Ministerij generalis, & Rector (uti vocant) simul Collegij Evangelici. Quæ officia singula atq; universa, diligentissimè summâ fide atq; dexteritate obijt: inq; id cumprimis dedit operam, ut Evangelij veritas adversus quorumvis hæreticorum, Pontificiorum cumprimis & Calvinistarum furores sarta-tecta adsereretur; Ecclesiæ disciplina incõcussa conservaretur: mores dissoluti ac diffluentes legibus coercerentur: Scholarum seminaria nova instaurarentur: vetera sed penè collapsa restituerentur: reditus eorundem ita administrarentur; ut primorum, uti vocant, Fundatorum mens atq; voluntas, diligenter ac religiosè observaretur. Verùm ò quàm verè Silius ille Italicus:

O dirum exitium mortalibus: ô nihil unquam
Crescere, nec magnas patiens exurgere laudes
Invidia?

Nam in sublimi hoc & quod eventus docuit, periculoso munere, quas inimicitias, quas minas, quæ pericula, quas famæ, vitæ ac capitis dimicationes experiri Mylius noster, necesse habuerit, non hominum modò fide dignorum, sed ipsa Templorum & Collegiorum pulpita ac parietes hodieq; attestantur. Cùm enim Mylius noster Spiritu & zelo armatus divino, abominationes meretricis Babylonicæ, Pontificis nimirum Romani detegeret: detectas verbo Dei reprimeret: repressas magno animo detestaretur; & gregem Domini suæ fidei commissum, docendo & ducendo à Pontificũ Romanorũ rabie vindicare niteretur: ecce tibi, Cœlum & terrã conturbare: crimen læsæ Majestatis Cæsareæ committere; seditionis tubam inflare: subditos ad arma contra Magistratum animare, ab Adversarijs dictus; concurritur: de capite & sanguine ipsius fiunt comitia: & nihil non tentatur, quod ad opprimendum, & è medio tollendum Mylium facere videbatur.

Digitized by Google

Sed tot tantisq; periculis, odijs, insidijs expositus ipse, animo minimè frangebatur: sed contrà audentior ibat: longè honestius sibi ducens, vel sanguinem profundere, quàm ullo pacto permittere, ut se vivo, de religionis Evangelicæ puritate vel tantillum minueretur: ut verè de ipso dici potuerit, quod alicubi Cyprianus habet: Non animum martyrio, sed martyrium animo ipsius defuisse.

Fato quodam, sed minùs auspicato tùm accidit, ut circa exitum Comitiorum, Augustæ Anno 1582. celebratorum, Filius ille perditionis, Gregorius XIII. *Pontifex Romanus, Novi alicujus Calendarij, quod Gregorianum vocari voluit, exemplū, ad* Rudolphum II, *Imperatorem invictissimum mitteret, eo fine, ut in Germanico etiam Imperio illud promulgaret. Sicuti cæteri orbis Christiani Reges & Principes in Italia, Hispania, Gallia, Belgico & Polonia se facturos receperant.*

Imperator Calendarium illud Principibus & Ordinibus Imperij observandum commendavit: sed plærique Principes & ordines Imperij, qui Augustanam Confessionē profitebantur, Calendarium illud recipere constanter recusabant: non quòd Cæsari morem gerere non cuperent: sed quòd Pontifex Romanus, editâ Bullâ (uti vocant) Calendarium illud, omnibus Christianis sub pœna Excommunicationis, recipiendum, authoritate Apostolicâ (quam sibi falsò arrogare solent Antichristi Romani) mandasset: Evangelici autem ordines Imperij, Romani Pontificis authoritatem, & dominium non agnoscerent.

Cæterùm cùm Pontifex Calendarij receptionem vehementiùs urgeret: Imperator quidem illud per Silesiam, Bohemiam, Lusatiam, Moraviam, & cæteras Austriæ utriusq; ditiones hæreditarias, instituit & servari voluit. Verùm Saxoniæ Principes, & cæteri Augustanam Confessionem amplexi ordines, in negativa constantissimè perseverabant: excepto Senatu Augustano, qui cupiebat Cæsari gratificari, in recipiendo Calendario Pontificio: etenim major & potentior pars Senatus ex Pontificijs constabat; Qui verò in urbe ex civibus

Digitized by Google

civibus Augustanam Confessionem amplectebantur, quorum sanè multò major pars erat, Calendarium Gregorianum, quippe à Pontifice Romano profectum, aversabantur.

Circa hoc ipsum tempus, Senatus suo quodam consilio, urbē conscripto milite præsidiario muniri curavit. Quo facto, in summis periculis, urbs Augusta versari videbatur. Cùm n. cives plariq; opinarentur, Magistratū dissidiū illud de Calendario, vi armisq; diremturū: milites verò ipsi (quæ solet esse hominū istorum natura) prædæ atq; rapinis vehementer inhiare viderentur: Cives partim bona sua atq; clinodia peregrè avehere, partim conductis in suas domos præsidiarijs, sua tutari, vectib. portas atq; ostia ædiū communire, armis & bombardico apparatu se instruere cœperunt: non quidē seditionis alicujus movēdæ, sed tantùm hostilis alicujus, quam ex Jesuvuitarum consilijs non omninò frustrà metuebāt, irruptionis propulsandæ gratiâ. Rei istius invidiā universam in Myliū præcipuè devolvebant Pontificij: ita ut in aula non tantùm vicina Bavarica, sed & Imperatoria, fax & autor turbatæ Reip. Augustanæ proclamaretur: Romæ v. imago ipsius publico in loco affixa, summis tractaretur contumelijs: Jesuvuitis interim nihil non per fas nefasq; tentantib., quò sub prætextu Calendarij Gregoriani, doctrinæ Lutheranæ sive Evangelicæ jugulum peteretur: & universa urbs pristino illo servitutis Pontificiæ jugo implicaretur. Negant hodiè hoc ipsum Jesuvuitæ, & quæ effrenis istorum hominū mentiendi, simulandi & dissimulandi est licentia strenuè negant, tale quid ab ipsis eo tempore deliberatum, gestum factitatumq; fuisse. Qua in parte succenturiantem habent personatum Pomerium, qui & ipse falsâ omninò suspicione, deceptos fuisse Evangelicos, impudenter garrit.

Sed quàm vera, aut falsa hæc fuerit suspicio, quàm vanus aut justus fuerit metus ille, quem ex consilijs Jesuvuiticis Evangelici conceperant: res ipsa quod ajunt, loquitur: & quorundam scripta atq; literæ luculenter attestantur. Placet ex multis pauca delibare, ut

Digitized by Google

stupenda tùm Jesuvuitarum, tùm Pomerij vanitas & impudentia clarius innotescat omnibus.

Cùm Augustæ de aperiendo Collegio Jesuvuitico consilia agitarentur, & hujus rei copia ab Imperatore & Pontifice exoranda esset, inter reliqua Informationum capita, jussu Cardinalis Novocomensis, per Doctorem Nicolaum Elgardum, Cardinalibus congregationis Germanicæ exhibita, etiam isthæc continebantur:

Diligenter cum Catholicis Senatorib. Augustanis conferendũ, dum S.D.N. hoc modo (nempè per apertionem Collegij Jesuvuitici) Ecclesiæ Dei consulere vellet, annè majora incommoda, tumultus, seditiones, aliáq; pericula timeri possent: vel, si quæ forent metuenda, anne talia essent, quæ ipsorum consilio, authoritate & potestate sedari & amoveri possent.

Augusta si esset Catholica, vicinos Catholicos, Imperij tranquillitatem, & causam Religionis multùm posset juvare.

Sub pallio Confessionis Augustanæ omnes hæreses irrepserunt. Si Augustæ tàm notabilis fieret reformatio, omnes divinitùs factũ crederent, ut unde initium erroris, inde principium reformationis oriretur: Quod Catholicis magnæ consolationi: hæreticis esset terrori.

Multi principes & civitates excitarentur & conformarentur ad imitationem, præsertim cùm intelligerent, hoc institutum Sanctissimi Domini nostri authoritate ratum ac confirmatum esse.

Si aliter domus David pacem non potuit habere nisi per mortem inobœdientis filij Absolon: oportuit parentem Filium peremtum dolere, & de pace regni gaudere. 23. q. 5. Quis enim.

Deus vult ut corrigamus malos (hæreticos Lutheranos) si nolumus, ipse corriget ipsos & nos 23. q. 4. Si quis igitur.

Porrò in propositione, de hoc ipso negocio ad Pontificem habita, hi etiam flosculi, Spiritum Jesuvuiticum satis manifestè respientes, fuerunt proditi: Si civitas Augustana tota in hæresin abeat, quod

propè

Digitized by Google

propè est, nisi magnâ vigilantiâ, necessariisq; mediis caveatur, non tantùm Clero & civibus Catholicis, sed vicinis principibus, atq; ipsi Imperatori, plurimum periculi orietur. E diverso, si hæc civitas conservetur, & Reformatione incrementum sumat, non tantùm Clero Catholicisq; civibus: verùm etiam Catholicis principibus, Imperatori, adeoq; sedi Apostolicæ apertissima commoditas & accessio fiet. &c.

Præterea Pontifex ipse Gregorius XIII. literis ad Augustanum & Frisingensem Episcopos, de hoc ipso negocio datis, quem in finem societas Jesuitica intra urbis Augustanæ pomeria recipienda esset, haud obscurè significavit: sic inter cætera scribens: Venerabiles fratres &c. ob singularem paternum affectum, quo regionem Germanicam ipsam, præsertim autem insignem ipsius Imperij civitatem, Augustanam prosequimur, omni studio & operâ nobis elaborandum esse, jure censemus, ut ab erroribus revocari, & ad antiquam pietatem reduci queat.

Quod ut ex animi nostri voto feliciter succedat: operæ pretium esse duximus, in illis partibus, viros religione, pietate & sacrarum literarum scientiâ conspicuos constitui, qui suggerente & cooperante Domino pristinum veræ religionis cultum & fidei orthodoxæ veritatem restituere ibi studeant, quales experientia rerum magistra esse, jam pridem docuit religiosos viros venerabiles societatis Jesu, &c. adeò ut magnam spem restauranda hoc medio veræ Religionis, in prædicta civitate conceperimus, per ministeria ipsius societatis, &c.

Quid? quòd in ipsa urbe Augusta ex Catholicis facilè primarij ad Cardinalem quendam scribere non dubitarunt.

Si Augusta nostra opibus atq; omni armorum genere referta, per incuriam & somnolentiam nostram à Lutheranorum impia machinatione occuparetur: tùm profectò vicinis, imò omnibus passim in Germania Catholicis summum inde periculum immineret. Contrà verò, si Augusta in fide Catholica & Obœdientia Imperij conservaretur, vicini Lutherani parùm efficere & incommodare

Digitized by Google

possent: cùm vel ex hac sola civitate omnis illorum conatus opprimi & ipsi unà cum sua religione, si res ita postulet, funditùs extirpari faciliùs possint.

Et post pauca: Si Jesuvitæ Cœnobio Dominicano potirentur, conduceretur hoc tùm ad præsentes sectas pestiferas Ex hac Rep. Potenter *eliminandas & profligandas: tùm ad confirmandam & propagandam hic Ecclesiæ Romanæ doctrinam & obedientiam.*

Insuper neq; obscurum erat, vel esse poterat, quàm seditiosis literis Petrus Canisius Oeniponte, & Gregorius Rosephus, Jesuvvitæ, Augustam ad quendam magni nominis & authoritatis virum Catholicum, quem iste Angelum Augustanæ civitatis appellitat, scriptis, frigidam suffundere studuerint. Canisius sic inter reliqua: De Augustano negocio multis monere non attinet, quod sapientiæ vestræ si Augustæ esset, præsentia multò sanè melius habere posset. Nam ex literis nostrorum intelligo, rem non optimo loco esse, & incerta fluctuare consilia, quia difficili navigationi desit peritus Nauclerus: Ideoq; majorem in modum petunt & rogant, ut suum reditum præstantia tua, quoad ejus fieri potest, maturare dignetur. Nec enim expedit sanè tanti negocij fundamenta probè jacta deseri, & causam bonam malè promoveri &c. Hoc unum precor, ut se quàm primùm (tua præstantia) Augustanis reddat, ac bonorum desiderio, qui rem feliciter cœptam finiri tandem exoptant, pro sua pietate, satisfaciat.

Gregorius verò Rosephius, eundem Catholicum Augustanum Viennæ Austriæ tùm subsistentem, his verbis animare non dubitavit: Wolan/ so lassen vns den E. G. noch ein *Specimen* sehen jres Eyfers/ die jetzt mündlich vnd persönlich bey Käys. May. können außrichten/ was sonsten mit grosser mechtiger mühe schrifftlich geschehen. Sie wollen noch vor jrem Ende das liebliche Schwanen gesang tichtē/ vnd (N.B.) diese herzliche *impressa* thun. *Et mox post aliqua:* Richten E. G. jtzt etwas dapffer aus/ wie mir nit zweiffelt/ dann man je einmal muß zum Ende kommen/ so kan man wol sagen/ daß nach GOtt/ E. G. ein Anfenger vnd Vollender sey dieses

Digitized by Google

ſes groſſen Wercks/daraus dann erfolget/ das alles guten / ſo da möchte geſchehen/ſie theilhafftig ſeyn werden/hie vnd dort. *Et rurſum poſt pauca*: Nun zum Beſchluß/nenne ich E. G. *Angelum* / *Auguſtanæ Civitatis* die wollen dapffer ſtreiten/*contra antiquum ſerpentem* vnd die *Occaſion* nicht aus der Hand laſſen.

Vbi jam, Pomeri, tibi os, ubi frons, ubi pudor tuus? qui usq; adeò impudenter ſcribere non exhorreſcis, tùm Miniſtros, tùm Auditores Evangelicos, falſis præconceptis judiciis, fruſtrà ſuſpicatos fuiſſe, de ipſa Religione Lutherana ex urbe Auguſta profligandâ, à Pontificijs conſilia agitari. Sed ut ad σύρραξιν illam de Calendario Gregoriano redeam, cùm conſilia iſthæc Jeſuvitica, quibus, mediante brachio ſeculari, Confeſſioni Auguſtanæ compedes injicere, doctrinæ Evangelicæ jugulum ipſum petere, pios veritatis confeſſores ſedibus ejicere, ſummo ſtudio annitebantur, minimè obſcura eſſe poſſent: certè neq; Mylius noſter, neq; cæteri ipſius Symmiſtæ in Calendarij receptionem ita facilè conſentire poterant: niſi veritatem Evangelij, libertatẽ Chriſtianam, Eccleſias deniq; imò animas fidei ſuæ commiſſas, temerè & impiè prodidiſſe videri voluiſſent. Re ergò probè deliberatâ, non vi, non minis, non armis: ſed conſilio & precibus cauſam egerunt ſuam, tùm domi apud Magiſtratum ordinarium: tum foris apud Imperatorẽ & quidem in Camera Spirenſi Imperiali: donec tandem legitimâ via atq; ratione Mandatum impetraverunt, Imperatoriâ authoritate munitum, quo veteris Calendarij uſus, poſthabito novo, exemplum cæterarum Auguſtanæ Confeſſioni adjunctarum Eccleſiarum ipſis concedebatur. Cæterùm cum Senatus in judicio Imperialis Cameræ opponeret, ſe nihil contra pacem Religioni datam moliri, ſed politicis tantùm cauſis moveri, ut videlicet commercia uſitata cum vicinorum principum & Epiſcoporum, qui illud recepiſſent, ſubditis commodiùs exerceri, & in urbe omnis generis confuſiones in judicijs, nundinis, macellis, opificum tabernis, ex diſſimilitudine Calendarij orientes, vitari queant: aliud Decretum *in Camera, quo prius illud annihilabatur, ineunte Majo obtinuerunt.*

Quod

Digitized by Google

Quod cùm Augustæ promulgatum esset, Ministri Evangelici, quorum Mylius *noster Præses sive Superintendens erat, scripto Senatui explicant, se in omnibus politicis negocijs Decreto parituros esse: sed in templis, ac festorum celebratione, & Evangelicæ religionis suæ exercitijs se nullam Obœdientiæ Pontifici Romano præstandæ significationem præbere posse. Ideoq; die 24. Maij, pro concione festum Ascensionis Christi, proximâ die 28. Maji, celebrandum auditoribus suis denunciant, quod uno mense antè Pontificij jam peregerant.*

Hanc denunciationem ægerrimè ferens, Senatus postridiè, die nimirum 25. Maji, qui Vrbano sacer est, Mylio *officium ac stipendium circa meridiem renunciat: cumq; extra urbem educi mandat: in quo dum moram præfectus vigilum nectit; cives recognitâ, primò inermes, posteà armati concurrunt, & Pastorem suum jam currui impositum, prope urbis portam eripiunt. Quam mirandæ suæ liberationis historiam, ipse* Mylius *his verbis, in suo ad Epistolam Pauli ad Romanos Commentario, delineare voluit.*

Die hac ipsa 25. Maij admonitus non sine ingenti animi mei gaudio cum gratissima Divini Numinis veneratione recordor liberationis miraculosæ: quam mihi annis ab hinc sex in patria mea benignissimus Servator meus JESUS præstitit, cui annua hujus beneficij commemoratio à me, dum vixero facienda, dudum religioso voto nuncupata est. Exosus eram longo tempore Jesuvvitarum cohorti, & universo cætui Pontificio, præ alijs omnibus Collegis meis, quos habebam plerunq; quindecim. Postremo biennio ad crudelia & sanguinaria consilia ab ipsis descensum fuit, varijs excogitatis machinationibus, quas divinitùs elidi cum dolore multoties senserunt.

Cumq; rem ipsam extremo etiam periculo sibi tandem esse periclitandam existimarent, missâ cohorte armatâ militum, cum conjuge gravidâ, & partui jam vicina pransurum, opprimi, apprehendi, capi & abduci voluerunt.

Integer-

Digitized by Google

Integerrimum mihi erat, elabi ex eorum manibus, aut vi etiam me tueri, si voluissem. Sed voveram Domino, *quia integro ferè biennio sors hæc singulis noctibus expectanda erat, quam ego graviter metuebam, propter mendacia & latrocinia Jesuvuitarum, qui me nescio quò abstrusum, aut torturâ enecatum, vel horrendorum criminum confessorem, vel Christianæ fidei ab negatorem esse factum commenturi fuerant: voveram, inquam,* Domino *meo, si interdiu me in manus hostium venire pateretur, me ope ipsius adjutum, ad carcerem, ad torturas, ad crucem, ad ignem, ad necem parato animo secuturum.*

Abductus ergò fui domo meâ, avulsus à conjuge & liberis, abreptus ex gremio charissimæ Ecclesiæ, non tantùm armatâ stipatus militum cohorte, qui abductum cingerent: sed varijs hinc inde militum præsidijs cinctus, qui urbe educendo omnem humanæ liberationis spem mihi intercluderent. Erant in conspectu meo non tantùm ad excubias collocata: sed in acie instructa etiam posita aliquot Hispanorum militum signa, tormenta majora mœniorum & portæ vicinæ displosioni parata: Et ne extra portam abducto ex civium auxilijs ad me vel tantillum pertingere posset, octo reliquæ urbis portæ occlusæ omnes: nona verò, per quam educendus eram, sic præsidio militari, tormentis alioq; apparatu instructa, ut me transeuntem secuturus nemo fuerit. Jamquè ad fossam foris constituta rheda erat, quæ per Bavariam in Italiam me abduceret, & celeribus equis vecti urbe exierant, qui Romæ adventum meum nunciarent.

Ecce mihi ἀπὸ μηχανῆς θεὸς, qui immissâ paucorum juvenum, plærorumq; etiam inermium manu, tantum tamq; panicum terrorem militaribus præsidijs incutit, ut me ex manibus suis eripi atquè avelli patiantur. Pro qua liberatione laus sit tibi sempiterna, benignissime Jesu. Ego in te speravi Domine, dixi: DEUS meus es tu: In manibus tuis sortes meæ: Eripe me porrò etiam de manu

Digitized by Google

inimicorum meorum: imò eripuisti me: fiat ergò sententia, & spes firmissima: Tu porrò etiam me eripies, Amen.

Hactenus Mylius *ipse, qui mirabiliter sic è manibus hostium ereptus, illâ quidem adhuc vesperâ conjugi & liberis restituitur: sed ita ut vix paucarum horarum usurâ in mutuos amplexus ipsis concessâ: postridiè non sine præsentissimo vitæ discrimine, mutato habitu itineri se accingere, & Patriæ charissimæ valedicere coactus fuerit. Diu a. multumq; hæsitans, quò se verteret, & ubi tutiorem pedem figere posset: tandem suasu & hortatu amicorum,* Ulmam *Sueviæ Metropolin concessit: civib. & Senatorib. illius urbis non ut amicum, sed ut filium & fratrem ipsum suscipientibus: quem admodum ipsemet literis ad ministerium Augustanum scriptis, multis id deprædicat.*

Cæterùm vix Ulmæ pedem figens Mylius *accepto nũico de morte Conjugis Barbaræ Grundleriana, matronæ longè honestissimæ: quam annis 11. antè in matrimonium sibi jũxerat: accepto, inquam, tristissimo hoc nuncio de morte conjugis: nec hujus tantùm, sed & sobolis, in novum, eumq; longè acerbissimum mœrorem conjicitur: quem ipse ijsdem literis ad Ministerium Augustanũ exaratis hunc in modum satis tragicè exprimere voluit: Heu miseram illam, & flumine lachrymarum deplorandam diem, quâ ego ex vestro consortio subitò exemptus, è complexu mœstissimæ uxoris, & suavissimorũ liberorũ, è conspectu amicorum omnium, denique ex gremio quasi, aut quod ipsum verè dixerim, ex corde & meditullio meæ afflictissimæ Ecclesiæ abstractus atq; revulsus sum.*

Miseriorem verò & miserrimam planè illam diem, quâ soboles tenerrima sui sanguinis baptismo tincta Martyrium citiùs, quàm ipsam penè vitæ hujus miseriam subijt. Tristissimam autem diem illam, quæ mihi vitæ hujus arumnosæ sociam, exilij comitem & solamen fidiss. eripuit, & afflictissimo etiam afflictionem attulit, quâ major in humanis rebus mihi contingere nulla potuit. Quib. omnibus ca-

Digitized by Google

bus coacervatis & quasi accumulatis & conglomeratis calamitatibus, nisi me Deus mirabiliter voluerit esse superstitem simul omnes unâ vice ferendo esse non potero.

Verùm consolationis materiam ex hoc ipso, licet tristissimo facto satis efficacem petere solebat Mylius noster, quoties apud animum expendebat incredibilem illam animi magnitudinem, quâ tùm acerbissimos partus dolores, tùm mortem ipsam conjux superavit. Nam jam jam ex hac miseriarum valle discessura, devictis partus doloribus pro duobus insignioribus beneficijs, divinitùs in se collatis, inter cætera Deo devotissimas agit gratias.

Alterum erat, quòd Dominum & maritum suum non tantùm ex faucibus Draconum & Leonum, singulari Dei providentiâ ereptum audiret: verùm etiam ipsum præsentem suis oculis adhuc conspexerit, & maximo cum desiderio, suos ultimos sermones cum ipso contulerit.

Alterum, quòd Pater misericordiarum ante postremum agonem sibi dolores partus acutissimos, non tantùm mitigaverit, sed quasi removerit: simul hoc addens: se cum sobole veros esse Christi martyres: Quoniam ipsa de propria salute per Christum impetrata, nihil dubitaret: & suam sobolem certò statueret in utero Salvatoris Christi tinctam sanguine, secum æternæ beatitudinis esse hæredem.

Tandem in hosce sermones oculis jam caligantibus erupit magno animo: Scio, quod Redemtor meus vivit, & scio, quòd ejus hostis Satan magnum contra dilectum meum Dominum & maritum concepit furorem.

Ut igitur furor ejus infringatur, maturabo jam cum sobole mea ad CHRISTUM, judicem vivorum & mortuorum: ut tanquam duo legati simul ambo supplicem offeramus justo judici, pro marito & patre intercedentes, ne suum indefessum & fidelissimum ad Ecclesiam legatum deserat, sed tueatur &

Digitized by Google

defendat, & meam, sicut & dilectissimæ sobolis, Martyris sui, vindicet injuriam: & simul clementer prohibeat, ne crudeles hi tyranni, in furore suo, alia quoq; Christi membra dilanient. Quibus prolatis, placidissimè in Domino obdormivit.

Tanta autem hominum frequentia funus comitabatur, ut Templum Crucianum, satis alioquin amplum, in quo funebris habebatur Concio, vix tertiam partem comitantium caperet: tantus per plateas undiq; exaudiebatur ploratus, ut plerorumq; etiam virorum oculi lachrymis maderent: indices singularis illius favoris, amoris & desiderij, quo Mylium extorrem prosequebantur.

Sed priusquam cum Mylio ad reliquam vitæ ipsius historiam progrediar, silentio hoc loco involvere nec possum nec debeo, incredibilem illam animi moderationem, quâ tùm Ecclesiarum Ministri, tùm cives Evangelici (licet ilia crepent Pomerio) sub hoc tempestate uti voluerunt. Nam si vim vi repellere, si consilia Jesuvuitarum sanguinaria, si artes Sinonias, si calumnias atrocissimas, quibus Religionem, Ecclesias, Doctores, conjuges, liberos, vitam fortunasquè suas, satis hostiliter peti videbant, armis propulsare: si denicq; occasione in manus ultrò quasi datâ longè commodissimâ uti voluissent: certè facilimo momento, non modò jugo Pontificio se penitùs exolvere: sed & universam illam societatem Jesuvuiticam, quæ nil nisi cades & sanguinem spirabat, cum tota illa cohorte Hispanica, urbe ejicere, profligere, imò funditùs delere potuissent.

Verùm animis ad patientiam & moderationem compositis, & carnis motibus sub obsequium pietatis captivatis, locum relinquere maluerunt Pastorum suorum vocibus & consiliis: ex scripturis subinde acclamantium: Ne quæratis ultionem, nec memores sitis injuriæ: ne dicatis: Quomodo fecerunt nobis, sic faciemus eis: sed Domino vindictam: ipse retribuet. Lev. 19. Prov. 25. Deut. 32.

Diogenes Philosophus interrogatus à quodam, quo pacto deberet, & posset ulcisci inimicum: respondisse fertur: si teipsum probum & hone-

Digitized by Google

& honestum virum præstiteris. Hoc ipsum cives Augustani Evangelici rectissimè statuent: se tùm maximè vindictam sumsisse de inimicis suis, quando probos, honestos & pacificos cives sese exhibuerunt: neq; cùm potuissent, in vitam ac sanguinem hostium savierunt. En verò tibi spiritus Evangelici, & mederationis Lutheranæ illustre & prorsus memorabile exemplum. Deum immortalem, si consilia ad nutum atq; voluntatem Iesuvvitarum cecidissent: si eadem oblata ipsis fuisset, profundendi sanguinis Lutherani occasio: si victoriæ trophæum tàm certò sibi polliceri potuissent: certè vel uno illo die tristiorem lanienam inclyta Augusta experta fuisset, quantam unquam vel Lutetia Parisiorum, vel Antvverpia Batavorum experta est: ita ut non singulæ tantùm ædes sed singularum ædium singula conclavia: imò singulorum conclavium, singuli parietes Lutheranorum sanguine maduissent: neq; Iesuvvitæ quicquã aliud, quàm illud Caligulæ in votis habuissent: ô utinam universus Lutheranorum cœtus, unam tantùm haberet cervicem, ut uno ictu simùl omnes interficere possemus.

Sed ad Mylium redeo, qui Vlmæ subsistens nihil priùs aut antiquius habuit, quàm ut tùm ab ipso ministerio Ecclesiastico, tùm à præfectis Ecclesiæ testimonia vitæ & laborum impetraret: quæ etiam impetravit maximè honorifica: ita ut pudorem cum omni pietate exuisse meritò videri debeat, fictitius ille Pomerius, qui diversum de Mylo vulgo hominum persuadere, mendaci calamo conatur.

Quantis verò officijs & beneficijs ab Vlmensibus toto eo, quo eorum hospitio utebatur, tempore affectus fuerit: ipsemet nunquam satis se prædicare posse, aliquoties testatus est. Duorum autem potissimùm beneficiorum se subindè recordari, in Epistola ad quendam amicum, ingenuè confessus est: Quorum alterum à Senatu amplissimo in se profectum sit, qui patriá profligatum, patriâ donaverit alterâ. Neq; enim alio quàm patriæ loco ipsi esse poterat habitatio, quæ ipsi exuli & hostium insidijs ac persecutione undiquaq; petito, tùm tuta, tùm honesta, tempore benè longo Vlmæ concedebatur. Alte-

Digitized by Google

rum à viris illis, non ortu magis, quàm virtute, prudentia & meritis in Remp. Nobilissimis, Dn. Daniele Schadio seniore, urbis tùm prætore: jam emerito: & Domino Johanne Rodolpho Ehingero Reip. Advocato fidelissimo, ipsi exhibitum. Vterq; enim præ alijs Mylio à patre, & matre tum derelicto, non Patronum magis, quàm patrem longè paratissimè sese præbuit.

Durante pathmo Ulmensi alteras celebravit nuptias, cum laudatissima virgine Veronica ex familia Weissiana: patriciatu Augustæ valdè celebri: vidua nunc mœstissima: vel hoc pacto, variarum ærumnarum ac malorum levamine quodam recreatus. Quanquam Deus & multis signis alijs, paterni sui favoris argumenta, tùm quoq; elucere voluit. Nam è patria ejecto, & ex statione Ecclesiastica Augustana profligato Mylio, Deus non de uno, sed pluribus distinctis, ijsq; longè præclarissimis provincijs, paternè prospexit: ita ut tùm à viris Principibus summis, tum à Rebuspublicis nobilissimis expeteretur. Suum enim volebant esse Mylium Argentinenses: suum Brunsvicenses, vivente adhuc incomparabili illo Theologo Doctore Martino Chemnitio: in cujus vel solo conspectu & admiratione, magnam felicitatis suæ partem positam fore rescripserat Mylius: suum denig; volebat esse Augustus ille verè Augustus Elector Saxoniæ: qui voti etiam sui præ cæteris compos, huic ipsum Academiæ Professorem, Cancellarium & Præpositum Templi arcis constituit, Anno Christi 1585. mense Junio.

Hæc sanè verè augusta vocatio uti Augustani Exilij compensationem haud mediocrem attulit Mylio: Ita ipse nihil studio, nihil labori, nihil operæ fecit reliquum, quô Spartam, quam nactus esset, præclaram, egregiè exornaret: sacrosanctæ Religionis Christianæ mysteria sincerè proponeret: gregem Domini, suæ commissum fidei, à Jesuvitarum & Calvinianorum insidijs tutum præstaret, & summatim loquendo, divinum illud Lutheranæ puritatis depositum ita assereret: ut quamcunq; laudem consecuturus sit: illam sinceræ

pietatis

Digitized by Google

pietatis ſtudio commeruiſſe: & quodcunq; odium ſubiturus, illud patrocinio veritatis contraxiſſe, videri poſſet.

Verùm uti rerum omnium viciſſitudo eſt, & ut Poëta canit, magni brevis eſt fortuna favoris: ita neq; Mylius *ſingulari illâ Electoris clementiâ: neq; Eccleſia pace ac tranquillitate illâ diu frui potuit. Nondum enim annus unus abierat, cùm fato nimis triſti & acerbo invivis eſſe deſineret* Auguſtus, Auguſtus, *inquam, Dux & Septemvir Saxoniæ, qui ceu alter ſeculi noſtri ſive Joſias ſive Hiskias, curâ ingenti, impenſis maximis, labore immenſo* Formulæ Concordiæ *aureo in Eccleſiis Evangelicis conſtituto trophæo, tanto ſeculum ſuperius beneficio affecerat, ut majori nemo quiſquam potuerit.*

Occaſione hac arreptâ infenſiſſimus ille generis humani hoſtis Diabolus, antiquam illam, Sacramentariam nempè fabulam, in harum regionum Eccleſiis ludere: novas iterum Tragœdias excitare, conſilio planè infeliciſſimo cepit. Etſi enim in Eccleſia atq; Scholis pacata erãt univerſa, conſtitutionum atq; legum optimarum repagulis omnia firmiſſimè circumſcripta: Princeps ipſe, Chriſtianus I. *pater Imperij, & Electoratus Saxonici hæres & ſucceſſor unicus, de religione rectiſſimè ſentiens: conſenſus denicq; Ordinum omnium Provincialium longè maximus: non tamen defuerunt tùm in aula, tùm in Academia quidam Sinones, qui progreſſu temporis, varijs artibus atq; dolis optimum optimi principis animum ſibi devincirent: in mores mentemq; ab inſtitutione paterna alieniſſimam inflecterent: nobiles atq; aulicos, quin provincialium præcipuos, qui in magno quondam vivente* Auguſto, *dignitatis faſtigio conſtituti erant, exoſos Principi redderent: viros bonos, deq; Eccleſiis & Scholis optimè meritos, ſuis dignitatibus atq; officiis deturbarent, vel ita minis ſaltem territarent, inſidijs circumvenirent, dolis ſupplantarent, periculis denicq; concluderent, ut aut elidere atq; excutere ipſos, cùm vellent, facilimè poſſent: vel non excuſſos atq; eliſos maximè, curis tamen emacerarent & conficerent.*

Cui

Digitized by Google

Cui infelicissimo instituto maximè profuturum confidebant isti homines, Mandatum illud verè Sinonium, veritatis religionisquè Christianæ planè proditorium, quò primum silentium imperabatur Ecclesiæ ministris, scholarumq; professoribus, ne pro suggestu aut cathedra verba facientes lupum Sacramentarium proprio nomine appellare in animum inducerent: deinde, ne cuiquam fas esset, de rebus sacris sive Theologicis in publicum quicquam emittere, nisi ad aulam prius missum, hoc est, ab hominibus illis Calvinianis approbatum fuisset.

Effectus & eventus actionis istius Sinoniæ mox deprehensus fuit is, ut Liber Christianæ Concordiæ, tanquam plenus erroribus, & omnium discordiarum materia publice proscriberetur: Augustanæ Confessionis prototypon imperfectionis, obscuritatis, timiditatis, quin & hæresεon accusaretur: Lutherus partim tanquam rigidus & turbulentus Pfaffus, atrocissimis calumnijs & convitijs impunè proscinderetur: partim defectionis sub obitum ad castra Sacramentariorum, palàm insimularetur: Calvinismus denique pedetentim magis magisq; Ecclesiis & Scholis, sub specioso corporis doctrinæ Philippici prætextu, callidè & astutè obtruderetur.

Unum tùm obstare videbatur, quò minùs aperto Marte rem tentare auderent: nempè Triga illa præclarissimorum Theologorum, qui tum in hac nostra Academia, magno Zelo, ac spiritu, Consilio, vel dolis potiùs Calvinisticis obstruebant. Proindè vel levissimâ oblatâ occasione, autores suasoresq; Optimo Electori fuerunt, ut in eorum dimissionem paratissimo animo annueret, quos magno etiam sumtu Augustus retinendos esse, arbitratus fuisset.

Nam circa finem Anni 1586. cùm magnus ille Theologus, dequè Ecclesia hac & Academia optimè meritus, & adhuc hodiè merens, Polycarpus Lyserus, *aliud fortasse agens, conditionis haud contemnendæ occasionem sibi ad Brunsvicenses obtingere, datis ad aulam literis ostendisset: responsum mox sed prorsus inexpectatum accepit,*

Digitized by Google

accepit, ut frueretur, quam sibi oblatam putaret, felicitate: Ecclesiæ Vitebergensi de alio Pastore prospectum iri. Quod responsum missus à Senatu oppidano legatus ad Aulam, pro retinendo Doctore Polycarpo, mutari non potuit: obstantibus vafris Calvinianorum consilijs & machinationibus.

Vix D. Polycarp. magno cum mœrore ac desiderio nostrorum civium Brunsvigam concesserat: & ecce per peculiare quoddam decretum, in arce hujus oppidi publicatum, insignis Theologus Doctor Johannes Matthæus, ob scripta fortassis orthodoxa, quæ magno Zelo atq; Spiritu adversus vicinum Servestanum Sacramentarium Wolffgangum Amelingum in lucem ediderat, ab officio removetur. Fuit ipsi hæc res, senectâ jam satis maturâ, quamvis vegetâ, gravissimi mœroris causa: quem tamen sic lenire voluit DEUS, ut decimâsextâ post dimissionem die, ulcere, quod Medici Anthracem vocant, circa occiput infestatus, ex hac Vitebergensi, in cœlestem & beatam Academiam magno cum multorum mœrore avocaretur.

Quam ipsam fortunam, sub alio tamen schemate expertus etiam Mylius noster. Nam cùm ad normam Corporis doctrinæ Philippici in obeunda investitura cujusdam Theologi, in Ecclesia nostra Parochiali, publicè inaugurandum astringere detrectaret, id ipsi præmij obtigit, ut statim Cancellariatus munere atq; dignitate exuto, de stipendij annui solario, unâ vice sexcenti floreni adimerentur: & paulò post à Ducibus Saxoniæ Vinariensibus & Coburgensibus expetito, mox hinc discedendi venia atq; potestas, & quidem nihil rerum istarũ conscio, nedum requisito, non tàm concederetur, quàm mandaretur.

Sic ergò relictâ Vitebergâ Jenam concessit Mylius, Anno Ch. 1589. die 12. Februarij: desiderium sui, tùm apud cives, tùm quosdam Academicos, relinqnens longè maximum.

Cæterùm qualem sese in obeundis muneribus, quib. Vitebergæ

præfectus fuerat Mylius, *gesserit: testatur diploma illud Academiæ cum sigillo publico confirmatum, pridiè antè discessum* Mylio *sub Rectoris Academici nomine communicatum: quod inter reliqua sic habet:*

Cùm ante annos fermè quatuor, Reverendus & Clariss. vir, ac S. Theologiæ Doctor & Professor, Dn. Georgius Mylius *Augustanus, Collega & amicus noster charissimus, ad societatem operarum in hanc Academiam, authoritate & jussu laudatissimi Principis, Electoris* Augusti *Ducis Saxoniæ, &c. cujus memoria in æterna sit benedictione, vocaretur, & præter concionandi profitendiquè partes Cancellarij quoq; munus in Academia & præpositura in Templo arcis ei committeretur: non tantùm excellentem doctrinam, in omni literarum varietate, & singularem dexteritatem in concionando, profitendo, disputando, conferendoq; sententias, verùm etiam memorabilem industriam, diligentiæ assiduitatem, & fidem in conficiendis negocijs, & communicatione officiorũ in ipso perspeximus. Quæ dona quàm sint rara, & tamen necessaria, tàm gravem functionem gerenti, nemo est, qui non intelligat.*

Erga nos Collegas suos talem se gessit in omni officio, ut nihil unquam arroganter, nihil temerè, nihil ab honestate alienum susceperit.

Ob quas virtutes haud vulgares, optassemus nobis diutiùs consuetudine ejus & operarum societate uti licuisse. Sed cùm non sit hominis via ejus, & dirigere gressus suos, juxta Propbetam, nos quoq; discessum ejus æquo animo ferre, nec voluntati divinæ repugnare decet, quòd hoc tempore stationem suam ad nos relinquere, & ad vicinam Academiam, ad quam honorificè & ab Aula, & ab Academia vocatus est, se deportare decrevit.

Nos ipsi discedenti hanc Judicij nostri, & propensionis atq; benevolentiæ in ipsum testificationem, summâ voluntate tribuimus, ne quid fortè hoc tempore exulcerato, cuiquam suspicionis sinistræ, ipsius

Digitized by Google

ipsius à nobis discessus afferret. Ut etiam huic diplomati suâ constaret Fides & certitudo, usitato id Academiæ hujus Sigillo munire voluimus. Quod dabatur Vitebergæ, Anno Christi MDLXXXIX. die 11. Februarij.

Sic ergò Jenam translatus Mylius *primum inter Theologos locum authoritate principali occupavit: & postremo etiam biennio Pastoris atq; Superintendentis muneri præfectus fuit: quod tantâ fide, industriâ, authoritate administravit, ut nominis sui famam & existimationem longè lateq; extenderet. Hinc exteræ civitates atquè Resp. Rigensis, Regiomontana, Brunsuicensis: Hinc Comitum haud pauci, Solmensis cumprimis & Schwartzburgicus: Hinc ipsi quoq; Principes Saxoniæ Coburgenses, certatim quasi operam ipsius expetiverunt: inprimis verò cùm Anno 1591. die 25. Septembris præmaturâ admodum morte abriperetur, optimus Princeps* Christianus primus, *Elector Saxoniæ, beatissimæ recordationis, cujus facilitate fex Sacramentaria diu satis perfidè abusa fuerat: & Electoratus Saxonici Administrationem subiret* Fridericus Wilhelmus, *Dux Saxoniæ nunquam satis laudatus, augustissimæ recordationis Princeps, deq; summa rerum constituenda, cum Ordinibus provincialibus consilia agitarentur:* Mylius *noster dignissimus fuit judicatus, qui unà cum alijs arduo illi & difficili Reformationis operi adhiberetur. Cui provinciæ etiam vacans* Mylius, *mensibus quinq; integris in colligenda restaurandaq; nostra hac Ecclesia Vitebergensi miserè per Sacramentarios turbata dissipataq;: octonis verò alijs in visitatione Misnica insumptis, fidem, studium, industriam, animiq; alacritatem ita probavit, ut de toto hoc Electoratu Saxonico præclarissimè mereretur.*

Quæ etiam causa fuit, ut cùm infelix Huberus *novi dissidij flammas hac ipsa in Academia superioribus annis excitaret, ad illas restinguendas,* Mylij *potissimùm opera videretur*

retur commodissimè. Quin cùm ante quadriennium ex beato magni illius Hunnij obitu locus primus in Collegio nostro, Pastoratus verò in Ecclesia vacaret: Serenissimus Elector Christianus II. Dominus noster clementissimus Mylium ex Jenensi Academia postliminiò quasi hûc revocatum, nostræq; Ecclesiæ Episcopum sive Superintendentem constitutum voluit.

Cui clementissimæ vocationi locum etiam ipse debitâ animi subjectione relinquens, redijt hûc Anno 1603. mense Octobri: non sine magno Jenensium mœrore, quin & ipsius Academiæ luctu.

Caterùm hûc reversus, quanta cum dignitate, dignitatem sibi oblatam sustinuerit, quid opus est, apud vos præsertim, plurib. verbis exponere?

Quantum prudentiæ & acuminis in dandis consilijs: quantum animi & libertatis in docendo ac disputando: quantum authoritatis in gubernanda Ecclesia, ipsi fuerit, me etiam tacente rectissimè novistis omnes: & ita novistis, ut tanto viro vos tàm subitò orbatos esse, mecum ex corde ingemiscatis potiùs, quàm longiore meritorum ipsius præconio vulnus quasi refricari, dolorem augeri, damnum amplificari velitis.

Proinde his & alijs quàm plurimis, quæ dicenda essent, præteritis: de beata potius ipsius ex hac vita migratione dicenda quædam videntur: ut vel ipsi Sycophantæ intelligant, vitam ita laudabiliter actam, non minùs laudabili fine esse concluſam.

Cùm ergò superiore proximo mense Majo, & quidem ipso Ascensionis Festo ultimam concionem (quam & ante annos viginti tres Augustæ ultimam indixerat) hic habuisset, & altero die post, ordinariam in Schola lectionem continuasset, aliquot diecularum ferias ab Auditorio petijt: sibi enim ita re urgente aliquò excurrendum esse: à reditu ad operas etiam suas rediturum.

Sed heu

Digitized by Google

Sed heu quàm nescia mens hominum fati sortisq; futuræ est? Nam ille quidem nusquam excurrit: sed calculo renum domi attentus, lecto affigitur: accedit febris maligna, quæ omnem Medicorum industriam respuens, intra paucos dies effecit, ut ille vitâ excederet: eo ipso die, nempè 28. Maij, quo conjux ejusdem prior violento mariti sui raptu exterrita extinguitur.

Cæterùm duo potissimum sunt, quæ circa extremum vitæ actum, etiam spectatæ magnanimitatis viros, de gradu interdum deiicere solent: Doloris acerbitas: & mortis metus. Jam si quisquam alius illius fuit fortitudinis, ut neq; doloris acerbitate: neq; mortis metu frangeretur: certè Mylio nostro *hæc laus jure competit. Nam cùm per dies benè multos, acutissimos dolores, calculi præsertim, perpessus esset; nunquam tamen in vocem impatientiæ alicujus indicem, erupisse auditus fuit. Mortem autem ipsam usq; adeò non exhorruit, ut non modò illud Augustini aliquoties ingeminaret.*

Illius est nolle mori, qui nolit ire ad Christum: *sed & mortem propriùs adventantem lato quasi vultu exciperet: vel certè majore eam desiderio expeteret: quàm mors ipsa eum petere videbatur. Cujus rei illustrem & satis apertam significationem edidit, quòd Feriâ tertiâ Pentecostes, finitâ concione illâ solenniore, convocatis uxore, liberis, amicis, collegis Theologis, & ministris Ecclesiæ, orthodoxam fidei confessionem magno Spiritu edidit: peccatorum veniam à Deo humilimè petijt: pro beneficijs planè singularibus in se collatis, gratias divinæ bonitati egit devotissimas: Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi Servatoris, magnâ divinæ Majestatis veneratione suscepit: pacis & concordiæ studium nobis collegis: ipsum verò afflictæ Ecclesiæ & Academiæ statum Deo pijs precibus commendavit: & tandem singulis ac universis extremum vale dixit: biduò pòst placidè in Domino obdormiscens: triste sui desiderium apud nos relinquens: & quidem tantò tristius: quantò alieniore tempore ipse hinc evocatus esse videtur.*

Digitized by Google

Nolo denuò in memoriam vobis revocare, superiorum annorum quatuor cladem longè tristissimam, quam nostra accepit Ecclesia & Academia. Major enim & acerbior ea est, quàm ut vel verbis satis amplificari, vel lachrymis deplorari, vel ullo remedio sanari queat.

Consulite vos ipsi in medium Patres Academici, conferte vota & suffragia vos Senatores, vos cives ô angulos percurrite, num forte successorem Hunnio, Gesnero, Rungio, Mylio *parem, & non hominum opinione, quæ sæpius ex affectu profecta turpissimè fallit & fallitur: sed donorum æqualitate parem inveniatis: talem dico successorem, qui vulnera nobis inflicta sanare, mœrorem ex illorum jactura conceptum sedare, qui voluntate, prudentiâ, usu rerum, gravitate, authoritate aptus sit ad ea non tàm gerenda, id quod fortè multorum aliorum esse queat, quàm rectè laudabiliterq; sustinenda & administranda munia, quæ ex tantorum luminum obitu jam vacant, & successorem multis gemitibus desiderant.*

Hic Te jam, ô Christiane *Elector mœsta intuetur Ecclesia: pulla Te respicit Academia: & ut rebus nostris afflictis consulas, anxiè rogat & obtestatur: atque ô utinam læto prosperoquè successu! Gravis hæc est, Auditores, & satis ardua deliberatio, quæ nisi divino regatur numine, vix lætum sortietur exitum: Proinde conjunctis votis ac suspirijs, cœlum pulsabimus, auxilium ex altis quærentes, sic ingeminiscemus cum David:*

O æterne Deus, fons, autor & largitor omnis boni, qui bene dixisti quondam terræ tuæ, qui avertisti captivitatem Jacob, qui remisisti iniquitatem plebi tuæ, qui mitigasti omnem iram tuam & avertisti te ab ira indignationis tuæ: Reminiscere miserationum tuarum, & misericordiarum tuarum, quæ à seculo sunt: Desine ab ira tua, neque secundum iniquitates nostras retribue nobis: sed converte Deus salutis nostræ, & averte iram tuam à nobis: Deus exercituum convertere, respice de cœlo & vide, ac visita vineam tuam & perfice

Digitized by Google

perfice eam, quam plantavit dextera tua, & quam tibi elegisti: Circunda eam sepe & scuto tuo, ut palmites ejus transplantati & purgati copiosum tibi ferant fructum: extrude porrò operarios in hanc messem tuam, & cumprimis eum nobis largire Pastorem, qui non deglubat, sed pascat oves pascuæ tuæ: qui retineat formam sanorum verborum: qui regat fideliter Ecclesiam, quam sanguine Filij tui redemisti: qui, ut uno verbo dicamus omnia, dispersa colligat, lapsa erigat, depravata corrigat, infirma corroboret, turbulenta componat, pacem & concordiam astruat, foveat, conservet: Ita eveniat DEUS *Pater: ita eveniat Domine* JESU; *ita eveniat* SPIRITUS SANCTE *Deus une & trine, Deus benedicte in secula. Amen.*

FINIS.

Digitized by Google